BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
23 L
M18

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

27

3.33

Digitized by Google

JOSEPHI WEISSENBACH
BREMGARTENSIS HELVETII
THEOLOGIÆ DOCTORIS

DE ELOQUENTIA PATRUM

LIBRI XIII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

IN USUM
ECCLESIASTICORUM.

VOLUMEN IV.

Operis LIBROS IV. & V. complectens.

SUPERIORUM PERMISSU.

AUGUSTÆ VINDELICORUM
SUMTIBUS FRATRUM VEITH BIBLIOPOLARUM.

MDCCLXXV.

Digitized by Google

PRÆFATIO

IN HUNC

ET,

SEQUENTES TRES LIBROS.

Quoniam eo pervenimus, ubi Officia Oratoris omnia, ſeu *generalia*, ſeu *ſpecialia*, exhibenda ſunt; hæc vero Patres communia ſæpe cum profanis habent *: non debet ſane mirum Lectoribus videri, quod ſingulis fere *Titulis* cum ad ſiccitatem tollendam, tum ipſa Specimina rectius accommodanda, multa, quæ eo pertineant, jam ex M. T. Cicerone, jam ex M. F. Quintiliano præmittuntur. Qui horum lectioni aſſueverunt, advertent continuo, me apum more, quidquid inde libavi, velut unum in ſaporem ita confudiſſe, ut alia quidem propriis ipſorum verbis repræſentarem: alia, quo æquabilior ſtilus fieret, non nihil immutata, veluti propria admiſcerem. Tædet enim in longo Opere perpetuarum *Citationum*; quæ, cum ex ſolis Pa-

* Quod Libro I. oſtendimus.

tribus infinitæ apud nos ſint, non debent nova externorum acceſſione cumulari. Porro nemini Rhetoricæ præceptis imbuto injucundum accidet, eadem Opera & Specimina legere artis ejus, unaque ipſam artem, quodam quaſi breviario comprehenſam, in memoriam revocare.

Illud etiam de hoc, & ſequentibus Libris monere debemus, ne, cum Specimen aliquod exhibemus, in eam forte opinionem Lectores veniant, unam illam, de qua ibi ſermo eſt, Eloquentiæ dotem iſto in loco reperiri: abſit; mancus enim, neque ſat dignus eſſet apponi, qui non ex alio, quam illo ſolo capite commendaretur. Quare hoc, non aliud volumus, ut ceteris dotibus nunc quidem omiſſis, eam unam verſent animo, quæ præcipua eſt, & quam ad propoſitum, ſeu rem, de qua agitur, ante alias viderint pertinere.

ELEN-

Digitized by Google

ELENCHUS VOLUMINIS IV.

LIBER IV.

De Eloquentia Patrum.

Specimina Officiorum dicendi generalium.

Caput I. Specimina *Peritiæ* in animis præparandis, benevolentiaque captanda. *pag.* 1
Caput II. Specimina *Perſpicuitatis* in docendo. - 21
Caput III. Specimina *Copiæ* & *Varietatis* in amplificando. - - - - 52
Caput IV. Specimina *Amœnitatis* in delectando. - 73
Caput V. Specimina *Soliditatis*, *Subtilitatis* & *Novitatis* in argumentando. - 95
Caput VI. Specimina *Efficaciæ* in movendo. - 114
Caput VII. Specimina *Morum*, quos dicunt, & reliquæ *Prudentiæ* oratoriæ. - 139

* * *

LIBER V.

De Eloquentia Patrum.

Specimina circa Genera dicendi.

Caput I. Specimina circa genus dicendi *planum* & *ſubmiſſum.* - - *pag.* 235
Caput II. Specimina circa genus dicendi *ſublime.* 252
Caput III. Specimina circa genus dicendi *temperatum.* 277

Caput

Caput IV. Specimina circa genus dicendi *numeroſum & harmonicum.* - - pag. 297
Caput V. Specimina circa genus dicendi *denſum, inſtans & preſſum.* - - 315
Caput VI. Specimina circa genus dicendi *argutum, conciſum & ſententioſum.* - 330
Caput VII. Specimina circa genus dicendi *abruptum* atque *laconicum.* - - 349
Caput VIII. Specimina circa genus dicendi *vehemens, incitatum & rapidum.* - 359
Caput IX. Specimina circa genus dicendi *grave.* - 386
Caput X. Specimina circa genus dicendi *floridum,* ſeu (ut alii appellant) *vividum, pictum, luminoſum.* - 399
Caput XI. Specimina circa genus dicendi *tenerum, dulce, unctuoſum.* - - 410
Caput XII. Specimina circa genus dicendi *ſalſum, pungens & ſatyricum.* - - 428

DE ELO-

Digitized by Google

DE
ELOQUENTIA PATRUM
LIBER IV.

Specimina Officiorum dicendi generalium ex Patribus repræſentat.

CAPUT I.

Specimina Peritiæ *Patrum in animis præparandis, benevolentiaque captanda.*

Si non omnium maxima, certe omnium prima oratoris dos iſta eſt, uti docilem, attentum, atque benevolum faciat, quem docere, aut perſuadere cupit, idque non ſolum initio dicendi, ſed ubique, nec arrepta duntaxat, ſed ſtudioſe etiam captata rei ejus occaſione. Et de *Attentione* quidem procuranda infra ſpeciatim dicetur: nunc de docilitate, & benevolentia agendum eſt.

Obtinentur iſtæ ab eo, qui conditionem auditorum probe perſpectam habeat, qui animum præferat candidum, atque ſincerum, qui partes officii ſui obtendat, qui omnia a ſe invidioſa amoliatur, ingrata præoccupet, & quam maxime alienum ſe a partium ſtudiis præbeat: Item qui laudet auditores a patria, a majoribus, a rebus geſtis, ab humanitate, a frequentia, & aviditate audiendi: qui

 argu-

argumenti novitatem, difficultatem, momentum, commoda, neceſſitatem inculcet, idque adjunctis rerum præſentibus norit accommodare: qui modum tractandi facilem ſecuturum ſe, & tam claritatis, quam brevitatis rationem habiturum ſpondeat: qui in prudentia, & moderatione ſuorum plurimum confidat: qui modeſtiam, patientiam, magnanimitatem ſervet in omnibus, quæ obſtant, vel moleſta ſunt: qui temperet ſibi à ſatyra, & mordacitate, ac tum quoque, ubi vitium aliquod inſectatur, comitatem tamen retineat, & homines revereatur, atque hujus generis alia faciat; omnia enim non poſſumus, ſed neque debemus enumerare. *

Nulla tamen re magis, quam affectu benevolentia conciliatur; quod impoſſibile ſit eum non redamare, a quo amari te videas, neque unquam propior ſit perſuaſioni auditor, quam cum agnoſcit ex charitate te loqui; Id quod diſerte Chrysostomus **, & alii plures admonuerunt. Charitatem ergo oſtende, & dic, quod vis.

Hanc verò artem conciliandi animos eo magis neceſſariam ſibi Patres putaverunt, quod cum externi alia longe afferrent, ſe ſcirent quam plurima, quæ vel ſupra rationem, vel contra naturam eſſent, prædicare debere. Itaque plurimum huc ſtudii contulerunt, & cum auditoribus haud ſecus ac cum liberis, fratribus, amicis, diſcipulis ſuis egerunt. Imitati autem ſunt Apoſtolos, qui admirabilem erga neophytos charitatem, & indulgentiam prætulerunt ***, omnibus omnia facti, blandientes adeo illis, eosque, ubi aliquid certius impetrare volebant,

* Lege Ciceronem *Libro* 1. *de Inventione*: *Libro* 2. *de Oratore*: in *Partitionibus oratoriis*; & *Libro* 1. *Rhetoricorum ad Herennium*.
** *Homil.* 20. *in ad Epheſios.*
*** Vide Gisbertum *cap.* 20. de tenerrimo affectu, quem in ſuos Paulus oſtendit.

bant, etiam laudantes. Sic juxta HIERONYMUM * Paulus Philemonem *prudenter, & diſpenſatorie in Præfatione laudavit, ut non auderet negare, ne ſuis laudibus videretur indignus.*

Unde non mirum, quod occupatis ſemel animis omnia polliceri ſibi Patres poſſent, quæ modo ne tentare quidem nobis liceret. Quoties enim nutus, vociferationes, plauſus, gratulationes lacrimæ dicentes eos conſecutæ ſunt? legimus talia in Chryſoſtomi, & Auguſtini ſermonibus paſſim expreſſa, ac orationem adeo iis interruptam fuiſſe miramur. Quæ autem horum cauſa? an facundia, ac res ipſæ, quas pertractabant? non video; ſi enim alius quiſpiam eadem modo dicat, majore etiam facundia, fruſtra erit, & ſecus omnia evenient; quod ſcilicet fiducia, exiſtimatio, & amor eum deficit, quem veri illi paſtores ſummum, & ineffabilem apud gregem ſuum obtinuerunt.

Sed nolo in re manifeſta hærere diutius. Qui plura de neceſſitate, vi, & artificio hujus rei ſcire deſiderant, legant profanos QUINTILIANUM *Libr. IV. cap. I.* CICERONEM *Libr. I. Rhetoricorum ad Herennium, Libr. I. de Inventione, & Libr. II. de Oratore.* Nobis ad exempla eſt properandum, quæ ſi ullibi, certe hic plus omnibus præceptis & animadverſionibus valent.

Blandiſſimus eſt AMBROSII locus *Libro I. officiorum cap.* 7. ubi Clericis ſuis documenta morum opere illo contenta ſic commendat.

„ Non alienum duxi a noſtro munere, ut & „ ipſe ſcriberem, & ſicut Tullius ** ad erudiendum „ filium, ita ego quoque ad vos informandos filios „ meos. Neque enim minus vos diligo, quos in „ Evangelio genui, quam ſi conjugio ſuſcepiſſem. „ Non enim vehementior eſt natura ad diligendum,

 quam

* *In ad Philemonem.*
** *In Officiis.*

„ quam gratia. Plus certe diligere debemus, quos perpetuo nobiſcum putamus futuros, quam quos in hoc ſæculo tantum. Illi degeneres naſcuntur frequenter, qui dedeceant Patrem: vos autem elegimus, ut diligamus. Itaque illi neceſſitate diliguntur, quæ non ſatis idonea, atque diuturna eſt ad perpetuitatem diligendi magiſtra: vos judicio, quo magnum charitati pondus ad vim diligendi adjungitur, probare, quos diligas, & diligere, quos elegeris. „

Nunc vero Chrysostomum audiamus, qui *homil. in illud: Scimus, quoniam diligentibus Deum &c.* * poſt diuturnum morbum ſui amantem cætum, & abs ſe pari affectu redamatum ita alloquitur.

„ Quaſi longo veniam ad vos intervallo, ſic affectum hodierno die me ſentio. Quamquam enim domo concluſus propter corporis infirmitatem manebam: tamen perinde quaſi alicubi procul a veſtra charitate translatus degerem, ſic animo afficiebar. Qui enim ſincere diligere novit, cum in congreſſum venire non datur ejus, quem diligit, quamvis eandem urbem incolat, non aliter afficitur, ac ſi in aliena regione verſaretur. Hoc norunt, qui vere diligunt. Ignoſcite igitur nobis quæſo: non enim ex negligentia noſtra ſeparatio iſta ortum habuit, ſed ſilentii cauſam infirmitas corporis attulit. Ac vos quidem gaudere nunc omnes ſcio, quod ægritudinem depoſuerimus: ego vero gaudeo non modo, quod ægritudinem depoſuerim, ſed quod optatos vultus veſtros rurſus intueri poſſim, & charitate veſtra ſecundum Deum oblectari. Et quemadmodum

* *Tom.* 3. *Montfauconi pag.* 150. Eſt autem hoc exordium ſimile illi *homiliæ* 1. *ejusdem Tomi in debitorem decem millium talentorum.*

„ dum plurimi homines cum e morbo fuerint recreati, phialas, & pocula, gelidosque latices „ quærunt: ita mihi lætitia quavis jucundior exiſtit congreſſus veſter, & hoc mihi ſanitatis materia fuit, & occaſio gaudii. Age igitur, quandoquidem Dei beneficio nos invicem recuperavimus, charitatis vobis debitum perſolvamus, ſi quidem ullo tempore poſſit illud perſolvi. Hoc enim ſolum debitum finem neſcit, ſed quanto magis diſſolvitur, tanto magis debitum augetur: & quemadmodum in re pecuniaria laudamus eos, qui nihil debent, ita hic eos, qui multa debent, beatos prædicamus. Idcirco magiſter orbis terrarum Paulus ſcribens dicebat: *Nemini quidquam debeatis, niſi ut invicem diligatis*; quod nimirum velit nos hoc debitum & ſemper ſolvere,& ſemper debere, nec unquam hoc æs alienum ſolvere, donec vitam præſentem abſolverimus &c. „

Idem mirabili artificio *hom.* 3. *ad pop. antioch.* alteri quoque benevolentiam conciliat, Flaviano ſcilicet Epiſcopo, pro civitate ſua legationem ad offenſum Imperatorem obeunte.

„ Quando ad ſedem hanc derelictam, & magiſtro vacuam reſpicio, gaudeo ſimul, & lacrymo. Lacrymo quidem, quod præſentem non video patrem: gaudeo autem, quod pro ſalute noſtra profectus, abiit tantum populum a furore Imperatoris erepturus. Hoc & vobis ornamentum eſt, & illi corona. Ornamentum vobis, quod talem ſitis ſortiti patrem: & illi corona, quod circa filios tam benignus ſit, & a Chriſto dictum per opera confirmaverit. Audiens enim illud: *Paſtor bonus animam ſuam ponit pro ovibus*: abiit pro nobis omnibus animam ſuam poſiturus; etſi multa erant, quæ ipſum abire prohiberent, & manere cogerent: primo ætas ad ultimam provecta ſenectutem, poſtea corporis imbecillitas, &

„ anni tempus, & ſanctæ celebritatis neceſſitas, ad-
„ hæc unica ſoror in extremo conſtituta ſpiritu:
„ Sed tamen & conſanguinitatem deſpexit, & ſene-
„ ctutem, & imbecillitatem, & temporis difficul-
„ tatem, & itineris aſperitatem, & omnibus vos,
„ veſtramque ſalutem præponens, hæc omnia vin-
„ cula disrupit, & ceu juvenis fertur ſenex, nunc
„ alatus animi magnitudine factus. Si enim Chri-
„ ſtus, inquit, ſeipſum pro nobis dedit, qua eſſe-
„ mus nos excuſatione, & venia digni, tanti cu-
„ ſtodiam populi creditam habentes, & non eli-
„ gentes omnia & facere, & pati pro creditorum
„ nobis ſecuritate? Si enim Patriarcha, inquit, Ja-
„ cob, pecudibus præpoſitus, oves irrationales
„ paſcens, & homini rationem redditurus, noctes
„ ducebat inſomnes, & æſtum, gelu, omnemque
„ aëris intemperiem ferebat, ut nulla illarum pecu-
„ dum periret: multo magis nos non irrationali-
„ bus, ſed ſpiritualibus ovibus præpoſitos, &
„ non homini, ſed Deo præfecturæ hujus ratio-
„ nem reddituros, ad nihil torpere, & tergiver-
„ ſari oportet eorum, quæ gregem juvare poſſint.
„ Sed quanto melior grex iſte grege illo, & brutis
„ quidem homines, hominibus vero Deus: tanto
„ majus & nos vehementiusque ſtudium, & dili-
„ gentiam exhibere oportet. Novit ille plane,
„ non pro una ſibi nunc civitate negotium eſſe,
„ ſed pro Oriente toto. Civitatum enim ſub Orien-
„ te poſitarum caput & mater eſt civitas noſtra:
„ propterea omne periculum ſubiit, & nihil illum
„ hic retinere potuit. Ideoque bonas fore ſpei op-
„ portunitates ſpero. Non enim tantam ſeduli-
„ tatem Deus deſpiciet, neque ſervum ſuum infe-
„ ctis rebus redire permittet. Novi, quod tantum
„ coram poſitus, & religioſum Imperatorem con-
„ ſpicatus, ex aſpectu ſolo ſtatim iram comprimere
„ poterit. Sanctorum enim non tantum verba,

„ ſed

„ ſed & ipſi vultus ſpirituali gratia pleni ſunt. Hic „ vero & multa ſapientia plenus eſt, & cum divi- „ narum legum ſit peritus, ad ipſum dicet, quod „ & Moſes ad Deum: *Si dimittis quidem ipſis pecca- „ tum, dimitte: ſi non autem, & me occide cum ipſis.* „ Talia enim Sanctorum viſcera cum filiis mortem, „ quam ſine ipſis vitam dulciorem eſſe putant. Ad- „ jiciet a tempore patrocinium, & ſacrum Paſcha „ proponet, commemorabitque tempus, quo orbi „ terrarum toti Chriſtus peccata remiſit; Dominum „ imitari exhortabitur, & parabolæ illius decem „ millium talentorum, & centum denariorum ipſum „ commonebit. Novi patris noſtri fiduciam; non „ dubitabit ipſum per hanc ſimilitudinem tenere, „ & dicere: Vide,ne forte & tu illo die audias: *Ser- „ ve nequam omne debitum illud dimiſi tibi, quoniam „ rogaſti me; oportebat & te dimittere conſervis tuis.* „ Tibi ipſi magis, quam illis prodes, in paucorum „ dimiſſione peccatorum majorum oblivionem re- „ cipiens. Addet prædictis & orationem illam,quam, „ qui ſacris ipſum initiavere myſteriis, orantem di- „ cere docuerunt: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut „ & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Ad hæc do- „ cebit, non commune civitatis fuiſſe peccatum, ſed „ hominum quorumdam externorum, & advena- „ rum, nihil cum ratione facientium, ſed cum au- „ dacia, & omni ſcelere: nec juſtum eſſe pro pau- „ corum temeritate tantam diripi civitatem, & eos, „ qui nihil injuſte fecerunt, pœnas luere. Alio- „ quin etſi omnes peccaſſent, dignas dediſſent pœ- „ nas, tot diebus timore conſumpti, & per ſingu- „ los mori dies expectantes, pulſi, exulantes, reis „ miſerabilius viventes, ſanguinem in manibus ge- „ ſtantes, & de vita ſua non confidentes. Hæc tibi „ pœna ſufficiat, ne ulterius ira procedas. Mitem „ tibi ſupremum judicem per humanitatem in con- „ ſervos redde. Cogita urbis magnitudinem, &

„ quod non de una, vel de duabus, vel tribus, „ vel decem animabus nunc nobis eſt conſideratio: „ ſed de millibus, & infinitis, de totius orbis capite. Hæc eſt civitas, in qua primum appellati „ Chriſtiani. Honora Chriſtum, reverere eam, „ quæ prima nomen omnibus deſiderabile & dulce „ prædicavit. Apoſtolorum illa fuit tabernaculum, „ habitaculum juſtorum. Nunc hoc primum, & „ ſolum in principes facinus patratum eſt, & civitatis mores omne præteritum tempus teſtatur. Si „ enim continue ſeditiones moveret, improbitatem condemnare oporteret: ſi vero ſemel hoc „ omni tempore accidit, certum eſt, quod non civitatis morum eſt peccatum, ſed eorum, qui impudenter, & temere in civitatem irruperunt, iſta „ inſania fuit. Hæc Sacerdos, & plura his cum „ magna dicet fiducia, hæc Imperator audiet, & „ ille humanus, & hic fidelis. Unde utrinque bonam habemus ſpem. Plus autem, quam magiſtri fidei, & Imperatoris humanitati Dei miſericordiæ fidimus. Nam & rogato Imperatori, & „ roganti Sacerdoti ipſe medius aſſiſtet, Imperatoris cor emolliens, Sacerdotis linguam excitans, „ hujus verba ſecundans, illius mentem præparans, ut indulgenter dicta ſuſcipiat, & petitionibus annuat. „

Dein interjectis aliis, quibus ad fiduciam eos, precesque hortatur pro Epiſcopi legatione juvanda, ſic pergit:

„ Si mulier pro Judæis ſupplicans barbaricum „ cohibere furorem potuit: multo magis Doctor „ noſter pro tanta civitate, & cum tanta Eccleſia „ ſupplicans benigniſſimum, & mitiſſimum hunc „ Imperatorem flectere poterit. Si enim peccata „ in Deum ſolvendi poteſtatem accepit, multo magis in hominem patrata deſtruere, & delere poterit. Princeps eſt hic quoque, & quidem illo

„ hono-

„ honoratior. Etenim ipſum regium caput ſacras „ leges ferentes hujus manibus ſubjecerunt, & „ quando aliquid boni cœlitus requiritur, Rex ad „ Sacerdotem, non Sacerdos ad Regem confugere „ ſolitus eſt. Habet enim hic juſtitiæ loricam, „ habet & cingulum veritatis, habet & calceamen- „ ta multo honeſtiora ab Evangelio pacis, habet & „ gladium non ex ferro, ſed ſpiritus, habet co- „ ronam capiti impoſitam. Splendidior hæc arma- „ tura, pretioſiora hac arma, major fiducia, ma- „ jor vis. Itaque & pro principatus magnitudine „ & propria magnanimitate, & ante reliqua omnia „ pro firma in Deum ſpe, cum multa fiducia & pru- „ dentia Imperatorem alloquetur. Ne igitur de „ ſalute noſtra deſperemus, ſed ſupplicemus, pre- „ cemur, petamus, oremus, ad ſupremum Regem „ multis cum lacrimis legationem mittamus. „

Vides, quomodo Sanctus Orator nihil prorſus omittat, quodcunque facere poſſit ad benevolentiam Flaviano, ad docilitatem ſibi comparandam. Et quid non polliceri ſibi poterat ab animis ita præparatis? quam fiduciam, quem fervorem, quam emendationem vitæ ad exitum rei ejus felicem obtinendum.

Eandem artem expromit *hom.* 21. *ad populum*, ubi idem fere argumentum verſat, quædam in laudem Flaviani dicta præclara repetens, eumque ad Imperatorem facundius etiam pro ſuis deprecantem inducens.

Inſigne etiam ſpecimen ſuppeditat S. Leo *Serm.* 1. *ad diem octavam inaugurationis ſuæ* dicto. Sic autem habet:

„ Laudem Domini loquatur os meum, & no- „ men ſanctum ejus anima mea, ac ſpiritus, caro, „ & lingua benedicat! quia non verecundæ, ſed „ ingratæ mentis indicium eſt, beneficia tacere di- „ vina, & ſatis dignum eſt a ſacrificiis dominicæ

„ laudis obſequium conſecrati Pontificis inchoare. „ Quia in humilitate noſtra memor fuit noſtri Dominus, & benedixit nobis, quia fecit mihi mirabilia magna ſolus, ut præſentem me cerneret veſtræ ſanctitatis affectio, quem fecerat neceſſitas „ longæ peregrinationis abſentem *. Ago igitur „ Deo noſtro gratias, & ſemper acturus ſum pro „ omnibus, quæ tribuit mihi. Veſtri quoque favoris arbitrium debita gratiarum actione concelebro, evidenter intelligens, quantum mihi poſſint reverentiæ, amoris, & fidei ſtudia veſtræ dilectionis impendere, animarum veſtrarum ſalutem paſtorali ſolicitudine cupienti, qui tam ſanctum de me, nullis admodum præcedentibus „ meritis, judicium protuliſtis. Obſecro igitur per „ miſericordias Domini, juvate votis, quem deſideriis expetiſtis, ut & ſpiritus gratiæ maneat in „ me, & judicia veſtra non fluctuent. Præſtet in „ commune nobis omnibus pacis bonum, qui nobis unanimitatis ſtudia infudit, ut omnibus diebus vitæ meæ in omnipotentis Dei ſervitium, & „ ad veſtra paratus obſequia cum fiducia poſſim Dominum deprecari: Pater ſancte! conſerva eos in „ nomine tuo, quos dediſti mihi, ſemperque proficientibus votis ad ſalutem, magnificet anima „ mea Dominum, & in futuri retributione judicii „ ita mihi apud juſtum judicem Sacerdotii mei ratio ſubſiſtat, ut vos mihi per bona opera veſtra „ ſitis gaudium, vos corona, qui bona voluntate „ ſincerum præſentis vitæ teſtimonium præſtitiſtis. „ Honorabilem igitur mihi dilectiſſimi hodiernum „ diem fecit divina dignatio, quæ dum humilitatem meam in ſummum gradum provehit, quod „ ne-

* Procul enim in Galliis agebat vir Sanctus, quando omnium ſtudiis ad ſupremum Sacerdotium expetebatur.

„ neminem ſuorum ſperneret, demonſtravit. Un-
„ de etſi neceſſarium eſt trepidare de merito, reli-
„ gioſum eſt tamen gaudere de dono; quoniam qui
„ mihi honoris eſt auctor, ipſe mihi fiet adminiſtra-
„ tionis adjutor, & ne ſub magnitudine gratiæ ſuc-
„ cumbat infirmus, dabit virtutem, qui contulit
„ dignitatem. Recurrente igitur per ſuum ordinem
„ die, quo me Dominus epiſcopalis officii voluit
„ habere principium, vera mihi in gloriam Dei eſt
„ cauſa lætandi, qui mihi, ut multum a me dili-
„ geretur, multa dimiſit, & ut mirabilem faceret
„ gratiam ſuam, in eum munera ſua contulit, in
„ quo meritorum ſuffragia non invenit. Quo ope-
„ re ſuo Dominus quid cordibus noſtris inſinuat,
„ quidve commendat, niſi ut de juſtitia ſua nemo
„ præſumat, & de ipſius miſericordia nemo diffi-
„ dat? Quæ tunc evidentius præeminet, quando
„ peccator ſanctificatur, & abjectus erigitur. Ne-
„ que enim de qualitate noſtrorum operum pendet
„ cœleſtium menſura donorum, aut in iſto ſæculo,
„ in quo tota vita tentatio eſt, hoc unicuique re-
„ tribuitur, quod meretur; ubi ſi iniquitates Do-
„ minus obſervaret, nullus judicium ſuum ſuſtine-
„ ret. Magnificate ergo dilectiſſimi Dominum me-
„ cum, & exaltemus nomen ejus invicem, ut to-
„ ta ratio celebritatis hodiernæ ad laudem ſui re-
„ feratur auctoris. Nam quod proprie ad affectum
„ animi mei pertinet, confiteor, me plurimum de
„ omnium veſtrum devotione gaudere; cumque
„ hanc Venerabilium Conſacerdotum meorum ſplen-
„ didiſſimam frequentiam video, angelicum nobis
„ in tot ſanctis ſentio intereſſe conventum: nec
„ dubito, nos abundantiore hodie divinæ præſen-
„ tiæ gratia viſitari, quando ſimul adſunt & uno lu-
„ mine micant tot ſpecioſiſſima tabernacula Dei, tot
„ membra excellentiſſima corporis Chriſti. Nec
„ abeſt, ut confido, ab hoc cœtu etiam beatiſſimi
„ Apo-

„ Apoſtoli Petri pia dignatio, & fida dilectio, nec „ veſtram devotionem ille deſeruit, cujus nos reverentia congregavit. De veſtro itaque & ipſe „ gaudet affectu, & in conſortibus honoris ſui obſervantiam dominicæ inſtitutionis amplectitur, „ probans ordinatiſſimam totius Eccleſiæ charitatem, quæ in Petri ſede Petrum ſuſpicit, & a tanti „ amore paſtoris nec in perſona tam imparis tepeſcit hæredis. Ut ergo hæc pietas dilectiſſimi, „ quam erga humilitatem meam unanimiter exhibetis, fructum ſui ſtudii conſequatur, miſericordiſſimam Dei noſtri clementiam ſupplices obſecrate, ut in diebus noſtris expugnet impugnantes nos, muniat fidem veſtram, multiplicet devotionem, ac dilectionem, augeat pacem, meque ſervulum ſuum, quem ad oſtendendas divitias gratiæ ſuæ gubernaculis Eccleſiæ voluit præſidere, ſufficientem tanto operi, & utilem veſtræ „ defenſioni dignetur efficere, & ad hoc tempora „ noſtræ ſervitutis extendere, ut proficiat devotioni, quod fuerit largitus ætati per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.„

Hic totus eſt ſermo primus, in quo, licet breviſſimo, mira eſt copia ſublimium ſententiarum. Et quis legit, qui non ſentiat Oratorem, Sanctum, Doctorem, ſed maxime ſummum Pontificem, & Patrem loqui? Tam humilis illi gravitas, tam ſincera mens, tam minime fucata facundia ineſt, ut non poſſet non omnium reverentiam, docilitatem, atque fiduciam ei viro conciliare.

S. Joannes Damascenus *Orat.* I. *adverſus eos, qui ſacras imagines abjiciunt*, ſcripturus ſcilicet in Syria inter Saracenos adverſus Imperatorem Chriſtianum ad ipſos ejus ſubditos, homo nobilis quidem, ac literatus, exterus tamen, & pleriſque ignotus, en quam admirabili exordio in animos ſe inſinuet:

„ Nos

„ Nos quidem, inquit, decebat, indignitatis „ propriæ conſcios, æternum tacere, Deoque potius „ peccata noſtra confiteri: verum quandoquidem „ omnia, quæ opportuno tempore geruntur, lau„ dabilia ſunt, Eccleſiam autem, quam ſuper fun„ damentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo „ ſummo angulari lapide Chriſto Filio ſuo Deus „ ædificavit, tanquam in maris procella, fluctibus „ aliis ſuper alios aſſurgentibus intumeſcente, ab „ irruente improborum ſpirituum impetu valido „ miſceri, jactarique videam, contextam deſuper „ Chriſti tunicam dividi, quam per ſummam auda„ ciam ſcindere conati ſunt impii, ipſius demum „ corpus, quod ſermo Dei eſt, & antiquitus ſuſce„ pta, firmataque traditio, in varias diſtrahi ſectio„ nes: tacendum non cenſui, nec linguam ſilentii „ vinculo coërcendam; illam nimirum Dei ſenten„ tiam veritus, ita comminantis: *Si te ſubtraxeris,* „ *non placebit animæ meæ.* Et: *Si videris gladium* „ *venientem, nec fratri tuo denuntiaveris, ſanguinem* „ *ejus de manu tua requiram.* Hoc igitur gravi per„ culſus metu ad dicendum appuli, nec veritati „ majeſtatem Imperatoris antepoſui. Ait quippe „ Dei parens David: *Loquebar de teſtimoniis tuis in* „ *conſpectu regum, & non confundebar.* Quin etiam „ ob id vehementius ſum incitatus. Enimvero ad „ ſubditos pelliciendos multum valet Regis auctori„ tas; quippe cum pauci hactenus fuerint illi, qui, „ cum Reges terræ Regis cœleſtis imperio ſubeſſe, „ Regeſque legibus obnoxios eſſe noverint, iniqua „ ipſorum juſſa contempſere. Hoc itaque ceu prin„ cipio quodam, ſive fundamento, menti propoſi„ to, ut nimirum Eccleſiaſtica, per quam ſalus pa„ ritur, inſtitutio tenenda ſit, orationi campum „ aperui, quo veluti equus recte frænis obtempe„ rans e carceribus dimiſſus excurreret. Vere enim, „ ac ultra quam dici poſſit, grave, calamitoſumque „ exi-

„ exiſtimavi, Eccleſiam tot fulgentem prærogati-
„ vis, ac ſanctiſſimorum hominum, majorum no-
„ ſtrorum ſanctionibus ornatam ad egena elementa
„ converti, illicque trepidare timore, ubi non erat
„ timor, ſi tanquam Dei veri neſcia prolapſionem
„ ad idolorum cultum ſubvereatur, ſicque vel mi-
„ nimum a perfectione deſciſcat, ac quaſi nævum
„ quemdam durabilem, qui inconcinnitate ſua ve-
„ nuſtatem omnem maculet, in formoſiſſimi oris
„ medio geſtet. Neque vero erroris parva nota eſt,
„ veterem Eccleſiæ diſciplinam, conſuetudine ro-
„ boratam convellere, majoresque noſtros quocun-
„ que modo damnare, quorum converſationem in-
„ tuentes, imitari fidem oportebat. Primum igitur
„ ad vos verba facturus, omnipotentem Deum ef-
„ flagito, cui nuda, apertaque ſunt omnia, cui pu-
„ rum, ac ſincerum hac in parte humilis ſenſus
„ mei propoſitum patet, ut mihi det ſermonem in
„ apertione oris, & mentis meæ habenas propriis
„ manibus tenendo, eam ad ſeipſum trahat, quo
„ in conſpectu ipſius recto tramite pergat, nec ad
„ ea declinet, quæ ſibi in ſpeciem vera videntur,
„ aut eſſe ſiniſtra noverit. Dehinc precor univer-
„ ſam Dei plebem, gentem ſanctam, regale ſacer-
„ dotium una cum bono rationalis gregis Chriſti
„ paſtore, qui ſummum in ſemetipſo ſacerdotium
„ exprimit, ut libellum huncce meum benevolo
„ excipiant animo: ne vel dignitatem, quæ in me
„ perexigua eſt, reſpiciant, vel verborum artem,
„ qua egenus ego haud ſatis polleo, ſed ſententia-
„ rum potius vim attendant. Non enim in ſermo-
„ ne, ſed in virtute conſiſtit regnum cœlorum.
„ Non vincere, ſed impugnatæ veritati opem ferre
„ propoſitum mihi eſt, virtutis manum ſubmini-
„ ſtrante bona voluntate. Quamobrem ſubſtantis
„ veritatis implorata ope, hinc orationis principium
„ ducam. „

S. Ber-

S. Bernardus in *Libros de Conſideratione* ad Eugenium Papam diſcipulum olim ſuum, ita præfatur:

„ Subit animum dictare aliquid, quod te Papa „ beatiſſime Eugeni vel ædificet, vel delectet, vel „ conſoletur. Sed neſcio, quomodo vult, & non „ vult exire læta quidem, ſed lenta oratio, dum „ certatim illi contraria imperare contendunt maje- „ ſtas, atque amor. Nempe urget ille: inhibet „ illa. Sed intervenit tua dignatio, qua hoc ipſum „ non præcipis, ſed petis; cum præcipere magis te „ deceat. Majeſtate igitur tam dignanter cedente, „ quidni cedat pudor? Quid enim ſi cathedram „ aſcendiſti? Nec ſi ambules ſuper pennas vento- „ rum, ſubduceris affectui. Amor Dominum neſcit, „ agnoſcit filium, & in infulis per ſe ſatis ſubjectus „ eſt; obſequitur ſponte, gratis obtemperat, libe- „ re reveretur. Non ſic aliqui, non ſic; ſed aut „ timore ad iſta impelluntur, aut cupiditate. Hi „ ſunt, qui in faciem benedicunt; mala autem in „ cordibus eorum. Blandiuntur coram, in neceſ- „ ſitate deficiunt. At charitas nunquam excidit. „ Ego ut verum fatear, matris ſum liberatus officio, „ ſed non deprædatus affectu. Olim mihi inviſce- „ ratus es, non tam facile erueris. Aſcende in cœ- „ los, deſcende in abyſſos; non recedes a me, ſe- „ quar te, quocunque ieris. Amavi pauperem ſpi- „ ritu; amabo pauperum, & divitum patrem. Non „ enim, ſi bene te novi, quia pater pauperum fa- „ ctus, ideo non pauper ſpiritu es. In te hanc mu- „ tationem factam eſſe confido, non de te: nec „ priori ſtatui tuo ſucceſſiſſe promotionem, ſed „ acceſſiſſe. Monebo te proinde, non ut magiſter, „ ſed ut mater; plane ut amans. Amens magis vi- „ dear; ſed ei, qui non amat, ei, qui vim non ſen- „ tit amoris. „

Verum hæc & ejuſmodi alia, animis aliunde jam bene affectis, certe non infenſis, faciliora: hoc opus, hic labor eſt conciliare, & parare eos, qui odio, aut præjudicatis opinionibus laborant, vel ne audire quidem dicentem ſuſtinent.

Tales exempli gratia nactus eſt Athenagoras in *Legatione*, ſeu Apologia *pro Chriſtianis* Imperatori Marco Aurelio, ejusque filio Commodo oblata, quam a benevolentiæ captatione perpetua, eaque ſingulari Suffridus Petri, Nicolaus Cauſſinus, Nicolaus le Nourry, Prudentius Maran, aliique impenſe commendarunt. Sic autem poſt initium orationis ejus inquit:

„ Ac nos quidem magni, minorisve criminis ſi „ quis arguere habeat, non deprecamur pœnam, „ ſed acerbiſſimam, & ſæviſſimam quamque nobis „ infligendam cenſemus: ſin autem in ſolo nomine „ hæret accuſatio (hactenus enim quod de nobis „ dictitant, promiſcuus eſt, & temerarius homi„ num rumor, nec ullus malefacti Chriſtianus con„ victus eſt) veſtrum jam fuerit, maximi, & hu„ maniſſimi & literatiſſimi Reges! injuriam a nobis „ lege propulſare, ut quemadmodum in toto orbe „ & unumquemque & civitates beneficia veſtra „ complectuntur, ita & nos gratiam vobis habea„ mus, gloriantes, quod calumniis appeti deſie„ rimus. Neque enim veſtræ æquitatis eſt, ut „ alii quidem, ſi in judicium de crimine aliquo vo„ centur, non ante puniantur, quam convicti fue„ rint: in nobis autem plus nomen valeat, quam „ in judicio argumenta; non id inquirentibus ju„ dicibus, utrum reus aliquid mali admiſerit, ſed „ nomini tanquam ſceleri notam inurentibus. Nul„ lum autem nomen in ſe, & ſua ſponte bonum, „ aut malum cenſetur; ſed propter ſubjectas illis „ bonas aut malas actiones bona, aut mala viden„ tur. Sed hæc clarius ipſi perſpicitis, utpote in

„ Phi-

„ Philoſophia & eruditione omni verſati. Pro-
„ pterea & qui apud vos judicantur, etiamſi maxi-
„ mis de criminibus in judicium vocati fuerint, con-
„ fidunt tamen; cum futurum intelligant, ut in eo-
„ rum vitam inquiratis, ac neque nominibus, ſi
„ inania fuerint, neque accuſationum criminibus,
„ ſi falſa, moveamini, & damnantem ſententiam
„ eodem judicii ordine, ac abſolventem experiun-
„ tur. Quod igitur commune jus eſt omnium,
„ nos quoque poſtulamus, ut nequaquam odio ha-
„ beamur, & puniamur, quia dicimur Chriſtiani
„ (quid enim nobis hoc nomen ad nequitiam af-
„ fert?) ſed judicemur, de quocunque quis voca-
„ verit, ac vel abſolvamur refutato crimine, vel
„ convicta improbitate puniamur. „

Blandior eſt locus Chrysostomi *Libro* I. *adverſus oppugnatores vitæ monaſticæ, poſt initium.*

„ At enim, inquit, ſi hoc tantum mali adeſſet,
„ quod ſancti Dei, & admirabiles viri raptaren-
„ tur, laniarenturque ad tribunalia pertracti, ver-
„ berati, & alia paſſi, quæ ſupra narravimus, nul-
„ lumque hinc damnum in eorum converteretur
„ caput, qui talia perpetrarunt: tantum abeſt, ut
„ de geſtis dolerem, ut etiam de iisdem riderem
„ perquam ſuaviſſime. Nam & infantes quoties
„ ſine ſuo periculo percutiunt matres, riſum illis
„ movent copioſiſſimum, tantoque majorem vo-
„ luptatem pariunt, quanto vehementiore cum ira-
„ cundia id fecerint, ita ut effundantur, pene-
„ que dirumpantur riſu: ſin vero, dum id jugiter
„ infans, & validius facit, vulneretur aliquando,
„ ſive acu circa Zonam tunicæ matris affixa, ſive
„ radio maternis pectoribus appenſo, ferientis ma-
„ num excipiente, tunc certe, tunc miſſo riſu,
„ majore, quam is, qui percuſſus eſt, illa dolore
„ afficitur, & interim curat vulnus, de cetero
„ autem ingentibus minis vetat, ne talia agat, ne

„ forte ſimile quidpiam patiatur. Nos itaque pa-
„ ria feciſſemus, ſi puerilem hujusmodi iracundiam
„ conſpiceremus, aut eſſe hanc infantium plagam,
„ quæ non magnam ipſis perniciem inferret. Quo-
„ niam vero poſt modicum elapſum tempus, quam-
„ vis nunc furore correpti id non ſentiant, fle-
„ bunt, ejulabunt, lamentabuntur, non tali fletu,
„ quali infantes, ſed in tenebris exterioribus, &
„ in igne inextinguibili: id ipſum jam faciamus,
„ quod matres, hoc tantum diſcrimine, quod non
„ cum minis, & contumeliis, ut illæ, ſed blande,
„ & cum lenitate multa infantes hujusmodi allo-
„ quamur. „

Eos, quos noſſet, defenſionem ſuam ne audire quidem velle, dexterrime occupat Lactantius *initio Libri V.*

Plura Specimina parandi animos paſſim obvia apud Patres: Cyprianum in *Sermonibus*, & *Epiſtolis*, maxime vero initio *de Lapſis*, ubi mirum eſt, qua ſuavitate, quam tenero affectu jam gaudii de ſtantibus, jam miſerationis erga lapſos docilitatem paret ſibi, & ſeveritati illi ſuæ præludat: Athanasium in *Apologia ad Conſtantium Imperatorem:* Item apud Basilium in *Epiſtolis:* apud Nazianzenum in *Orationibus* ſive ipſummet, ſive temporis ejus conditionem ſpectantibus: apud Ambrosium in *Epiſtolis* ad Imperatores: apud Hieronymum in *Procemiis Scripturarum*, *Epiſtols* quibusdam, *Polemicis* vero omnibus, ubi invidiam ſolertia ſumma a ſe amolitur: denique apud Augustinum, Gregorium, atque Bernardum, quorum Exordia in omni genere ſcriptorum propter candorem ac temperantiam mirifice animos præparant.

Sed nemo hac in parte Chrysostomo comparandus, cujus id veluti regnum quoddam in dicendo fuit. Quam enim ſcite mox ab adventu

ſuo

ſuo Conſtantinopolin laudat *, comparatione cum Antiochia patria, unde venerat, inſtituta? quam graviter aliquoties ipſam Antiochiam prædicat ** ? qua charitate tota patris viſcera effundit *homil.* 33. *in Matth. homil.* 3. *&* 44. *in Acta &c.* quam vehemens, quam incenſum ſuorum deſiderium oſtendit *homilia de controverſia inter Petrum, & Paulum,* & magis *homilia de pœnitentia, cum rure ipſe rediiſſet?* quomodo gratulatur ſibi de profectu, & emendatione quorumdam *homil.* 9, *&* 19. *ad populum*, *homil.* 11. *in Acta*, & quoties nempe illud licebat? qua facilitate idem exacerbatos populi animos verſat *Sermone de recipiendo Severiano*, & præ omnibus *homilia* illa *in Eutropium*, qua, etſi fere extemporali, ita ſenſim auditores compoſuit, ut præter id, quod petebatur, & ſperari vix poterat, lacrimas præterea darent? quam callide cum alias, tum *hom.* 13. *in ad Epheſios* laudat mulieres, ne, quod ſæpius notare eas oportebat, alieniores haberet! quam leniter, quam amanter tractat Theodorum lapſum, juniorem viduam, & Stagirium mœrore confectum? qua modeſtia, quam admirabili demiſſione, cathedræ recens admotus, faſcinat animos, & conciones futuras auſpicatur? Dies me deficeret, ſi ejus omnia vel nominare tantum vellem: ſed & infra, ubi de *Modeſtia*, de *dexteritate in reprehendendo &c.*, exempla non pauca, quæ trahi huc poterant, recenſebo.

Hæc & ſimilia legant, quotquot ad concionem dicunt, etſi plures jam annos in ſtudio iſto poſuiſſent. Diſcent exinde non illam ſolum, tritam quidem, ſed lubricam viam tenere, ut laudent, vel palpent potius auditorem. Quo ſane prudentiores averti neceſſe eſt, non attrahi; cum ſit nihil putidius

* *Homil.* 11. *contra Anomœos.*

** *Homil.* 17. *ad popul.* Et *homil.* 4. *in illud Eſaiæ:* Vidi Dominum.

dius aſſentatione, præſertim in muneris hujus tanta majeſtate. Quam in rem ſapientiſſime ut ſolet divus Salesius *Inſtructionis* ſuæ *c.* 5. de hoc ipſo artificio loquens admonuit, Apoſtolum, & Patres non in laudibus, præſertim curioſe elaboratis, ſtitiſſe, verum deſiderio ſalutis, affectuque ſincero benevolentiam ſuorum captaviſſe. Et jam ante Salvianus *initio Libri* 8. *de gubernat. Dei* modum oſtendit in laudatione tenendum loco juſto, & eleganti, qui ſane ſit lectu quam maxime dignus. Quamquam ſi apud aliquos in veram adulationem laus illa jam degenerarit, nihil ſit illis præſentius, quæ Libro primo (ubi *de Perſona Patrum*) ſatis copioſe expenſa, & ventilata ſunt. Præcipue autem in cauſis gravioribus, & delicatis Patres imitemur. Tum enim, quod difficile aliquid petitur, nunquam poteſt ſatis benevolentiæ acquiri. Illi vero talia aggreſſi non timidas quasdam formulas, non ſollicitationes, & blanditias abhibent, ſed ingentem potius fiduciam præferunt, quam cum in ipſa cauſa, tum in auditoribus collocaſſent. Ita ſæpe Chrysostomus, præſertim ubi ad publicas eleemoſynas, vitamque monaſticam hortabatur, & juramenta abrogatum ibat: ita Augustinus de epulis Leontinis: ita alii complures aliis in argumentis fecerunt. Hoc ipſum enim quam maxime afficit ingenuos homines, eſtque non ſolum magnæ mentis, ſed artis quoque eximium ſpecimen. Nam: *qui præſumit de eo, quem rogaturus eſt*, ait Hieronymus *, *ipſa quodammodo præſumptione præjudicat, ne ei negare liceat, quod rogatur.*

CA-

* *Loco ſupra initio capitis citato.*

CAPUT II.

Specimina Perſpicuitatis *Patrum in docendo.*

Equidem libro primo *de Fine Patrum* jam dicta ſunt quædam de claritate, ſed potiſſimum in delectu materiæ, quæ proin res, non modum concernant. Iſtud autem huc differendum fuit, ut ad proprium ſcilicet locum, & ubi Patres nihil diſſentiunt a profanis oratoribus *. Porro perſpicuitatem in docendo, curamque ſingularem, uti calamum ad captum eorum, quorum intererat, temperarent, pro dote primaria Patres habuerunt. Et ſane dicimus, ut doceamus, neque ad unum aliquem, aut ad plures delectu habito, verum ad promiſcuam multitudinem, & quicunque ad audiendum confluxerint, rudes & doctos, fœminas, ac viros, juvenes, & ætate provectos. Qua ipſa de cauſa ſanctiſſimi viri alios quoque hortati impenſe ſunt, uti virtutis ejus, cujus tanta ad omnes neceſſitas foret, magnam ubique, imo præcipuam rationem haberent. Et de verbis quidem claris, dilucidis, uſitatis frequentiſſime. Sic Julianus Pomerius *Sermonem* cupit *ſimplicem*, *apertum*, *ut ab intelligentia ſui nullos*, *quantumvis imperitos excludat* **. Ambroſius vero *Epiſtola* 2. *ad Conſtantium*, *olim* 44. *&* 19. nec ullum verbum noſtrum in vanum, ac ſine ſenſu prodire vult. Auguſtinus *Libro IV. de doctrin. Chriſtian. cap.* 10. pariter jubet eum, qui docet, *vitare omnia verba, quæ non docent. Quid enim*, addit, *prodeſt dictionis integritas*, *quam non ſequitur intellectus audientis*, *cum loquendi omnino nulla ſit cauſa*, *ſi*, *quod loquimur*, *non*

* Vide Quintilianum *Libro VIII. cap.* 2. qui etiam *L.* 2 *cap.* 3. primam eſſe eloquentiæ virtutem perſpicuitatem affirmat.

** *Libro I. de vita contemplativ. c.* 23.

non intelligunt, propter quos, ut intelligant, loquimur?

Nam cum animas omnes, uti ſunt revera, æquales illi ducerent, ac vel tenuiſſimos homines, poſtquam Chriſti ſanguine reſperſi eſſent, velut purpura ornatos intuerentur: animadverterent præterea omnes æque doctrina, ſolatio, monitis indigere, & communis inimici fraudibus patere, timere merito poterant, ne forte quorumdam ſenſa, ſermo, & methodus ipſa docendi ejusmodi eſſent, quæ interprete, aut ingenio opus haberent. Tacent ſub concione cuncti ad unum aliquem audiendum, ut denuo Augustinus advertit: ſi quid ergo minus forte ſit intellectum, non licet quærere, non rogare, ut repetatur, vel explicetur clarius; ſic enim & qui dicit, interpellaretur, & turbarentur ipſi auditores. Itaque in eo induſtriæ plurimum ponendum eſt, ne quid ſit vel minimum, quod parum forte ab aliquibus capiatur. Certe debilitate audientium omnia Patres metiebantur. Studio ſeligebant faciliora, ſed verbis quoque uſitatis, & lente pronuntiatis, exemplis, ſimilibus, deſcriptionibus ſingula explicabant, quodque maxime perſpectum vellent, iisdem adeo phraſibus repetebant, diducebant, inculcabant, eum melius ceteris dixiſſe rati, qui planius a quam plurimis faciliusque intellectus eſſet *. Quod ſi quis vitio vertere iis velit, cogitet ſane, ipſi Demoſtheni ſolenne hoc fuiſſe, cujus vel ſolius exemplum plus valere apud nos debet exemplis omnium reliquorum. Hic enim non ſolum argumenta, ſed ipſa quoque verba multis locis repetit ſtudioſe. Quod ſane ad ſcopum maxime intentus non alia de cauſa ille faciebat, quam quo ma-

* Vide S. Athanaſium de *Incarnat. Verbi Dei, ante medium*, ubi diſerte docet, melius eſſe, ſi dicatur, ſe identidem aliqua repetere, quam non plene, apertiſſimeque explicare.

magis infigerentur animis, quæ ante alia volebat perſuadere, melius ducens, ſi redundaret aliquid, quam ſi deeſſet. Atqui hoc ipſum, ni fallor, hodie piaculi loco foret, & in ſacris quoque oratoribus, præſertim Gallis tantum non intolerabile videretur. Me vero minus multo iſtuc offendat, quam ipſa illa cura eadem aliis ſemper, aliiſque verbis dicendi; qua ſane ars non proditur tantum, ſed tralucet plane, atque una etiam anxietas quædam, aut violentia potius, quam ſibi maximam faciunt, & quæ, ut ille ait, hoc ipſo peccat, quod plane nihil uſpiam vult peccare.

Equidem non in ea opinione ſum, ut dicam, omnes Patres hac perſpicuitate excellere: fateor potius ingenue, obſcuritatis quoſdam ab illis etiam poſtulari, de quorum in judicando æquitate ambigere nequaquam poſſis. Sic Lactantius Tertullianum, Hieronymus eundem, & Victorinum, & Hilarium, & Auguſtinum ea de re notavit. Ambroſium plures hodieque ob crebritatem, & abruptiones ſententiarum dicunt obſcurum, & vero etiam experiuntur. Sed nempe Tertullianus & Hilarius non dixerunt ad populum. Certe hic in commentariis demittit ſe plurimum. Sed & ille in locis quibusdam communibus multo eſt facilior, quam ubi cum Ethnicis, atque hæreticis digladiatur. Auguſtinus morem gentis ſuæ ſecutus eſt, cui proin minime obſcurus fuit. Ambroſii conciones, uti habitæ ſunt, ad nos non pervenerunt. Itaque brevitas ea, & abruptum ſermonis genus, quando otioſum, & peritum lectorem nanciſcitur, virtutis etiam locum poteſt obtinere. Ibi enim minus fallit, atque in concione, ubi verba transvolant, neque expectant, dum repetantur. Sed nec oſcitare ſinit, minus ea, quæ graviora ſunt ceteris, depropera-re. Ceteri Patres ſive Græci, ſive Latini plerique inſtar pellucidi fontis fluunt, & loquuntur clariſſi-

 me.

me. Quod ſi apud nonnullos reperimus, quæ obſcuriſſime dicta videntur, illud cogitare debemus, locutos, ut tum tempora ferebant, ut ceteri dicebant, atque ſcribebant, proin a ſuis longe facilius, & nullo fere negotio percipi eos potuiſſe. Quemadmodum ergo nobis illorum multa obſcura ſunt, ſic tum illis obſcura fuiſſent plurima, quæ manifeſta nobis videntur, & ipſa luce clariora *.

Neque ea præcipua laus eſt claritatis eorum; quando ſolertia præterea memoranda eſt, & ſtudium quoddam imprimendi penitiſſime, & tantum non inſculpendi, quo ac ſi necdum ſatis rem declaraſſent, non deſiſtunt, dum ex ſignis aliquibus colligant, ſe plane ab omnibus, etiam infimis intellectos. Adeo perite tractabant rudiora ingenia, adeo non onerabant diſcentium infirmitatem, ſed attemperando vires ingenio audientis ad eum veluti deſcendebant. Cum enim probe ſcirent, quantum poſſent recipere, ut alias ex GREGORIO, & QUINTILIANO dictum, plebejos tanquam anguſti oris vaſcula reſpiciebant, quæ humorem copioſe ſuperfuſum reſpuunt: contra, ubi ſenſim manat, & inſtillatur, totum admittunt. In quo vel ejus rei eſt ratio habita, quod auditor, etiam peritus, non ſemper attendit dicenti, ut obſcura expendat apud ſe, tenebras diſcutiat, & rebus difficilibus intelligentiæ ſuæ quoddam lumen inferat: ſed diſtrahitur frequenter, & cogitationibus longiſſime avocatur. Unde tam clara eſſe debent, quæ dicimus, ut animum ejus oratio ultro, velut ſol oculos, etiamſi non inten-

* Ennodium excipio, qui in plurimis non ætatis ſolum vitio obſcurus eſt, ſed tumidum quid, & abſtruſum ultro etiam affectare mihi videtur. Addi poſſunt Dionyſius, Juſtinus, Clemens Alexandrinus, &c. qui ut maxime potuiſſent, ſtudio tamen nolebant eſſe clariores. Id quod cum ipſimet indicant, tum vero Critici ſæpiſſime animadvertunt.

intendatur, incurrat. Igitur Patres non ſolum, ut intelligere auditores poſſent, curabant, ſed ne omnino poſſent non intelligere, efficiebant; ad hoc videlicet tantum ſtudii ubique adhibentes, quantum nos ad elegantiam adhibemus. Audiamus AUGUSTINUM, qui *Libro de Catechiz. Rud. cap.* 2. ita de ſe ingenue fatetur: „ Nam & mihi prope ſemper „ ſermo meus diſplicet. Melioris enim avidus ſum, „ quo ſæpe fruor interius, antequam eum explicare „ verbis ſonantibus cœpero: quod ubi minus, quam „ mihi notus eſt, evaluero, contriſtor, linguam „ meam cordi meo non poſſe ſufficere. Totum „ enim quod intelligo, volo, ut, qui me audit, „ intelligat, & ſentio, me non ita loqui, ut hoc „ efficiam; maxime quia ille intellectus quaſi rapida coruſcatione perfundit animum, illa autem „ locutio tarda, & longa eſt, longeque diſſimilis, „ & dum iſta volvitur, jam ſe ille in ſecreta ſua „ condidit. Tamen quia veſtigia quædam miro „ modo impreſſit memoriæ, perdurant illa cum „ ſyllabarum morulis, atque ex eisdem veſtigiis „ ſonantia ſigna peragimus, quæ lingua dicitur vel „ latina, vel græca &c. Nos autem plerumque in „ auditoris utilitatem vehementer ardentes, ita loqui volumus, quemadmodum tunc intelligimus, „ cum per ipſam intentionem loqui non poſſumus: „ & quia non ſuccedit, angimur, & velut fruſtra „ operam inſumamus, tædio marceſcimus, atque ex „ ipſo tædio languidior fit etiam ſermo, & hebetior, quam erat, unde perduxit ad tædium. Sed „ mihi ſæpe indicat eorum ſtudium, qui me audire „ cupiunt, non ita eſſe frigidum eloquium meum, „ ut videtur mihi, & eos inde aliquid utile capere, „ ex eorum delectatione cognoſco, mecumque „ ago ſedulo, ut huic exhibendo miniſterio non „ deſim, in quo illos video bene accipere, quod „ exhibetur. „

Ita de ſe AUGUSTINUS. Quoties vero HIERONYMUS ait, ſe ſtylum temperare, & ſermonem rudiorum cauſa de induſtria dejicere? quoties CHRYSOSTOMUS infimæ plebi familiaris fit? quoties alii, ut intelligantur facilius, veluti balbutiunt? Nempe ubi utrumque, claritas ſcilicet, & elegantia conjungi non poterant, nec ornate ſimul licebat, ac perſpicue loqui, quod minus utile, minusque neceſſarium fuit, alteri locum cedere omnino oportebat. Et recte proteſtantur Patres, non tam curare ſe, quod bene ſonet, quam quod bene declaret, ac delicatioribus quibusdam illud reponunt, loqui nos, ut intelligamur, verba rebus, non res verbis accommodandas, meliusque multo eſſe, ut ipſi reprehendant dicentem, quam ut docentem ceteri non aſſequantur. Quod enim iſtis prodeſſet, ipſis nihil officere, cum nihilominus intelligant rudibus ruditer expoſita: non contra rudes capiant, quæ eloquentium gratia eloquentius dicerentur. Fere uti in cibis uſuvenit, ex quibus qui adultis apponuntur, & lautiſſimi ſunt, infantibus venenum potius, quam alimentum miniſtrant: e diverſo robuſtioribus etſi non ſapiant magnopere, tamen nutrimento eſſe poſſint cibi omnes parvulorum. Atque hoc ipſum non vitium, ſed virtus eloquentiæ dicendum. *Eloquentem* *, ait S. ISIDORUS PELUSIOTA, *ego hunc eſſe ſtatuerim, qui id, quod animo concepit, perſpicua oratione demonſtrare poteſt, non qui doctiſſimis, & ſublimiſſimis verbis ea etiam, quæ clara, & dilucida ſunt, obſcurat. Ille ſiquidem, quod latet, in lucem profert: hic illud etiam, quod omnibus perſpicuum eſt, in tenebris occultat, eoque nomine ille, ut qui auditoribus prodeſſe cupiat, ampliſſimis laudibus celebratur: hic contra, ut qui gloriæ ſuæ cupiditate flagret, honoris, ac præmii expers relinquitur.*

Sed

* *Libro III. epiſt. 42.*

Sed neque illud debemus omittere, Patres hac dicendi ratione non ſolum inde tædium non cœpiſſe, quod nos capimus, ſed contra ſummam potius & liquidiſſimam voluptatem. Amor ſuorum faciebat, ut uſitatiſſima, quæ loquebantur, & inculcabant quotidie, veluti nova ipſis apparerent, quemadmodum gratis hoſpitibus, ubi primum in urbem adveniunt, ea etiam veluti nunc primum cognita libenter, & jucunde oſtendimus, quæ aſſiduitate videndi jam pridem nobis viluerunt. Atque ut de triviali etiam dictione ſimilitudinem repetamus; quemadmodum parentes non repetita ſolum, ſed decurtata quoque, & mutilata verba delectat infantulis immurmurare, idque officii cum deſiderio magno exhibent; vel ſicut matribus quibusdam ſuavius eſt, quando iisdem puſionibus fruſtula prius commanſa in os inſpuunt, quam cum ipſæmet mandunt, & glutiunt grandiora; ſic & Patres multo magis juvabat loqui, ut populo, quam ut genio, & conſuetudini ſuæ congruebat. Quo ſane exemplo Paulum imitati mihi perfectiſſime videntur, qui recens converſis, ut ipſe monet, quo magis in Chriſto adoleſcerent, lac potum dedit, non ſolidum cibum: qui infirmis factus eſt infirmus, ut infirmos lucrifaceret, & velut nutrix infantibus blandiebatur, & colludebat, ſe ipſum, certe amorem ſuum, quacunque poſſet ratione, communicaturus. Sed quid Apoſtoli exemplum ego commemorem, quando ſublimius longe, atque perfectius in ipſo Servatore propoſitum eſt? nam & hunc ſcimus, uti formam ſervi accepit, ita & ſermonem plebis aſſumpſiſſe, parabolasque & ſimilia locutum, denique ad hominum rudiſſimorum ingenia totum finxiſſe ſe, & attemperaſſe.

Hæc longiuſcule quidem, verum haud inutiliter de Patrum claritate præfati ſumus. Vide Augustinum *Libro IV. de doctrina chriſtiana*, & *Libro de*

de Catechizand. rudib. ubi habemus œconomiæ hujus fuſa, atque aurea prorſus documenta, ex quibus pro jure noſtro profeciſſe nos fatemur, & delibaſſe non pauca. Ethnicos ſtudio non allegavi; & ſufficit monere, non Philoſophos tantum eorum nove multa dixiſſe in gratiam diſcipulorum, verum & alios, quotquot idem ſuo loco fecerant, magnam propterea laudem vel ab ipſis oratoribus retuliſſe. Sed nunc Exempla perſpicuitatis ejus danda ſunt, non multa illa quidem, verum ejusmodi, quæ palam omnibus faciant, quo ſtudio, quanta ſolertia huc intenderint ſummi illi, atque ſanctiſſimi viri.

Lactantius oſtendere volens vindictam etiam lege naturæ prohiberi, doctrinam hanc neque obviam, neque facilem admirabili claritate exponit *Libro VI. Inſtit. divin. cap.* 18. Allegato enim Cicerone, qui contrarium docuerat, virumque bonum eum dixerat *qui proſit, quibus poſſit, noceat nemini, niſi laceſſitus injuria*, ita loquitur:

„ O quam ſimplicem, veramque ſententiam „ duorum verborum adjectione corrupit! Quid „ enim opus fuerat, adjungere, *niſi laceſſitus injuria*? ut vitium bono viro quaſi caudam turpiſſimam apponeret; patientiæque, quæ omnium virtutum maxima eſt, faceret expertem? Nocitu„ rum eſſe dixit bonum virum, ſi fuerit laceſſitus: „ jam ex hoc ipſo boni viri nomen amittat neceſſe „ eſt, ſi nocebit. Non minus enim mali eſt referre „ injuriam, quam inferre. Nam unde certamina „ inter homines, unde pugnæ, contentionesque „ naſcuntur, niſi quod improbitati oppoſita impa„ tientia magnas ſæpe concitat tempeſtates? Quod „ ſi patientiam, qua virtute nihil verius, nihil ho„ mine dignius inveniri poteſt, improbitati oppo„ ſueris, extinguetur protinus, tanquam ſi igni „ aquam ſuperfuderis. Sin autem provocatrix illa

„ im-

„ improbitas impatientiam ſibi comparem nacta eſt, „ tanquam perfuſa oleo, tantum excitabit incendium, ut id non flumen aliquod, ſed effuſio cruoris extinguat. Magna itaque patientiæ ratio eſt, „ quam ſapiens homo (Cicero) ademit bono viro. Ut enim nihil malorum fiat, hæc ſola efficit, quæ ſi detur omnibus, nullum ſcelus, nulla „ fraus in rebus humanis erit. Quid ergo bono „ viro poteſt eſſe tam calamitoſum, tamque contrarium, quam iræ fræna permittere, quæ illum „ non modo boni, ſed etiam hominis appellatione „ deſpoliet? ſiquidem nocere alteri, ut ipſe veriſſime ait, non eſt ſecundum hominis naturam. „ Nam & pecudes, ſi laceſſas, aut calce, aut cornu „ repugnant; & ſerpentes, ac feræ, niſi perſequaris, ut occidas, negotium non exhibent: & ut „ ad hominum exempla redeamus, imperiti quoque, & inſipientes, ſi quando accipiunt injuriam, cœco & irrationabili furore ducuntur, & „ iis, qui ſibi nocent, vicem retribuere conantur. „ In quo igitur ſapiens, ac bonus vir a malis, & „ inſipientibus differt, niſi quod habet invictam „ patientiam, qua ſtulti carent, niſi quod regere „ ſe, ac mitigare iram ſuam novit, quam illi, quia „ virtute indigent, refrænare non poſſunt? Sed videlicet hæc illum res feſellit, quia cum de virtute „ loqueretur, in quacunque contentione vinceret, „ putavit eſſe virtutis, nec videre ullo modo potuit, „ hominem dolori, & iræ ſuccumbentem, & iis „ affectibus indulgentem, quibus debet potius reluctari, & ruentem, quacunque improbitas provocarit, virtutis officium non tenere. Qui enim „ referre injuriam nititur, eum ipſum, a quo læſus „ eſt, geſtit imitari. Ita qui malum imitatur, bonus eſſe nullo pacto poteſt. Duobus igitur verbis duas virtutes maximas bono & ſapienti viro, „ innocentiam, patientiamque detraxit. Sed quia

„ ipſe caninam illam facundiam, ſicut Salluſtius ab „ Appio dictum refert, exercuit, voluit quoque „ hominem canino modo vivere, ut remordeat la- „ ceſſitus. Quæ retributio contumeliæ quam per- „ nicioſa ſit, & quas edere ſoleat ſtrages, unde „ opportunius petetur exemplum, quam ex ipſius „ doctoris triſtiſſimo caſu, qui dum his philoſopho- „ rum præceptis obtemperare geſtit, ipſe ſe perdi- „ dit? Quod ſi laceſſitus injuria patientiam tenuiſ- „ ſet, ſi diſſimulare, ſi ferre contumeliam boni viri „ eſſe didiciſſet, nec illas nobiles orationes alieno „ titulo inſcriptas * impatientia, & levitate, & „ inſania profudiſſet: nunquam capite ſuo roſtra, „ in quibus ante floruerat, cruentaſſet, nec rem- „ publicam funditus proſcriptio illa deleſſet. Sa- „ pientis ergo ac boni viri non eſt, velle certare, „ ac ſe periculo committere, quoniam & vincere „ non eſt in noſtra poteſtate, & eſt anceps omne „ certamen: ſed eſt ſapientis, atque optimi viri „ non adverſarium velle tollere, quod fieri ſine „ ſcelere, ac periculo non poteſt, ſed certamen „ ipſum, quod fieri & utilitur & juſte poteſt. „ Summa igitur virtus habenda patientia eſt, qua „ ut non careret homo juſtus, voluit illum Deus, „ ut ſupra dictum eſt, pro inerte contemni. Niſi „ enim contumeliis fuerit affectus, quantum habeat „ fortitudinis in ſe ipſo cohibendo, ignorabitur. „ Quod ſi laceſſitus injuria lædentem perſequi cœ- „ perit, victus eſt: ſi vero motum illum ratione „ compreſſerit, hic plane imperat ſibi, & hic re- „ gere ſe poteſt. Quæ ſuſtentatio ſui patientia no- „ minatur, quæ una virtus omnibus eſt oppoſita „ vitiis, & affectibus. Hæc perturbatum, ac flu- „ ctuantem animum ad tranquillitatem ſuam revo- „ cat, hæc mitigat, hæc hominem ſibi reddit. „ Ergo

* *Philippicas* ſignificat.

„ Ergo quoniam naturæ repugnare impoſſibile eſt, „ & inutile, ut non commoveamur omnino, prius „ tamen quam commotio illa proſiliat ad nocen- „ dum, quoad fieri poteſt, maturius ſopiatur. „

S. Athanasius *oratione contra gentes, poſt medium* ita animam humanam rationalem, ac ſpiritualem eſſe oſtendit, ut vel ab infima plebe poſſit intelligi: Cum enim diceret viam ad cognitionem veræ Deitatis intra nos ipſos eſſe, ſic proſequitur:

„ Si quis vero interrogaverit, quænam tandem „ illa ſit via, uniuſcujusque animam, & animæ „ mentem eſſe reſpondeo. Sola enim mente Deum „ contemplari, & intelligere valemus: niſi forte, „ quemadmodum Deum eſſe negant impii, ita ani- „ mam quoque ſe habere inficientur: quod quidem „ veriſimilius quam cetera dixerint. Nec enim men- „ tem habentium eſt, mentis auctorem, & opifi- „ cem Deum negare. Itaque rudium hominum „ gratia paucis oſtendere neceſſe eſt, ſingulis ho- „ minibus eſſe animam ratione præditam, præſer- „ tim cum id negent nonnulli hæretici, qui ho- „ minem nihil amplius eſſe arbitrantur, quam cor- „ poris externam ſpeciem: ut nimirum ea re a no- „ bis demonſtrata, ipſis evidentius adverſus idola „ argumentum per ſe ipſos habere poſſint. Pri- „ mum ergo nec parvum indicium eſt, hominum „ animam ratione præditam eſſe, quod a belluis, „ quæ rationis ſunt expertes, differat. Siquidem „ idcirco belluas animalia irrationalia appellare na- „ tura conſuevit, quia hominum genus rationale „ eſt. Deinde nec illud etiam ad id probandum le- „ vi eſt momento, quod ſolus homo res abſentes, „ & extra ſe poſitas animo, & cogitatione com- „ prehendat, quod eadem ſecum ſæpius examinet; „ ac perpendat, idque quod inter ea, quæ cogitat, „ ſibi melius viſum fuerit, judicio eligat. Nam „ belluæ ſola præſentia cernunt, & ad ea tantum,

„ quæ

„ quæ ante oculos ſunt poſita, impetu feruntur,
„ etiamſi poſtea damnum aliquod ſequatur. At ho-
„ mo non ita ad ea, quæ videt, cum impetu rapitur,
„ ſed ratione, & cogitatione ea, quæ cogitavit,
„ iterum recogitat. Denique quisquis veritatis ama-
„ tor eſt, hominum mentem aliam omnino eſſe
„ a corporis ſenſibus, ſe in ſe ipſo ſentire fatebitur.
„ Quia ergo mens alia eſt a ſenſibus, ſenſuum ipſa
„ judex eſt, & quæ illi apprehenderint, ipſa di-
„ ſcernit, & reminiſcitur, quidque melius fuerit,
„ illis commonſtrat. Namque oculorum eſt tan-
„ tum videre: aurium audire: oris guſtare: na-
„ rium olfacere: manuum tangere; ſed quæ vide-
„ re, audire, tangere, guſtare, & olfacere con-
„ veniat, non ſenſuum, ſed animæ, ejusque men-
„ tis eſt dijudicare. Manus quidem gladium acci-
„ pere, & os venenum guſtare poteſt, ſed hæc
„ nocere neſcit, niſi mens diſcernat. Ut autem
„ rem aliqua comparatione, & imagine illuſtre-
„ mus, id nobis ſimile videtur lyræ apte diſpoſitæ,
„ & muſico, qui ea cum arte utitur. Nam ut in
„ lyra nervi ſinguli proprium ſonum habent, alius
„ gravem, acutum alius, alius medium, alius
„ acutiſſimum, alius denique alium, quorum om-
„ nium concentus, & compoſitio niſi a viro hujus
„ artis perito diſtingui, & diſcerni non poteſt;
„ tunc enim ſuavem harmoniam, & gratiſſimum
„ concentum efficiunt, cum is, qui lyram tenet, ner-
„ vos pulſat, & ſingulos apte tangit. Eodem mo-
„ do ſenſibus in corpore inſtar lyræ diſpoſitis, cum
„ perita mens illis præiverit, tunc diſcernit, & no-
„ vit anima, quid faciat, quidve agat. Id autem
„ hominum duntaxat eſt proprium, ipſaque eſt ani-
„ mæ facultas ratiocinandi, qua utendo differt illa
„ a belluis, & ſe diverſam eſſe ab exteriore corpo-
„ ris ſpecie manifeſte teſtatur. Hinc homo ſæpe
„ jacente in terra corpore cœleſtia cogitat, & con-

„ tem-

„ templatur. Sæpe item nihil agente, quieſcente, „ & dormiente corpore, intus homo movetur, „ resque extra ſe poſitas intuetur, remotas regio- „ nes petit, & peragrat, amicis, notisque occur- „ rit, nec raro per hæc, quid per diem acturus ſit, „ prænoſcit, & præſagit. Quid vero aliud id eſſe „ poteſt, quam anima rationis particeps, qua ho- „ mo ea, quæ ſupra ſe ſunt cogitat, & intelligit? „ Sed & illud quoque ad penitus coërcendam eo- „ rum impudentiam, qui animam ratione privant, „ addere juvat: Qui ſit, ut cum corpus natura „ mortale ſit, homo de immortalitate cogitet, ſæ- „ peque mortem virtutis amore expetat? qui ſit, „ ut cum corpus per aliquod tantum temporis ſpa- „ tium duret, æterna homo meditetur. atque id- „ circo præſentia contemnat, & ad bona illa futura „ tendat deſiderio? Certe ipſum corpus nihil tale „ de ſe ipſo, nec res extra ſe poſitas poteſt cogita- „ re. Namque mortale eſt, nec niſi per aliquod „ tempus durat. Neceſſe eſt autem illud, quod „ contraria naturæ corporis cogitet, aliud eſſe „ a corpore. Quidnam porro illud fuerit, niſi ani- „ ma rationalis, & immortalis? Nec enim foris, ſed „ intus ipſa corpori, ut muſicus lyræ, quod me- „ lius congruerit, ſonat. Enimvero quare, cum „ oculus ad videndum natura aptus ſit, & auris ad „ audiendum, alia tamen refugiunt, alia eligunt. „ Quis enim oculum a videndo avertit? vel quis „ aurem, cui naturalis eſt audiendi facultas ab au- „ diendo arcet? quis guſtatum ad guſtandum ex „ natura idoneum ſæpe a naturali appetitu refræ- „ nat? quis item manum ex natura ad agendum „ aptam ab aliquibus rebus tangendis cohibet? quis „ odoratum ad odorandum factum ab odorando „ cohibet? quis, inquam, iſta omnia contra naturam „ corporis efficit? qui ſit, ut corpus ab eo, quod „ ſibi naturale eſt, abhorreat, & alius conſilium

„ ſequatur, atque ad ejuſdem nutum regatur? „ Hæc ſane omnia nihil aliud probant, quam animam rationalem corpori præſidere. Nec enim „ ſeipſum corpus poteſt impellere, ſed ab alio agi„ tur, & fertur, uti neque equus ſe ipſum regit, „ ſed ab equite regitur, & agitatur. Eam ob rem „ leges boni agendi, & mali fugiendi hominibus „ datæ ſunt. At belluæ nec expendere, nec diſcer„ nere mala queunt, utpote quæ ratiocinandi, & „ cogitandi facultatis ſint expertes. Itaque ex his, „ quæ ſupra dicta ſunt, probatum fuiſſe arbitror, „ homines anima rationali eſſe præditos.„

CHRYSOSTOMUS quoque ſingulis paginis oſtendit, quantum tribuat claritati in docendo populo; ita paulatim attentionem acuit: ita velut facillimo & declivi itinere ducit: ita præparat omnia, quæ juvant, quæ vero obſtant, amolitur: ita demum cavet, ne vel obruat memoriam, vel captum excedat. En locum ex *homilia 60. in Matth.* ubi rem difficillimam maximeque implexam oratione illuſtrat; nam de cauſa peccati agit, atque in illud: *Neceſſe eſt, ut veniant ſcandala* commentatur:

„ Si neceſſe ſit, inquit, ut veniant ſcandala, di„ xerit fortaſſe quiſpiam ex adverſariis, cur miſe„ rum prædicat mundum, cum illi opitulari, & „ manum porrigere oporteret? hoc quippe eſt me„ dici, & patroni: illud vero cujuslibet e vulgo „ hominis. Quid igitur adeo impudenti linguæ „ reſpondeamus? ecquid huic curationi par reperire „ poſſis? Nam Deus cum ſit, homo factus eſt pro„ pter te, & ſervi formam accepit, atque turpiſſima „ omnia paſſus eſt. Nihil prætermiſit, quod ad ſe „ pertineret: ſed quia ingrati homines nihil hinc „ boni conſecuti ſunt, ideo illos miſeros prædicat, „ quod poſt curationem tanta in infirmitate manſe„ rint. Ac ſi quis ægrum egregie curatum, qui „ noluerit medicorum legibus obſequi, lugens di„ xerit:

„ xerit: Væ illi homini ab infirmitate, quam per „ ignaviam ſuam auxit. Sed illic quidem nihil ex „ luctu utilitatis accedit: hic vero ſpecies eſt cura„ tionis, cum id, quod eventurum eſt, prædicitur, „ & miſerum prædicatur. Plerique enim ſæpe ex „ conſilio nihil utilitatis acceperunt, ex fletu vero „ multum adjuti ſunt. Ideo maxime yæ illud ap„ poſuit, illos excitans, ac diligentiores efficiens, „ vigilantioresque. Adhæc benevolentiam quoque „ ſuam erga illos, atque manſuetudinem ſuam ex„ hibet, dum repugnantes luget, non ægre ferens „ modo, ſed etiam emendans tam ex fletu, quam „ ex prædictione, ut illos ad ſanam mentem revo„ cet. Et quomodo, inquies, id fieri poteſt? nam ſi „ neceſſe eſt, ut veniant ſcandala, quomodo hæc „ effugere poterimus? Quia neceſſe quidem eſt, ut „ veniant ſcandala, perire autem neceſſe non eſt. „ Quemadmodum ſi quis medicus dixerit (nihil „ enim vetat, quo minus eodem exemplo iterum „ utamur) neceſſe eſt hunc venire morbum; ſed „ non item neceſſe eſt, ut hoc morbo pereas, ſi „ animum adhibeas. Hæc cum aliis dicebat, ut „ jam monui, quo diſcipulos a ſomno excitaret. „ Ne dormirent enim quaſi ad pacem, & impertur„ batam vitam miſſi,multa & foris & intus ingruen„ tia bella declarat. Quod & Paulus ſignificabat „ his verbis: *Foris pugnæ, intus timores: pericula* „ *in falſis fratribus:* & Mileſios alloquens dicebat: „ *Inimici hominis domeſtici ejus.* Cum autem neceſ„ ſitatem dicit, non liberum arbitrium tollit, ne„ que voluntatis libertatem, neque rerum neceſſi„ tati cuipiam vitam ſubjiciens hæc ait; ſed quod „ omnino futurum erat prædicit. Quod Lucas aliis „ verbis declarat, ſic dicens: *Impoſſibile eſt, ut non* „ *veniant ſcandala.* Quid illud eſt, *ſcandala?* Im„ pedimenta rectæ vitæ. Sic in ſcena vocant agilio„ res quosdam, qui corpora pervertunt. Non igi-

„ tur prædictio ejus ſcandala adducit; abſit: ne„ que quia prænuntiavit, ideo eveniunt. Sed ideo „ prædixit; quia eventura erant, ita, ut ſi noluiſ„ ſent ii, qui illa inferunt, nunquam veniſſent, & „ niſi eventura eſſent, non prædicta fuiſſent. Quo„ niam vero quidam maligne agebant, & incura„ bili morbo laborabant, venit ille, & prædicit ea, „ quæ futura erant. At ſi illi emendati fuiſſent, in„ quies, & nullus ſcandala attuliſſet, an non di„ ctum illud falſum deprehenſum fuiſſet? Nequa„ quam. Non dicturus enim erat, ſi emendandi „ fuiſſent omnes, neque dixiſſet: *neceſſe eſt, ut ve„ niant.* Sed quia videbat non corrigendos fore, „ ideo dixit, ea omnino ventura eſſe. Et cur in„ quies, ipſe non abſtulit? Et cur tollenda erant? „ an propter eos, qui iis læduntur? At non inde „ pereunt ii, qui læduntur, ſed ex ignavia ſua. „ Idque declarant ii, qui virtutem colunt, qui non „ modo hinc nihil læduntur, ſed etiam multum „ fructum referunt. Qualis erat Job, qualis Joſeph, „ quales omnes juſti, & Apoſtoli. Quod ſi multi „ perierunt, id ex ſomno, & negligentia ſua eve„ nit. Si res non ita eſſet, & ſi ex ſcandalis per„ nicies eſſet, omnes perire oporteret. Quod ſi „ quidam effugiunt, qui non effugit, id ſibi ipſi „ reputet. Scandala enim, ut dixi, & excitant, „ & perſpicaciorem, acutioremque faciunt, non „ eum modo, qui ſibi cavet, ſed etiam eum, qui „ cecidit, cito erigunt, qui ideo cautior, captu„ que difficilior evadet. Itaque ſi vigilemus, non „ parvum inde lucrum referimus, (hoc ipſum) „ quod ſcilicet aſſidue vigilemus. Si vero inſtanti„ bus inimicis, & tot tentationibus ingruentibus „ dormiamus, quid de nobis fiet, ſi ſic tranquille „ vivamus? Si vis autem, primum hominem con„ ſidera: ſi enim pauco tempore, & fortaſſis non „ uno die in paradiſo verſans, inque deliciis in tan-

„ tum

„ tum nequitiæ proruperit, ut ſe æqualem Deo
„ fore ſperaverit, & deceptorem beneficii aucto-
„ rem putaverit, neque unicum illud præceptum
„ ſervaverit: ſi vitæ reliquam partem ſine labore du-
„ xiſſet, quid non facturus erat? His ita dictis,
„ aliam objectionem offerunt. Cur ergo Deus ta-
„ lem ipſum effecit? Non Deus talem effecit, ab-
„ ſit: non enim illum puniviſſet. Nam ſi nos,
„ quando alicujus rei cauſa ſumus, ſervos non in-
„ cuſamus, multo minus univerſorum Deus id fa-
„ ceret. Sed, inquies, unde talis effectus eſt? Ex
„ ſemetipſo, & ex ignavia ſua. Quid eſt, ex ſe-
„ metipſo? Teipſum interroga; nam ſi ii, qui mali
„ ſunt, non ex ſeipſis mali ſunt, ne ſervum tuum
„ caſtiges, nec uxorem, ſi peccaverit, increpes,
„ nec filium percutias, nec amicum incuſes, nec
„ inimicum te lædentem odio habeas. Hi quippe
„ omnes digni ſunt miſericordia, non punitione,
„ ſi non ex ſeipſis delinquunt. Sed non poſſum
„ philoſophari, inquies. Atqui ſi videris, non illo-
„ rum culpam eſſe, ſed ex alia neceſſitate id factum
„ eſſe, tunc poteris philoſophari. Nam cum ſer-
„ vus ægritudine detentus juſſa non fecerit, non
„ modo non criminaris, ſed & ſtatim ignoſcis.
„ Sic tu teſtis es, quidpiam ab ipſo, quidpiam non
„ ab ipſo eſſe. Igitur etiam hic, ſi ſcires ipſum
„ ideo malum eſſe; quia ſic natus ſit, non modo
„ non accuſares, ſed & veniam dares. Nam cui
„ propter morbum ignoſcis, propter Dei opificium
„ illi veniam non negares, ſiquidem talis ab initio
„ factus fuiſſet. Aliunde etiam illos facile confu-
„ tare poſſumus: nam veritas argumentis abundat.
„ Cur nunquam ſervum in crimen vocaſti, quod
„ non ſit vultu formoſus, quod non ſit proceriore
„ ſtatura, quod non ſit volucris? quia hæc a natura
„ proficiſcuntur. Ergo liber eſt a culpa, quantum
„ ad naturæ vitia, nemoque ibit inficias. Cum ergo

 „ accu-

„ accuſas, oſtendis certe, vitium non ex natura, „ ſed ex voluntate proficiſci. Nam ſi, cum non ac- „ cuſamus, teſtificamur, totum eſſe naturæ adſcri- „ bendum, palam eſt, quod cum increpamus, ex „ voluntate culpam eſſe declaramus. Ne itaque „ perverſa ratiocinia in medium afferas, ne ſophiſ- „ mata, & nodos araneæ telis viliores: ſed ad hoc „ rurſum mihi reſponde: nonne homines omnes „ fecit Deus? Id apud omnes in confeſſo eſt. Cur „ ergo non omnes ſecundum virtutis, & vitii ratio- „ nem æquales ſunt? Unde fit, ut hi ſint boni, „ probi, & modeſti: unde fit, ut hi ſint mali & „ improbi? Nam ſi in his non voluntate opus eſt, „ & ſi hæc ex natura ſunt, cur hi virtutem, alii „ vitium ſequuntur? Nam ſi omnes natura mali „ eſſent, nemo poſſet eſſe bonus; & ſi omnes na- „ tura boni, nemo poſſet eſſe malus. Si commu- „ nis eſt natura hominum omnium, ſecundum „ hoc oportebat omnes homines unum, & idem „ eſſe, ſeu bonos ſcilicet, ſeu malos. Si vero di- „ camus, ex natura eſſe, quod hi boni, illi mali „ ſint, quod eſſet rationi abſonum, ut oſtendi- „ mus, oporteret hæc immobilia eſſe; naturalia „ quippe ſunt immobilia. Hoc vero conſideres „ velim, mortales omnes ſumus, & paſſibiles, ne- „ moque poteſt impaſſibilis eſſe, etiamſi millies „ contendat. Nunc vero multos videmus ex bonis „ improbos, & ex improbis bonos fieri, illos ne- „ gligentia, hos vero diligentia, quod maxime „ probat, id non eſſe naturæ. Naturalia quippe „ nec mutantur, neque diligentia opus habent, ut „ acquirantur. Ut enim ad videndum, & audien- „ dum non opus eſt labore, ſic nec in colenda vir- „ tute ſudore opus eſſet, ſi illa ex natura nobis in- „ ſita eſſet. Cur autem malos feciſſet, cum poſſet „ omnes bonos facere? Certe malos non fecit. „ Unde ergo mala, inquies? Te ipſum interroga.

„Meum

„Meum quippe eſt oſtendere, illa nec ex natura, „nec a Deo eſſe. Ergo caſu, inquies? Minime. „Num ingenita? Bona verba, quæſo, o homo! a tanta „inſania gradum revoca, ut honore uno Deum, & „mala colas, atque honore ſupremo. Nam ſi in„genita, fortia, & immota utique erunt, neque po„terunt avelli, neque ad nihilum redigi; nam quod „ingenitum eſt, perire non poſſe, cuique manife„ſtum eſt. Unde fit, ut tot ſint boni, ſi malum tan„tam vim habeat? quomodo geniti illi ingenito ſunt „fortiores? Sed Deus, inquies, illa aliquando au„feret. Quomodo illa auferet, ſi paris ſint hono„ris, fortitudinis, vetuſtatis, ut quis dixerit? O dia„boli nequitiam! quantum invenit malum! quo „blaſphemiæ genere Deum involvere homini ſuaſit? „quali pietatis ſpecie aliam blaſphemam rationem „excogitavit? Cum vellent enim oſtendere, malum „non ab ipſo procedere, pravum aliud dogma in„vexerunt, dicendo ingenita illa eſſe. Unde igitur „mala? inquies. Ex eo quod eſt velle, & nolle. „Sed ipſum velle, & nolle undenam? A nobis ipſis. „Id ipſum facis, ac ſi quæreres, undenam prodit „videre, & non videre; me vero reſpondente, ex „eo quod ex claudere, & non claudere oculos, rur„ſum interrogares, ipſum claudere, & non clau„dere unde? meque reſpondente, a nobis ipſis, „& a voluntate noſtra, aliam rurſus cauſam „quæreres. Malum quippe nihil aliud eſt, quam „non obedire Deo. Undenam, inquies, hoc in„venit homo! Num quæſo difficile erat hoc inve„nire? Non dico ego hoc difficile eſſe. Sed unde „inductus eſt, ut Deo non obtemperaret? Ex igna„via. Nam cum penes illum eſſet ad utrumlibet „declinare, ad hoc declinavit. Si autem anceps „adhuc his auditis in caligine verſaris, ego tibi quæ„ſtionem proponam non difficilem, nec implica„tam, ſed ſimplicem, & claram. Fuiſtine aliquando „ma-

„malus? Fuiſtine aliquando bonus? id eſt, num „aliquo vitio ſuperior fuiſti, & poſtea ab illo captus „es? incidiſti in ebrietatem, & poſtea hoc vitium „depuliſti? iratus es, & poſtea iraſci deſiiſti? deſpexiſti pauperem, & poſtea ſecus? Fornicatus es, „& poſtea continens fuiſti? Unde quæſo hæc omnia? unde? Si tu tacueris, ego dicam: quia cum „ſtudio & diligentia id conatus es, poſtea vero ſolutus in deſidiam decidiſti. Nam deſperatis illis, „qui ſe toti nequitiæ dediderunt, qui ſine ſenſu, ac „furioſi ſunt, qui ne audire quidem volunt ea, quæ „ad emendationem ſpectant, iis certe minime de „philoſophia loquar: iis vero, qui modo hoc, modo illud ſectantur, libenter verba faciam. Aliquando rapuiſti, quæ ad te non pertinebant, deinde vero miſericordia motus de bonis tuis egeno „largitus es. Unde hæc mutatio? an non liquidum „eſt, ex voluntate, ac libero arbitrio eſſe? illud certum eſt, ac nemo negaverit. Ideo obſecro ut virtuti ſtudeatis, & nihil poſtea opus erit hujusmodi „quæſtionibus. Mala enim nomina tantum erunt, „ſi velimus. Ne igitur quæras, unde mala, neque „in dubio verſeris: ſed poſtquam deprehendiſti, ea „ex ignavia ſolum prodire, fuge mala. Si quis dixerit, ea non a nobis eſſe, cum videris illum ſervo „iratum, in uxorem exaſperatum, filium criminantem, injuriam inferentes damnantem, dic illi: cur „ergo dicebas, mala non a nobis eſſe; nam ſi non „a nobis ſunt, cur incuſas alios? Dic illi iterum: „num a te ipſo convitia, & contumelias infers? Si „non a te ipſo, nemo tibi iraſcatur: ſi a te ipſo, ergo a te, & ab ignavia tua mala oriuntur. Quid „porro? putasne aliquos eſſe bonos? nam ſi nemo „bonus, unde tibi hoc nomen? unde laudes? Sin „autem vere ſunt boni, procul dubio malos increpabunt, & hac de cauſa ipſi mali erunt. Quid „enim injuſtius illo, qui innocenti crimina intentat?

„Quod

„Quod ſi etiam increpantes boni ſunt, & hoc ma„xime illorum probitatis argumentum eſt etiam „apud inſipientes, hinc manifeſtum eſt, neminem „unquam ex neceſſitate fuiſſe malum. Si poſt hæc „omnia quæras, undenam mala? Ex ignavia dicam, „ex deſidia, quod cum malis verſemur, quod vir„tutem deſpiciamus. Hinc mala, imo etiam, quod „quærant quidam, unde mala ſint. Nemo enim recte „viventium, eorumque, qui modeſte, & continen„ter vitam agere inſtituerunt, hujusmodi quæſtio„nes movet, ſed qui iniqua audent, & ignaviam „quamdam ſupervacaneam ſic excogitare volunt, „arenearum telas texunt. Sed nos illas non verbis „modo, ſed operibus dirumpamus.„

Quis hic negaverit, difficillimas quæſtiones plebeculæ ita proponi, ut vel hebetiores reſponſa ſingula non tam capere, quam videre, & manibus palpare ſibi videantur? Aut quis demum clarius, expeditiusque ad populi mores id fecerit? Non miror hoc ſpecimen Laurentio a Villavincentio, & aliis pluribus tantopere arriſiſſe. Me, ut fatear, mirum quantum rapuit, & cum iterum, iterumque legiſſem, nunquam ſatiavit. Nemo igitur dicat, difficiliora quædam ab exedris eccleſiæ prorſus arcenda eſſe; ſed eos potius, qui non clare, qui non eum in modum, quo Chryſoſtomus fecit, explicare ea, atque diſſolvere norunt. Scio, velle AUGUSTINUM *, ut talia populo vel raro, vel nunquam proponantur: Sed nec illud neſcio, de iis tantum loqui, quæ natura ſua ſic ſunt comparata, ut intelligi vel tum ægerrime poſſint, cum vel planiſſimo ſermone, & cura maxima ventilantur. Hæc, non alia ſanctus Doctor tractari vetat, hæc libris, vel perſpicaciorum colloquiis, ac diſputationibus reſervat. Alia,

* *Libr. IV. de doctrin. Chriſtian.* ſæpius laudato. *cap.* 9.

quæ cura, & ſtudio dicentis ita illuſtrari poſſunt, ut utiliter quidem, tarde tamen capiantur, evitare, cum id licet, ſatius eſt, quam fugere omnino, aut eliminare. Ubi ne illas quidem quæſtiones excipio, quæ aliunde lubricæ ſunt, & præterquam, quod a multis non intelliguntur, a quibusdam male etiam, atque perverſe intelligi poſſunt *.

Quam clarus, quam dilucidus ubique S. ISIDORUS PELUSIOTA! quodcunque verſat argumentum, quæcunque ei quæſtio proponitur, vel in ſumma brevitate perſpicuitatem nuſpiam deſideres. En exemplum fuſius, epiſtolam videlicet 240. *Libri II.* ubi inſigne illud paradoxum tuetur, *virtutem eſſe vitio faciliorem.*

„Virtus, ut quidem exiſtimo (non enim certo „affirmo, ac pronuntio, ſed lectoribus judicium „permitto) difficilis quædam res eſſe viſa eſt, atque „etiamnum videtur, non ob naturam ſuam, ſed „propter incomparabilem quamdam eorum, qui „ipſam conſectari nolunt, negligentiam, atque ſo„cordiam. Nam alioqui, ſi quis rem exacte, at„que accurate conſideret, vitio longe facilior eſt. „Quod ſi quis mihi diffidit, ne tumultuetur, ve„rum probationem expectet, ſeipſum ab omni an„ticipata opinione, atque contendendi pervicacia „purum, & immunem ſervans. At quidem, quod „ipſa divina ſit, homineque digniſſima, & naturæ „maxime conſentanea, & eorum, a quibus colitur, „decus & ornamentum, ut apud omnes certum, „& indubitatum præteribo: ad id autem, quod in „controverſia, & dubitatione verſatur, accedam. „Cedo igitur, utrum ex his duobus difficilius eſt, „ſexcentosne theſauros perſcrutari, an præſentibus „facul-

* Vide, quid Auguſtinus *Libro de dono perſeverantiæ cap.* 16. & Julianus Pomerius *Prologo de vita contemplativa* dicant.

„facultatibus contentum eſſe? diu, noctuque tur„pes quæſtus, ac ſerviles numerare, an frugalita„tem complecti, atque amare? omnes lædere, an „læſis opitulari? cum legitima uxore congredi „(nondum enim ſummam philoſophiam pono, ſed „quam plerique conſequi poſſunt) quam alienas nu„ptias perfodere, ac violare? incurabili avaritiæ „morbo laborare, an ab hujusmodi furore liberum „eſſe? dolos nectere, an citra fraudem commercia „cum aliis habere? tribunalibus moleſtiam exhibe„re, an quietum agere? bona ad ſe nihil attinentia „rapere, an etiam ſua largiri? in negotiorum, & „criminum cœno volutari, an a negotiis, & timo„ribus immunem eſſe? de multis rebus, quæque „perfici nequeant, in cura, & ſolicitudine verſari, „an unam hanc curam habere, quonam pacto a vir„tute minime excidat? in negotiis, ac rebus geren„dis libenter verſari, an in otio vivere? nunquam „ſatiari, an ne ea quidem amare, quæ etiam poſt „ſatietatem contumeliam accerſunt? navigare, ac „naufragia perpeti, an in portu ſedere, atque alio„rum naufragium proſpectare? Equidem ipſe vir„tutis duntaxat facilitatem, ac vitii difficultatem „demonſtrare in animo habebam: at vero oratio al„tius progreſſa majus aliquid præſtitit. Illud enim „præterea oſtendit, & virtutis comitem eſſe volu„ptatem, & vitii moleſtiam, animique mœrorem. „Itaque hic quidem finem loquendi facere oporte„bat: verum quoniam luxus, & voluptas lepore „ſuo plerosque decipere videntur, perinde videli„cet, ac ſuaves, & faciles ſint, adverſus hos quo„que ad certamen me accingam neceſſe eſt. Igitur „ut interim pœnam deliciis, & laſciviæ impenden„tem miſſam faciam, quam per divitem illum, & „eum, qui ſordidis veſtibus amictus erat, miſeran„dis, ac tragicis admodum verbis Sacroſanctum „Evangelium exaggeravit, hoc aio. Si luxus non

„ſex-

„ſexcentos moleſtos, atque ad curandum difficiles „morbos parit, quo minus luxus appelletur, non „recuſo. Si autem & pedum, & capitis dolores, & „vomitus, & apoplexias, & paralyſes, aliosque „hujusmodi morbos accerſit, a quibus ipſe quoque „obtunditur, & obſcuratur, vel ut rectius loquar, „prorſus deletur, piget certe luxum eum appellare, „qui tot, ac tantorum malorum parens, atque altor „eſt. Nam quod nec ſimul quidem cum cibis in al„vum delabi poſſit, verum in ipſo ſtatim gutture „extinguitur, quodque is, qui luxui ſtudet, ne vo„luptatis quidem ſenſum percipiat, præ ciborum „videlicet continuatione deluſus, prætermittam: „non quod ea parum virium habeant, ſed quod „craſſiores, atque obtuſiori animo præditos homi„nes haud admodum perſtringere queant. Ac de „luxu hæc mihi dicta ſint: de voluptate autem & „hæc, & his plura dicentur. Nam ſi, ut de ſum„ptibus, & probro, atque infamia nihil dicam, „funeſta bella, & plagas, ex quibus plerumque „pericula, & mortes oriuntur, minime parit, vo„luptas ſane appelletur. Si autem & dedecoris, & „inexpiabilium bellorum, & periculorum, & mor„tium, & reprehenſionum, ac ſexcentorum alio„rum malorum radix eſt, haud ſcio, an hanc vo„luptatem nominare oporteat, quæ tot dolorum, „ac acerbitatum cauſa eſt, atque a ramis ſuis oppri„mitur, ac deletur. Nam quod nec ante venereum „congreſſum, nec in ipſo congreſſu, nec poſt eum „appareat, miſſum facio, non ut infirmum aliquid, „& imbecille, ſed quod libidinoſorum, & intem„perantium hominum ſocordiam, atque ignaviam „minime vellicet. Nam ſi quis rem accurate per„pendere velit, nec ante congreſſum, nec in eo, „nec poſt eum apparet: verum ante eum perſpicua „eſt rabies: in eo autem haud dubius furor, atque „ejusmodi agitatio, quæ nullo fræno coërceri queat,
„poſt

„poſt eum autem furoris potius levatio, quam vo„luptatis fructus. Nam qui libidinem explevit, „idem voluptatem etiam extinxit. Qui autem in ea „eſt, in oblectamento non eſt, verum in agitatio„ne, & æſtro, ac perturbatione. Quocirca ſi hæc „ita ſe habent (habent autem, ut quidem mihi per„ſuadeo) atque tum facilior, tum jucundior, na„turæque congruentior citra ullam dubitationem „eſſe virtus demonſtrata eſt, compreſſis manibus, „lætoque, atque alacri animo eam complectamur, „quæ ſui amantes & in hac, & in altera vita inſignes, „atque conſpicuos reddit. „

Confer iſta cum ratione docendi Ethicorum quorumdam, qui ſi hodieque ventilare vellent hanc Theſin, quanto opere darent operam, uti eam involverent magis, quam extricarent?

Severinus Boethius & ipſe maxime perſpicuus *Libro* 5. *de Conſolat. Philoſoph. proſa* 6. quam ſolide, tam plane oſtendit, præſcientiam divinam, arbitrii noſtri libertate illæſa, ac ſi coram nunc gererentur, omnia cognoſcere. Quo quidem, quæ ſupra ex Chryſoſtomo attuli, mirifice illuſtrantur.

„Quoniam omne judicium ſecundum ſui natu„ram, quæ ſibi ſubjecta ſunt, comprehendit, eſt „autem Deo ſemper æternus, ac præſentaneus ſta„tus: ſcientia quoque ejus omnem temporis ſuper„greſſa motionem in ſuæ manet ſimplicitate præ„ſentiæ, infinitaque præteriti, ac futuri ſpatia com„plectens, omnia quaſi jam gerantur, in ſua ſim„plici cognitione conſiderat. Itaque ſi præſcien„tiam penſare velis, qua cuncta dignoſcit, non eſſe „*præſcientiam* quaſi futuri, ſed *ſcientiam* nunquam „deficientis inſtantiæ rectius æſtimabis. Unde non „*præ*videntia, ſed *pro*videntia potius dicitur, quod „porro ab rebus infimis conſtituta quaſi ab excelſo „rerum cacumine cuncta proſpiciat. Quid igitur „poſtu-

„poſtulas, ut neceſſaria fiant, quæ divino lumine „luſtrentur; cum ne homines quidem neceſſaria fa- „ciant eſſe, quæ videant? Num enim, quæ præſen- „tia cernis, aliquam eis neceſſitatem tuus addit in- „tuitus? Minime. Atqui ſi eſt divini humanique „*præſentis* digna collatio; uti vos veſtro hoc *tempo-* „*rario præſenti* quædam videtis, ita ille omnia *ſuo* „cernit *æterno*. Quare hæc divina prænotio na- „turam rerum, proprietatemque non mutat, talia- „que apud ſe præſentia ſpectat, qualia in tempore „olim futura provenient. Nec rerum judicia con- „fundit, unoque ſuæ mentis intuitu tam neceſſario, „quam non neceſſario ventura dignoſcit. Sicuti „vos eum pariter ambulare in terra hominem con- „ſpicitis, & oriri in cœlo ſolem videtis, quamquam „ſimul utrumque conſpectum tamen diſcernitis, & „hoc voluntarium, illud eſſe neceſſarium judicatis: „ita cuncta deſpiciens divinus intuitus qualitatem „rerum minime perturbat, *apud ſe* quidem præſen- „tium, *ad conditionem vero temporis* futurarum, quo „fit, ut hæc non ſit opinio, ſed veritate potius nixa „cognitio, cum exſtiturum quid eſſe cognoſcit, „quod idem exiſtendi neceſſitate carere non neſciat. „Hic ſi dicas, quod eventurum Deus videt, id non „evenire non poſſe; quod autem non poteſt non „evenire, id ex neceſſitate contingere, neque ad „hoc nomen neceſſitatis adſtringas: fatebor quidem „rem ſolidiſſimæ veritatis, ſed cui vix aliquis niſi „divini ſpeculator acceſſerit. Reſpondebo nam- „que idem futurum, cum ad divinam notionem „refertur, neceſſarium: cum vero in ſua natura per- „penditur, liberum prorſus, atque abſolutum vi- „deri. Duæ ſunt etenim neceſſitates, ſimplex una, „veluti quod neceſſe eſt, omnes homines eſſe mor- „tales, altera conditionis, ut ſi aliquem ambulare „ſcias, eum ambulare neceſſe eſt. Quod enim „quiſque novit, id eſſe aliter, ac notum eſt, nequit.

„Sed

„Sed hæc conditio minime ſecum illam ſimplicem „trahit. Hanc enim neceſſitatem non propria facit „natura, ſed conditionis adjectio. Nulla enim ne„ceſſitas cogit incedere voluntarie gradientem, quam„vis eum tamen, cum graditur, incedere neceſſa„rium ſit. Eodem igitur modo, ſi quid providen„tia præſens videt, id eſſe neceſſe eſt, tametſi nul„lam habet naturæ neceſſitatem. Atqui Deus ea fu„tura, quæ ex arbitrii libertate proveniunt, præ„ſentia contuetur. Hæc igitur, *ad contuitum relata* „*divinum*, neceſſaria fiunt per conditionem divinæ „notionis: *per ſe vero conſiderata*, ab abſoluta na„turæ ſuæ libertate non deſinunt. Fiunt igitur „procul dubio cuncta, quæ futura Deus eſſe præ„noſcit; ſed eorum quædam de libero proficiſcun„tur arbitrio, quæ quamvis eveniant, exiſtendo ta„men propriam naturam non amittunt; quia prius „quam fierent, etiam non evenire potuiſſent. Quid „igitur refert, non eſſe neceſſaria, cum propter divi„næ ſcientiæ conditionem modis omnibus, neceſſi„tatis inſtar, eveniant? Hoc ſcilicet, quod ea, quæ „paulo ante propoſui (ſol oriens, & gradiens homo) „quæ dum fiunt, non fieri non poſſunt: eorum ta„men unum prius quoque quam fieret, neceſſe erat „exiſtere, alterum vero minime. Ita etiam quæ „præſentia Deus habet, procul dubio exiſtunt, ſed „eorum hoc quidem de rerum neceſſitate deſcendit, „illud vero de poteſtate facientium. Haud igitur „injuria diximus, hæc, ſi ad divinam notitiam re„ferantur, neceſſaria, ſi per ſe conſiderentur, ne„ceſſitatis eſſe nexibus abſoluta. Sicuti omne, „quod ſenſibus patet, ſi ad rationem referas, uni„verſale eſt: ſi ad ſeipſum reſpicias, ſingulare. Sed „ſi in mea, inquies, poteſtate ſitum eſt mutare pro„poſitum, evacuabo providentiam, cum quæ illa „prænoſcit, forte mutavero. Reſpondebo, pro„poſitum te quidem tuum poſſe deflectere; ſed quo-

„niam

„niam & id te poſſe, & an facias, quove conver-„tas, præſens providentiæ veritas intuetur, divi-„nam te præſcientiam non poſſe vitare; ſicuti præ-„ſentis oculi effugere non poſſis intuitum, quam-„vis te in varias actiones libera voluntate converte-„ris. Quid igitur, inquies, ex meane diſpoſitione „ſcientia divina mutabitur, ut cum ego nunc hoc, „nunc illud velim, illa quoque noſcendi vices alter-„nare videatur? Minime. Omne namque futurum „divinus præcurrit intuitus, & ad præſentiam pro-„priæ cognitionis retorquet, ac revocat: nec alter-„nat, ut tu exiſtimas, nunc hoc, nunc illud præ-„noſcendi vices: ſed uno ictu mutationes tuas ma-„nens prævenit, atque complectitur. Quam com-„prehendendi, videndique præſentiam non ex futu-„rorum proventu rerum, ſed ex propria Deus ſim-„plicitate ſortitus eſt. Ex quo illud quoque reſol-„vitur, quod paulo ante poſuiſti, indignum eſſe, „ſi ſcientiæ Dei cauſam futura noſtra præſtare di-„cantur. Hæc enim ſcientiæ vis præſentaria notio-„ne cuncta complectens, rebus omnibus modum „ipſa conſtituit, nihil vero poſterioribus debet. „Quæ cum ita ſint, manet intemerata mortalibus „arbitrii libertas, nec iniquæ leges ſolutis omni ne-„ceſſitate voluntatibus prœmia, pœnasque propo-„nunt. Manet etiam ſpectator deſuper, cunctorum „præſcius Deus, viſionisque ejus præſens ſemper „æternitas cum noſtrorum actuum futura qualitate „concurrit, bonis præmia, malis ſupplicia diſpen-„ſans. Nec fruſtra ſunt in Deo poſitæ ſpes, pre-„cesque, quæ cum rectæ ſint, inefficaces eſſe non „poſſunt. Averſamini igitur vitia, colite virtutes, „ad rectas ſpes animum ſublevate, humiles preces in „excelſa porrigite. Magna vobis eſt, ſi diſſimulare „non vultis neceſſitas indicta probitatis, cum ante „oculos agitis judicis cuncta cernentis.„

In

In alio, & difficiliori etiam argumento divus Anſelmus ſingularem perſpicuitatem oſtendit, remque ab Interpretibus nunquam ſatis elucidatam mirifice expedivit, ac tantum non ob oculos ſtatuit. Mota enim quæſtione, de turpitudine, detegi vetita a lege, & cur primi parentes noſtri in illa conditione innocentiæ, cum nudi eſſent, non erubuerint: mox vero contracta culpa, velut apertis primum oculis, & nuditatem animadverterint, & verecundiam quam maximam conceperint? *Libro III. epiſt.* 158. nunc *Opuſculo de nuptiis conſanguineorum* ita reſpondet:

„Turpe eſt, ubi pars parti non convenit. In „corpore autem humano ante primi hominis prævaricationem nihil erat turpe, nihil diſſonum; „cum harmonia illa boni, Creatoris manu bene, ac „decenter aptata, adhuc permanente,pars parti con„veniret, Deoque anima, animæ vero corpus ſuum „per omnia ſubditum eſſet. Poſtquam vero præ„varicatione mandati anima Deo facta eſt inobe„diens, ſuperioris Dei rebellis, inferius corpus de„ſtitit eſſe obediens. Statim quoque oculi aperti „ſunt transgreſſoribus. *Et aperti ſunt*, inquit, „*oculi eorum*, videlicet ad ſe invicem concupiſcen„dum. Et cum prius nudi eſſent, nec erubeſce„rent, mox corporis ſui partes verſas eſſe ſentientes „in pudenda, & tegere illas feſtinantes, perizomata „ſibi fecerunt. Quod etiam nunc in pueris, vel in„fantibus videre promptum eſt; qui quamdiu con„cupiſcentiam hanc non ſentiunt, pudenda non ha„bent; quia de aliqua corporis ſui parte erubeſcere „neſciunt: ubi vero illius incipiunt eſſe expertes *, „jam partes illas intectas ferre non ferunt. Soluta „igitur in primis illis hominibus pulcherrima illa „har-

* *Experti.* vel *experientes.*

„harmonia, facta eſt turpitudo non minima, origi-„nalis pœna cum originali peccato ab illis in poſte-„ros tranſitura. Ex hoc igitur in corpore noſtro, „corpore peccati, membra illa, quæ huic ſerviunt „concupiſcentiæ, pudenda, vel turpitudo, vel igno-„minia nominantur, exterioris turpitudinis, id eſt „concupiſcentiæ velamen ſemper, & latebras natu-„raliter exigentia. Hæc autem concupiſcentiæ turpi-„tudo tunc revelatur, cum ad indicium ſui mem-„brorum ſuorum ſibi exhibet officium, & geſtit in „effectum, omni illo rationalis animæ vigore ſic he-„betato, confuſo, & dejecto, & turpiſſimæ libidi-„ni carnis ſubſtratum, ut merito illa hora poſſit au-„dire: *Adam ubi es?* id eſt, qui Deo eſſe ſimilis vo-„luiſti, non vides, quo deveniſti? Et quid turpius „hac turpitudine? quid ignominioſius hac ignomi-„nia?

Hunc ego Anſelmi locum ſemper ſum quam maxime miratus, cum propter rei explicandæ difficultatem, tum quod omnia complectitur amabili ſimplicitate, quæcunque antea ab Auguſtino *Libro de Geneſi ad Literam cap.* 1. item *Libro XIV. de Civitate cap.* 17. & poſt a Ruperto *Libro II. in Geneſin cap. ult.* ſed & a ceteris, qui in Geneſin ſcripſerunt, operoſe diſputata ſunt.

Hæc nobis exempla ſufficere viſa ſunt, præſertim quod cuique obvium eſt alia multa reperire. Nam inter Latinos, & Græcos pars major Patrum dilucidiſſime docent, non in quotidianis ſolum, ſed abſtruſioribus etiam argumentis. Et inter Latinos quidem perſpicuitate eminent Cyprianus, Lactantius, Sulpitius, Hieronymus, Salvianus, Leo, Bernardus: ex Græcis Origenes, Athanaſius, Baſilius, Aſterius, Chryſoſtomus, Iſidorus Peluſiota, Damaſcenus. Hos accede, & ultro dabis, eos legenti ita attemperare ſe noſſe, ut vix poſſint eſſe faciliores.

CAPUT

CAPUT III.

Specimina Copiæ & Varietatis *Patrum in amplificando.*

Amplificatio eſt cujuslibet ſententiæ copioſa explicatio, atque diductio, cujus duo habemus genera, unum quod in verbis, alterum, quod in ipſis rebus conſiſtit. Primum genus, quod loquacitatem potius, quam eloquentiam ſapit, exercitationi puerorum, aut ſi mavis, matronarum ſubſelliis relinquamus. Alterum, ſi non ſumma, certe tam propria oratori, tamque peculiaris pars ab omnibus cenſetur, ut hac una præcipue a Philoſopho, Poëta, Hiſtorico diſcernatur. Et vero etiam neceſſariam dixero, quando ariditatis non minora ſunt damna, quam redundantiæ; totum enim orationis corpus veluti macie conficit, ut ſucco ablato nihil habeat ſeu roboris ad perſuadendum, ſeu gratiæ ad oblectandum *. Motus enim, ut clarum eſt, non ſubito, ſed paulatim excitantur, neque aliquid, quod rite expoſitum non ſit, multum in animos poteſt præſertim in tanta cæcitate mortalium, quæ nec aperta cernit, & jam cognita obſtinata & pervicaciter repellit **.

Etſi vero cum *Probatione*, vel *Confirmatione* multa habet communia, non eſt tamen cum illa, ut quidam fecerunt, temere confundenda. Probatio enim ad intellectum ſpectat, hæc voluntatem magis reſpicit, & affectibus veluti iter munit. Id quod Tullius, & cum eo ceteri diſerte admonuerunt. Itaque ſicut per omnem quidem ſermonem

 fun-

* De copia præclare diſſerit Gisbertus *cap.* 8. *de Eloq. Chriſt.* item Quintilianus *Libro X. cap.* 1. De amplificatione ſtrictius idem *Libro VIII. cap.* 4. Cicero autem *in Partitionibus oratoriis*: *in Oratore. Libro* 3. *de Oratore*: *Libro* 3. *ad Herennium.*

** Vide Auguſtinum *Libro II. de Civit. cap.* 1.

fundenda amplificatio eſt, maxime tamen in ſede cauſæ, ſed & in refutationibus locum habet, ubi adverſarii omnia fideliter afferenda ſunt, ut ſic quidquid ſtudio ipſe exſtruxiſti, ſubvertere iterum, disjicere, ac demoliri poſſis.

Porro ipſa ratio amplificandi *I.* in eo eſt poſita, uti illa ſolum diducas, quæ maxime ad finem, atque propoſitum faciunt, vel momenti pluſculum habent, ad rerum amplitudinem dicendo exæquandam. *II.* Uti diſtinctis imaginibus ſibi ſingula ante proponat animus, quæ, & de quibus ſeu negare debet, ſeu affirmare, caveatque ſolicite, ne vel feratur extra orbitam, vel argumenti partibus, conditionibus, limitibus non exaſciatis falſæ, vagæ, dubiæve notiones pro veris, fixis, certisque obtrudantur. *III.* Uti amplificatio cum ipſa contentione creſcat, & ubi ſemel cœperit, non ceſſet, dum ex magnis majora, & maxima fiant. *IV.* Uti non copia tantum, ſed & varietas adſit dicenti, de qua diligenter admodum *capite* 8. GISBERTUS præcepit. Pulchre HIERONYMUS *Epiſtola* 11. *nunc* 123. *ad Ageruchiam initio*: *In vetere via novam ſemitam quærimus, & in antiqua, detritaque materia rudem artis excogitamus elegantiam, ut nec eadem ſint, & eadem ſint. Unum iter, & perveniendi, quo cupimus, multa compendia.* *V.* Ipſa materia petitur ex Inventione, locisque Rhetoricis, præcipue vero *adjunctis*, ſeu ex ipſis rebus, ſeu ex arte conjectandi petitis: neque enim quid aptius eſt ad urgendum aliquid, ſtabiliendum, atque ex illa parte, qua magis rapere poſſit, illuſtrandum. Certe LONGINUS * *adjuncta* in amplificatione tanti fecit, uti eam in his ipſis potiſſimum collocaret; qua in ſententia hodieque multi eum ſequuntur eloquentiæ præceptores. Idem fere

* **In eximio tractatu *de Sublimi*, *Themate mihi* XI.**

fere quod de adjunctis admonui, de *contrariis* quoque, de *relativis*, & de *comparatis* dicere licet. *VI.* Denique Modi amplificationis ſunt Figuræ pleræque, præ ceteris autem *Gradationes*, *Examinationes*, *Enumerationes*, *Repetitiones* loci varie verſati &c. Quod ſi paulatim dicendo provectus orator eſt, tum enimvero exclamat, concitatur, exaggerat, orat, deprecatur, inſultat, copiiſque jam contractis, jam ſparſis victoriam appellans, ipſa haud raro fiducia etiam obtinet.

Porro Specimina dare arduum hoc loco, & quam maxime moleſtum. Fuſa enim, ac longiſſima laborem exhibent tranſcribendi, & præterea *Libro Sexto*, cum de *Confirmatione* erit agendum, denuo recurrunt. Adde, quod Amplificationes non tot, quin plures paſſim ad reliqua capita debemus afferre, maxime ubi figuras ventilamus. Nempe ipſa copia inopes facit nos, quod rarus eſt locus juſtæ longitudinis, in quo amplificatio non reperiatur: neque vel præparare animos vel perſpicue docere, vel delectare, vel argumentari, vel commovere frequenter poſſumus, quin identidem nunc hoc, nunc aliud amplificemus. Itaque illud conſilii capiendum fuit, ut plura exempla indicaſſe contenti, non niſi pauca quædam, & fere breviora adſcribamus.

Et quidem Patres haud raro integras etiam orationes, imo Tractatus una, eademque, aut pluribus certe amplificationibus texuerunt. Sic CYPRIANUS *Libros de habitu Virginum*, *de Lapſis*, *de Mortalitate &c:* Sic S. GREGORIUS NAZIANZENUS *orationem II. de Theologia* *: Sic S. AMBROSIUS *Libros*

* Atque hæc oratio abſolutiſſimum ſpecimen habet, maxime a varietate, amplificationis præcipua dote, ſed quæ niſi longioribus in exemplis difficulter poſſit exhiberi. Tamen ex his ipſis, quæ ſequuntur, quædam mire variata, atque diſtincta ſunt. Sed & infra, ubi de delectando, rurſum aliqua adducemus.

bros de Virginibus, & alios quoſdam: Sic CHRYSOSTOMUS Libros *de Providentia*, *de Compunctione*: *de Virginitate*: *quod nemo læditur niſi a ſe ipſo*: *Ad eos, qui Scandalizati ſunt*, & pleraque alia opuſcula *: Sic S. EUCHERIUS Libellum *de laude Eremi*: Sic S. BERNARDUS *Declamationes ad Clericos*, *Apologiam ad Henricum Senonenſem*: Sic alii alia exequuntur. Sed excerpamus nonnulla.

LACTANUIUS *Libro III. cap.* 20. & 21. præclara amplificatione oſtendit *communionem omnium rerum* non ad quietem, ſed perturbationem in civitate valituram. Miſſis autem ceteris, quod caput erat, communionem matrimònii ſolam invadit.

„Quo ergo illum communitas iſta perduxit! „Matrimonia quoque, inquit, communia eſſe debe„bunt. Scilicet, ut ad eandem mulierem multi „viri tanquam canes confluant, & is utique obti„neat, qui viribus vicerit: aut ſi ſapientes ſunt, „ut Philoſophi, expectent, & vicibus tanquam lu„panar obeant. O miram Platonis æquitatem! „Ubi eſt igitur virtus caſtitatis? ubi fides conju„galis? quæ ſi tollas omnis juſtitia ſublata eſt. At „idem dixit, beatas civitates futuras fuiſſe, ſi aut „Philoſophi regnarent, aut Reges philoſopharen„tur. Huic vero tam juſto, tam æquo viro reg„num dares, qui aliis abſtuliſſet ſua, aliis con„donaſſet aliena: proſtituiſſet pudicitiam fœmina„rum, quæ nullus unquam non modo Rex, ſed „ne Tyrannus quidem fecit? Cum vero intulit „rationem turpiſſimi hujus conſilii, ſic inquit: Ci„vitas concors erit, & mutui amoris conſtricta „vinculis, ſi omnes omnium fuerint & mariti, & „patres, & uxores, & liberi. Quæ iſta con„fuſio

* Lege quæ de amplificationibus Chryſoſtomi diximus in Diſſertat. de eloquentia ejus Lib. 3. cap. 1. ad calcem.

„fuſio generis humani eſt? Quomodo ſervari „poteſt charitas, ubi nihil eſt certum, quod ametur? Quis aut vir mulierem, aut mulier virum „diligat, niſi habitaverint ſemper una? niſi devota „mens, & ſervata invicem fides individuam fece„rit charitatem? quæ virtus in illa promiſcua vo„luptate locum non habet. Item ſi omnes om„nium liberi ſint, quis amare liberos tanquam ſu„os poterit, cum ſuos eſſe aut ignoret, aut dubi„tet? quis honorem tanquam patri deferet, cum, „unde natus ſit, neſciat? Ex quo fit, ut non tan„tum alienum pro patre habeat, ſed etiam patrem „pro alieno. Quid, quod uxor poteſt eſſe com„munis, filius non poteſt; quem concipi non niſi „ex uno neceſſe eſt? Perit ergo illa una commu„nitas, ipſa reclamante natura. Supereſt, ut „tandummodo concordiæ cauſa uxores velint eſſe „communes. At nulla vehementior diſcordiarum „cauſa eſt, quam unius fœminæ a multis maribus „appetitio. In quo Plato, ſi ratione non potuit, „exemplis certe potuit admoneri & mutorum „animalium, quæ ob hoc vel acerrime pugnant, „& hominum, qui ſemper ob eam rem graviſſi„ma inter ſe bella geſſerunt. Reſtat, ut com„munio iſta nihil aliud habeat præter adulteria, & „libidines, propter quas funditus eruendas virtus „eſt vel maxime neceſſaria. Itaque non invenit „concordiam, quam quærebat; quia non videbat, „unde oriatur. Nam juſtitia in extra poſitis ni„hil momenti habet, ne in corpore quidem, ſed „tota in hominis mente verſatur. Qui ergo vult „homines adæquare, non matrimonia, non opes „ſubtrahere debet, ſed arrogantiam, ſuperbiam, „tumorem, uti illi potentes, & elati pares eſſe ſe „etiam mendiciſſimis ſciant. Detracta enim di„vitibus inſolentia & iniquitate, nihil intererit, „utrumne alii divites, alii pauperes ſint, cum ani-

„mi pares ſint, quod efficere nulla res alia præ-
„ter religionem Dei poteſt. Putavit igitur ſe
„inveniſſe juſtitiam, cum eam prorſus everterit;
„quia non rerum fragilium, ſed mentium debet
„eſſe communitas. Nam ſi juſtitia virtutum om-
„nium mater eſt, cum illæ ſingulæ tolluntur,
„ipſa ſubvertitur. Tulit autem Plato ante omnia
„frugalitatem; quæ utique nulla eſt, ubi proprii
„nihil habeatur: tulit abſtinentiam; ſiquidem ni-
„hil fuerit, quo abſtineatur, alienum: tulit tem-
„perantiam, tulit caſtitatem; quæ virtutes in utro-
„que ſexu maximæ ſunt: tulit verecundiam, pu-
„dorem, modeſtiam; ſi honeſta, & legitima eſſe
„incipiunt, quæ ſolent flagitioſa, & turpia judi-
„cari. Sic virtutem dum vult omnibus dare, om-
„nibus ademit. Nam rerum proprietas & vitio-
„rum & virtutum materiam continet: communi-
„tas autem nihil aliud, quam vitiorum licentiam.
„Nam viri, qui multas mulieres habent, nihil
„aliud dici poſſunt, quam luxurioſi, ac nepotes:
„item mulieres, quæ a multis viris habentur, non
„utique adulteræ; quia certum matrimonium nul-
„lum eſt: ſed proſtitutæ, ac meretrices ſint, ne-
„ceſſe eſt. Redegit ergo humanam vitam ad ſi-
„militudinem non dico mutorum, ſed pecudum,
„ac belluarum. Nam volucres pene omnes fa-
„ciunt matrimonia, & paria jungunt, & nidos ſu-
„os tanquam genitales toros concordi mente de-
„fendunt: & fœtus ſuos, quia certi ſunt, amant,
„& ſi alienos objeceris, abigunt. At homo ſa-
„piens contra morem hominum, contraque natu-
„ram ſtultiora ſibi, quæ imitaretur, elegit.„

S. BASILIUS *homilia celeberrima in famem, & ſiccitatem* ita amplificat hanc propoſitionem: *Calamitatis noſtræ cauſam nos ipſi damus, nec agnoſcimus tamen, & amolimur.*

„Quæ

„Quæ ergo cauſa eſt inordinationis hujus, at-
„que confuſionis? quæ eſt nova iſta temporum fa-
„cies? Perſcrutemur velut mente præditi: nobiſ-
„cum, tanquam rationis compotes reputemus. An
„non eſt, qui gubernet rerum univerſitatem? Num
„optimus opifex Deus providentiæ, ac adminiſtra-
„tionis ſuæ oblitus eſt? num ablatæ ei ſunt vires,
„ac poteſtas? an vim quidem eandem retinet, nec
„a ſua poteſtate excidit: ſed durus factus eſt, ac
„ſummam bonitatem, & noſtri curam in homi-
„num odium convertit? Nemo certe ſapiens hæc
„dixerit; ſed manifeſta, apertaque cauſa eſt, cur
„conſueto more non gubernemur. Nos accipien-
„tes aliis non impertimus: laudamus beneficen-
„tiam, & eadem privamus egenos: liberi ex ſer-
„vis facti conſervorum non miſeremur: eſurientes
„nutrimur, & egentem negligimus: largum da-
„torem, ac promum Deum habentes parci effe-
„cti ſumus, nihilque cum pauperibus communi-
„camus; oves noſtræ abundant fœtibus, & tamen
„major eſt egenorum numerus, quam ovium:
„horrea ob repoſitarum frugum copiam in angu-
„ſtum coguntur, nec tamen hominis, qui anguſtiis
„urgetur, commiſereſcimus. Eam ob cauſam no-
„bis minatur juſtum judicium: idcirco etiam De-
„us non aperit manum, quod excluſimus frater-
„nam dilectionem: ob id aruerunt arva, quod fri-
„guit charitas: clamat fruſtra vox ſupplicantium,
„& in aërem ſpargitur; neque enim eos, qui ro-
„gabant audivimus. Qualis quæſo noſtra ſup-
„plicatio eſt, qualis eſt deprecatio? Vos viri, ex-
„ceptis paucis, vacatis negotiationibus: vos mulie-
„res, eorum miniſtræ in mammonæ quæſtu, ac
„lucro eſtis. Denique precantur mecum pauci, &
„hi vertigine laborantes, oſcitantes, aſſidue ver-
„tents ſe huc illuc, obſervantes quando pſalmo-
„rum cantor verſiculos abſolverit, quando ex Ec-

„cleſia velut e carcere dimiſſi, neceſſitate precandi „eximentur. Hi autem pueri minimi, qui de„poſitis in ludo literario tabulis, ac libellis no„biſcum vociferantur, potius huic negotio velut „remiſſioni, ac oblectamento vacant, triſtitiam no„ſtram habentes feſtivitatis loco, quod ab onere „præceptoris, & ſtudiorum cura modico tempo„re liberentur. Multitudo autem virorum qui „conſtanti, & integra ætate ſunt, & implicitus „peccatis populus, remiſſus, liberque, ac lætus „per urbem vagatur: qui etſi in animis cauſam „circumfert malorum, ipſe tamen hanc calamita„tem intulit, & excitavit. Infantes tandem, „ſenſu carentes, nullique reprehenſioni obnoxii „ad confeſſionem feſtinant, conveniuntque: ſed „præterquam quod malorum cauſa non ſint, orare „ex more nec noverunt, nec poſſunt. Tu mi„hi in medium prodi, qui peccatis conſpurcatus „es, tu procide, lamentare, ingeme, ſine pueru„lum facere, quæ propria ſunt ſuæ ætati, atque „conſentanea. Cur te occultas, qui accuſaris, „& inſontem ad defenſionem tuam producis? Num „Judex illuditur, ſic ut ſubdititiam perſonam ſub„ſtituas? Oportebat autem & illum adeſſe, ſed te„cum certe, non ſolum. Vides quod & Ninivitæ „pœnitentia Deum placantes, & lugentes ea pec„cata, in quæ Jonas mare, & cetum expertus cla„mando invehebatur, non infantes ſolum ſubjece„rint interea, dum ipſi vitam in deliciis tranſige„rent, & in conviviis; ſed priores ipſos patres, „qui peccaverant, jejunium domabat, mulctaque eos„dem macerabat, quamquam infantes ipſi vel in„viti acceſſionis loco lugebant, ut triſtitia occu„paret ætatem omnem tum ſentientem tum non „ſentientem, illam ſponte, hanc præter volunta„tem. Et ubi vidit Deus ipſos ſic humiliatos, „ut condemnarent ſeſe ad graviſſimas mulctas om-

„nis

„nis generis & doloris. eorum miſertus eſt, & „pœnam remiſit, & gaudium iis, quis ſano con„ſilio luxerant, largitus eſt. O pœnitentiam „concinnam! o ſapientem prudentemque afflictati„onem! Ne bruta quidem animantia a pœnis im„munia ſivere: ſed ea etiam neceſſario clamare „artificio quodam adegerunt. Separatus namque „eſt vitulus a vacca, ſemotus eſt a materno ubere „agnus, puer lactens non erat in maternis ulnis: „in peculiaribus ſtabulis concludebantur matres, in „peculiaribus fœtus: voces emittebantur ab omni„bus miſerabiles, viciſſim clamantes, ac reſonan„tes. Partus eſurientes lactis fontes quærebant: „matres naturali affectione diſcerptæ vocibus com„miſerationem ſuam ſignificantibus revocabant fœ„tus. Eundem ad modum infantes fame laboran„tes ejulatu vehementiſſimo frangebantur, palpita„bantque, & matrum viſcera naturalibus dolori„bus compungebantur. Et eam ob cauſam di„vinus ſermo ad commune vitæ documentum eo„rum pœnitentiam ſcriptis mandatam ſervavit. „Inter illos flebat ſenex, & canos vellebat, diſcer„pebatque, Adoleſcens, & qui florenti ætate „erat, vehementius lamentabatur: ingemiſcebat „pauper: dives deliciarum oblitus, afflictationi ut „bonæ ſe dedebat. Rex ipſorum ſplendorem, „gloriamque transmutavit in verecundiam. De„poſita corona caput cinere inſperſit: purpura ab„jecta induit ſaccum: throno alto & ſublimi de„relicto, miſerabili habitu humi repebat: repudia„tis propriis, ac regiis deliciis lugebat cum po„pulo, unus e multis factus, & plebejus, quod „communem Dominum omnium videret iratum. „Hæc eſt ſervorum ſenſu præditorum prudentia: „talis hominum peccatis implicitorum pœnitentia. „Nos autem acriter, ac cito peccamus, ſed negli„genter, ſegniterque pœnitentiam amplectimur.

„Quis

„Quis precando lacrimatur, ut imbrem, ac plu-
„viam opportunam impetret: quis peccata dele-
„turus, beati Davidis exemplo lacrimis lectum
„rigavit? quis hoſpitum lavit pedes, & pulverem
„ex itinere collectum abſterſit, ut dum ſiccitate li-
„berari poſtulat, Deum opportune placet? quis
„pavit orbatum patre puerum, ut Deus nunc no-
„bis fruges nutriat, non ſecus ac orphanum, ven-
„torum intemperie exagitatum? quis fovit afflictam
„victus difficultate viduam, ut nunc ei tribuatur
„alimentum neceſſarium? *Diſcinde ſchedulam ini-
„quam!* ut ſic peccatum ſolvatur. Dele graviſſi-
„morum fœnorum partum, ut terra pariat con-
„ſueta, ac producat. Etenim dum æs, & au-
„rum, & ea, quæ ſterilia ſunt, gignunt præter na-
„turam, terra tamen, quæ naturaliter parit, &
„fœcunda eſt, ſterilis redditur, & ad incolas pu-
„niendos damnatur infœcunditatis. Oſtendant igi-
„tur, qui quæſtum in pretio habent, ac divitias
„ultra modum aggerunt, quid valeant reconditi
„theſauri, aut quæ eorum neceſſitas ſit, ſi iratus
„Deus mulctam, ac pœnam ulterius protrahat.
„Confeſtim auro pallidiores fient, qui id conge-
„runt, ſi pane, qui heri, & nudiustertius ob
„paratam, promptamque copiam contemnebatur,
„careant. Pone jam non eſſe venditorem, nec
„haberi in horreis frumentum, quid tandem, quæ-
„ſo, proderunt tibi marſupia graviſſima? nonne
„unacum ipſis ſub eodem aggere ſepelieris? non-
„ne terra aurum eſt? nonne inutile lutum luto
„adjacebit, corpori videlicet? Poſſides omnia: ſed
„una res eſt neceſſaria, qua cares, facultas teipſum
„alendi. Confice ex omnibus tuis opibus nebu-
„lam unam: fac deſcendant guttæ paucæ: urge
„terram ad fructum ferendum: calamitatem ſuper-
„bis illis, ac inſolentibus divitiis amolire. For-
„taſſe pium aliquem induces, ut exemplo Thesbi-
„tæ

„tæ Eliæ remiſſionem tibi malorum precibus impe-„tret, homo inops, pallidus, diſcalceatus, ſine „domo, ſine lare, egenus, unica tunica cooper-„tus, velut Elias pelle ovilla, ſimul cum pre-„cibus educatus, jejunio contubernali utens. Quod „ſi rogando ab ejusmodi viro opem obtineas, & „præſidium, nonne divitias multis curis obnoxias „valde admodum deridebis? nonne aurum conſpu-„es? nonne tanquam ſtercus aurum abjicies? quod „tametſi prius omnia poterat, appellabaturque „chariſſimum, ipſum tamen cognoris infirmum in „neceſſitate patronum eſſe? Cauſa tua hanc cala-„mitatem Deus intulit, quod cum haberes, non „erogaveris, quod eſurientes præterieris, quod te „non converteris ad lugentes, quod adoratus non „ſis miſeratus. Invadunt enim propter paucos in „omnem populum mala, ac flagitium unius plebi „toti nocet. Achan ſacrilegium commiſit, & to-„tus caſtigatus eſt exercitus. Zambri Madianiti-„das ſcortatus eſt, & Iſraël pœnas dedit. Om-„nes igitur tum privatim, tum in communi vi-„tam noſtram expendamus, velut pædagogo atten-„damus ſiccitati, unumquemque ſui peccati com-„monefacienti. Proferamus & nos animo ſano „illa ſtrenui Jobi verba: *Manus Domini* eſt, quæ „*tetigit me*: potiſſimum autem, & ante omnia „calamitatem noſtram peccatis adſcribamus.„

S. Ambrosius *Libro II. de officiis cap.* 28. amplificat hanc ſententiam: *Ne ſacris quidem vaſis parcendum eſt, cum fidelium neceſſitas id exegerit:*

„Quam cauſam nos etſi non ſine ratione aliqua „geſſimus, tamen ita in populo profecuti ſumus, „ut confiteremur, multoque fuiſſe commodius ad-„ſtrueremus, ut animas Domino, quam aurum „ſervaremus? qui enim ſine auro miſit Apoſtolos, „Eccleſias ſine auro congregavit. Aurum Eccle-„ſia habet, non ut ſervet; ſed ut eroget, & ſub-

„veniat

„veniat in neceſſitatibus. Quid opus eſt cuſtodi-„re, quod nihil adjuvat? An ignoramus, quantum „auri, atque argenti de templo Domini Aſſyrii „ſuſtulerint? Nonne melius conflat Sacerdos pro-„pter alimoniam pauperum, ſi alia ſubſidia deſint, „quam ut ſacrilegus contaminata aſportet hoſtis? „Nonne dicturus eſt Dominus: cur paſſus es tot „inopes fame mori? & certe habebas aurum, mi-„niſtraſſes alimoniam. Cur tot captivi deducti in „commercio ſunt, nec redempti ab hoſte occiſi „ſunt? Melius fuerat, ut vaſa viventium ſervares, „quam metallorum. His non poſſet reſponſum re-„ferri. Quid enim diceres? timui ne templo Dei „ornatus deeſſet? Reſponderet: aurum ſacramenta „non quærunt, neque auro placent, quæ auro „non emuntur. Ornatus ſacramentorum redem-„ptio captivorum eſt. Vere illa ſunt vaſa pretio-„ſa, quæ redimunt animas a morte. Ille ve-„rus theſaurus eſt Domini, qui operatur, quod „ſanguis ejus operatus eſt. Tunc vas dominici „ſanguinis agnoſcitur, cum in utroque viderit re-„demptionem, ut calix ab hoſte redimat, quos „ſanguis a peccato redimit. Quam pulchrum, „ut cum agmina captivorum ab Eccleſia redi-„muntur, dicatur: hos Chriſtus redemit! Ecce au-„rum, quod probari poteſt, ecce aurum utile, „ecce aurum Chriſti, quod a morte liberat, ecce „aurum, quo redimitur pudicitia, ſervatur caſti-„tas. Hos ego malui vobis liberos reddere, quam „aurum reſervare. Hic numerus captivorum, hic „ordo præſtantior eſt, quam ſpecies poculorum. „Huic muneri proficere debuit aurum Redempto-„ris, ut redimeret periclitantes. Agnoſco infuſum „auro ſanguinem Chriſti non ſolum irrutilaſſe, ve-„rum etiam divinæ operationis impreſſiſſe virtutem „redemptionis munere. Tale aurum ſanctus Mar-„tyr Laurentius Domino reſervavit; a quo cum

„quæ-

„quærerentur theſauri Eccleſiæ, promiſit ſe demon-„ſtraturum. Sequenti die pauperes duxit. Inter-„rogatus, ubi eſſent theſauri, quos promiſerat, „oſtendit pauperes, dicens: hi ſunt theſauri Eccle-„ſiæ. Et vere theſauri, in quibus Chriſtus eſt, in „quibus fides eſt. Denique Apoſtolus ait: *Habe-„mus theſaurum in vaſis fictilibus.* Quos melio-„res theſauros habet Chriſtus, quam eos, in qui-„bus ſe eſſe dixit? Sic enim ſcriptum eſt: *Eſuri-„vi, & dediſtis mihi manducare: ſitivi, & dediſtis „mihi bibere: hoſpes eram, & collegiſtis me.* Et *in-„fra: Quod enim uni horum feciſtis, mihi feciſtis.* „Quos meliores Jeſus habet theſauros, quam eos „in quibus amat videri. Hos theſauros demon-„ſtravit Laurentius, & vicit; quod eos nec per-„ſecutor potuit auferre. Itaque Joachim, qui „aurum in obſidione ſervabat, nec diſpenſabat ali-„moniæ comparandæ, & aurum vidit eripi, & ſe „in captivitatem deduci. Laurentius, qui aurum „Eccleſiæ maluit erogare pauperibus, quam per-„ſecutori reſervare, pro ſingulari ſuæ interpreta-„tionis vivacitate ſacram martyrii accepit coronam. „Numquid dictum eſt ſancto Laurentio: Non de-„buiſti erogare theſauros Eccleſiæ, vaſa ſacramen-„torum vendere? Opus eſt, ut quis fide ſincera, „&. perſpicaci providentia munus hoc impleat. „Sane ſi in ſua aliquis derivat emolumenta, cri-„men eſt: ſin vero pauperibus erogat, captivum „redimit, miſericordia eſt. Nemo enim poteſt di-„cere: cur pauper vivit? nemo poteſt queri, quia „captivi redempti ſunt: nemo poteſt accuſare, „quia templum Dei eſt ædificatum: nemo poteſt „indignari, quia humandis fidelium reliquiis ſpa-„tia laxata ſunt: nemo poteſt dolere, quia in ſe-„pulturis chriſtianorum requies defunctorum eſt. „In his tribus generibus vaſa Eccleſiæ etiam ini-„tiata confringere, conflare, vendere licet.

CHRY-

CHRYSOSTOMUS omnino egregie ab adjunctis amplificat, id quod alibi diximus. Lege amplificationem de Paulo, *Hom.* 4. *de laudib. Pauli:* & illam de Magdalena *hom. adverſus Judæos.* hodie 5ta. quæ quod ſunt decantata, & ab aliis jam adducta, nolo adſcribere.

S. HIERONYMUS *epiſt.* 11. *nunc* 123. *ad Ageruchiam,* cum vaſtationem Imperii ob oculos ponere vellet, ita rem per enumerationem exequitur, atque amplificat. „Præſentium miſeriarum pauca percurram. „Quod rari hucusque reſidemus, non noſtri me-„riti, ſed Domini miſericordiæ eſt. Innumerabi-„les, & ferociſſimæ nationes univerſas Gallias oc-„cuparunt. Quidquid inter Alpes, & Pyrenæum „eſt, quod Oceano, & Rheno includitur, Qua-„dus, Wandalus, Sarmata, Halani, Gipedes, „Heruli, Saxones, Burgundiones, Alemanni, &, „o lugenda Reſpublica! hoſtes Pannonii vaſtarunt. „Etenim Aſſur * venit cum illis. Mogontiacum, „nobilis quondam civitas, capta, atque ſubverſa „eſt, & in Eccleſia multa hominum millia truci-„data. Vangiones longa obſidione deleti: Re-„morum urbs præpotens, Ambiani, Atrebatæ, ex-„tremique hominum Morini, Tornacus, Neme-„te, Argentoratus translati in Germaniam: Aquita-„niæ, novemque populorum Lugdunenſis, & „Narbonenſis Provinciæ, præter paucas urbes po-„pulata ſunt cuncta, quas & ipſas foris gladius, „intus vaſtat fames. Non poſſum absque lacrimis „Toloſæ facere mentionem, quæ ut hucuſque non „rueret, Sancti Epiſcopi Exuperii merita præſtite-„runt. Ipſæ Hiſpaniæ jam, jamque perituræ „quotidie contremiſcunt, recordantes irruptionis „Cimbricæ, & quidquid alii ſemel paſſi ſunt, il-„læ ſemper timore patiuntur. Cetera taceo, ne „videar

* **Alienigenam hoc loco ſignificat.**

„videar de Dei deſperare clementia. Olim a mari „Pontico uſque ad Alpes Julias non erant noſtra, „quæ noſtra ſunt: & per annos triginta, fracto „Danubii limite in mediis Romani Imperii regio-„nibus pugnabatur. Aruerunt vetuſtate lacrimæ: „præter paucos ſenes omnes in captivitate, & ob-„ſidione generati, non deſiderabant, quam non „noverant, libertatem. Quis hoc credet? quæ „digno ſermone hiſtoriæ comprehendent? Romam „in gremio ſuo non pro gloria, ſed pro ſalute „pugnare? imo ne pugnare quidem, ſed auro, & „cuncta ſupellectile vitam redimere? quod non „vitio principum, qui vel religioſiſſimi ſunt, ſed „ſcelere ſemibarbari accidit proditoris, qui noſtris „contra nos opibus armavit inimicos. Æterno „quondam dedecore Romanum laborabat Impe-„rium, quod Gallis cuncta vaſtantibus, fuſoque „apud Alliam exercitu, Romam Brennus intravit: „nec priſtinam poterat abolere ignominiam, do-„nec & Gallias, genitale Gallorum ſolum, & Gal-„lograeciam, in qua conſederant Orientis, occi-„dentisque Victores, ſuo imperio ſubjugaſſet. „Hannibal, de Hiſpaniæ finibus orta tempeſtas, „cum vaſtaſſet Italiam, vidit urbem, nec auſus eſt „obſidere. Pyrrhum tanta tenuit Romani nominis „reverentia, ut deletis omnibus, e propinquo re-„cederet loco, nec audebat victor aſpicere, quam „Regum didicerat civitatem. Et tamen pro hac „incuria (non enim dicam ſuperbia) quæ bonos „exitus habuit, alter toto orbe fugitivus tandem „Bythiniæ mortem veneno reperit: alter reverſus „in patriam, in ſuo regno occubuit: & utrius-„que provinciæ populi Romani vectigales ſunt. „Nunc ut omnia proſpero fine eveniant, præter „noſtra, quæ amiſimus, non habemus, quod victis „hoſtibus auferamus. Potentiam Romanæ urbis „ardens Poeta deſcribens, ait: *Quid ſatis eſt, ſi*

„*Roma parum eſt?* quod nos alio mutemus elo-„gio: Quid ſalvum eſt, ſi Roma perit? Non mi-„hi, ſi linguæ centum ſint, oraque centum, fer-„rea vox, omnes captorum dicere poenas, om-„nia cæſorum percurrere nomina poſſim. Et hæc „ipſa, quæ dixi periculoſa ſunt tam loquentibus, „quam audientibus, ut ne gemitus quidem liber „ſit; nolentibus, imo nec audentibus nobis flere, „quæ patimur.„

Salvianus *Libro VI. de Gubernatione* ſic oſtendit chriſtianos gravioribus etiam calamitatibus, quam nunc dictæ ævo Hieronymi fuerant, nihilo tamen modeſtiores, melioresque factos:

„Sed ſcilicet qui corrumpimur rebus proſperis, „corrigimur adverſis, & quos intemperantes pax „longa fecit, turbatio facit eſſe moderatos? Num-„quid populi civitatum, qui impudici rebus pro-„ſperis fuerant, aſperis caſti eſſe cœperunt? Nun-„quid ebrietas, quæ tranquillitate & abundantia „creverat, hoſtili ſaltem depopulatione ceſſavit? „Vaſtata eſt Italia tot jam cladibus: ergo Italorum „vitia deſtiterunt? Obſeſſa eſt urbs Roma, & ex-„pugnata: ergo deſierunt blaſphemi, ac furioſi „eſſe Romani? Inundarunt Gallias gentes barbaræ: „ergo, quantum ad mores perditos ſpectat, non „eadem ſunt Gallorum crimina, quæ fuerunt? „Transcenderunt in Hiſpaniæ terras populi Wan-„dalorum. Mutata quidem eſt ſors Hiſpanorum: „ſed non mutata vitioſitas. Poſtremo, nequa „pars mundi exitialibus malis eſſet immunis, na-„vigare per fluctus bella cœperunt: quæ vaſtatis „urbibus, mari clauſis, & everſis Sardinia, ac Si-„cilia, id eſt, fiſcalibus horreis, atque abſciſſis ve-„lut vitalibus venis, Africam ipſam, id eſt, quaſi „animam captivavere Reipublicæ. Ecquid? ingreſ-„ſis terram illam gentibus barbaris, forſitan vel „metu vitia ceſſarunt? aut, ſicut corrigi ad præ-

„ſens

„ſens etiam nequiſſimi quique ſervorum ſolent, „modeſtiam ſaltem, ac diſciplinam terror extorſit? „Quis æſtimare hoc malum poſſit? circumſona„bant armis muros Cirtæ, atque Carthaginis po„puli barbarorum, & Eccleſia Carthaginenſis in„ſaniebat in circis, luxuriabat in theatris. Alii „foris jugulabantur: alii intus fornicabantur. Pars „plebis erat foris captiva hoſtium, pars intus cap„tiva vitiorum. Cujus ſors pejor fuerit, incer„tum eſt. Illi quidem erant extrinſecus carne, „ſed iſti intus mente captivi: & ex duobus letha„libus malis levius, ut reor, eſt captivitatem cor„poris chriſtianum, quam captivitatem animæ ſu„ſtinere; ſecundum illud, quod docet Salvator ip„ſe in Evangelio, graviorem multo animarum mor„tem eſſe, quam corporum. An credimus forte, „quod captivus animis populus ille non fuerit, „qui lætus tunc in ſuorum captivitatibus fuit? Ca„ptivus corde, & ſenſu non erat, qui inter ſuo„rum ſupplicia ridebat, qui jugulari ſe in ſuorum „jugulis non intelligebat, qui mori ſe in ſuorum „mortibus non putabat? Fragor, ut ita dixerim, „extra muros, & intra muros, præliorum, & lu„dicrorum: confundebatur vox morientium, vox„que bacchantium: ac vix diſcerni forſitan po„terat plebis ejulatio, quæ cadebat in bello, & „ſonus populi, qui clamabat in circo. Et cum „hæc omnia fierent, quid aliud talis populus age„bat, niſi ut cum eum Deus perdere adhuc nol„let, tamen ipſe exigeret, ut periret? Sed quid „ego loquor de longe poſitis, & quaſi in alio „orbe ſubmotis, cum ſciam etiam in ſolo patrio, „atque in civitatibus Gallicanis omnes ferme præ„celſiores viros calamitatibus ſuis factos fuiſſe pe„jores. Vidi ſiquidem ego ipſe Treveros, domi „nobiles, dignitate ſublimes, licet jam ſpoliatos, „atque vaſtatos, minus tamen everſos rebus fuiſſe,

 „quam

„quam moribus. Quamvis enim depopulatis jam, „atque nudatis aliquid ſupererat de ſubſtantia, ni„hil tamen de diſciplina. Adeo graviores in ſe„met hoſtes externis hoſtibus erant, ut licet a bar„baris jam everſi eſſent, a ſe tamen magis everte„rentur. Lugubre eſt referre, quæ vidimus, ſe„nes honoratos, decrepitos Chriſtianos immi„nente jam admodum excidio civitatis gulæ, ac „laſciviæ ſervientes. Quid primum hic accuſan„dum eſt? quod honorati? an quod ſenes? an „quod chriſtiani? an quod periclitantes? quis enim „hoc fieri poſſe credat, vel in ſecuritate a ſeni„bus, vel in diſcrimine a pueris, vel unquam a „Chriſtianis? Jacebant in conviviis obliti honoris, „obliti ætatis, obliti profeſſionis, obliti nominis „ſui, Principes civitatis, cibo conferti, vinolentia „diſſoluti, clamoribus rabidi, bacchatione furioſi, „nihil minus, quam ſenſus ſui: imo quia prope „jugiter tales, nihil magis, quam ſenſus ſui. Sed „cum hæc ita eſſent, plus multo eſt, quod di„cturus ſum, finem perditioni huic nec civitatum „excidia fecerunt. Denique expugnata eſt qua„ter urbs Gallorum opulentiſſima. Promptum eſt, „de qua dicam. Sufficere utique debuerat emen„dationi prima captivitas, ut inſtauratio peccato„rum non inſtauraſſet excidium. Sed quid plu„ra? Incredibile eſt, quod loquor. Aſſiduitas il„lic calamitatum augmentum illic criminum fuit. „Sicut enim anguinum illud monſtrum, ut fabu„læ ferunt, multiplicabat occiſio, ita etiam in Gal„lorum excellentiſſima urbe, iis ipſis, quibus coër„cebantur, plagis ſcelera creſcebant, ut putares „pœnam ipſorum criminum quaſi matrem eſſe vi„tiorum. Et quid plura? Ad hoc malorum quo„tidie pullulantium multiplicatione perventum eſt, „ut facilius eſſet urbem illam ſine habitatore, quam „ullum pene habitatorem eſſe ſine crimine. Ighoc

hoc

„hoc in illa. Quid in alia non longe, ſed pro-„pe ejuſdem magnificentiæ civitate? Nonne ea-„dem & rerum ruina pariter, & morum? Nam „præter cetera, cum duobus illic præcipuis, & „generalibus malis avaritia, & ebrietate omnia „concidiſſent, ad hoc poſtremo rabida vini avidi-„tate perventum eſt, ut Principes urbis ipſius ne „tunc quidem de conviviis ſurgerent, cum jam „urbem hoſtis intraret. Adeo etiam Deus ipſis „evidenter, ut credo, manifeſtare voluit, cur pe-„rirent, cum per quam rem ad perditionem ulti-„mam venerant, eam ipſam agerent, cum perirent. „Vidi ego illic res lacrimabiles, nihil ſcilicet in-„ter pueros differre, & ſenes. Una erat ſcurrili-„tas, una levitas; ſimul omnia luxus, potationes, „perditiones: cuncta omnes pariter agebant, lu-„debant, ebriabantur, enecabantur: laſciviebant „in conviviis vetuli & honorati, ad vivendum pro-„pe jam imbecilles, ad vinum prævalidiſſimi infir-„mi ad ambulandum, robuſti ad bibendum, ad „greſſum nutabundi, ad ſaltandum expediti. Et „quid plura? In hoc per cuncta illa, quæ dixi-„mus, devoluti ſunt, ut compleretur in eis dictum „illud Sermonis ſacri: *Vinum & mulieres apoſtatare* „*faciunt a Deo.* Nam dum bibunt, ludunt, mœ-„chantur, inſaniunt, Chriſtum negare cœperunt. „Et miramur poſt iſta omnia, ſi ruinam rerum ſua-„rum paſſi ſunt, qui tanto ante mentibus corrue-„runt? Nemo itaque urbem illam excidio ſuo tan-„tum periiſſe credat; ubi enim talia acta ſunt, prius „jam perierant, quam perierunt. Dixi de urbibus „præclariſſimis. Quid reliquæ in diverſis Galliarum „partibus civitates? Nunquid non conſimilibus ha-„bitatorum ſuorum vitiis conciderunt? Nam ita „cunctos crimina ſua preſſerant, ut nec metuerent „periculum ſuum. Prænoſcebatur captivitas, nec „formidabatur. Ablatus quippe erat a peccatoribus

 „timor,

„timor, ne poſſet eſſe cautela. Itaque barbaris „pene in conſpectu omnium ſitis, nullus erat metus „hominum, non cuſtodia civitatum. Tanta animo- „rum, vel potius peccatorum cæcitas fuit, ut cum „absque dubio nullus perire vellet, nullus tamen „id ageret, ne periret. Totum incuria, & ſegni- „ties, totum negligentia, & gula, totum ebrietas, „& ſomnolentia poſſidebant; ſecundum illud ſci- „licet, quod de talibus ſcriptum eſt: *Quia ſopor* „*Domini irruerat ſuper eos.* Sopor quippe infundi- „tur, ut perditio ſubſequatur. Cum enim, ut ſcri- „ptum eſt, completis iniquitatibus ſuis peccator „quis meretur, ut pereat, providentia ab eo tolli- „tur, ne periturus evadat. Sed hæc hactenus. Sa- „tis enim, ut arbitror, quod propoſui, evidenter „oſtendi, ne in ſummo quidem rerum diſcrimine „ceſſaſſe unquam vitia civium usque ad excidia civi- „tatum. Atque hæc fuerunt fortaſſe: jam non ſunt, „aut unquam eſſe ceſſabunt. Videlicet, ſiqua ad- „huc hodie aut civitas, aut provincia vel plagis „cœleſtibus cæditur, vel hoſtili populatione vaſta- „tur, humiliatur, convertitur, emendatur, & non „cunctos ferme Romani nominis populos prius eſt „interire, quam corrigi, non prius ipſos, quam in „ipſis vitia non eſſe. Denique id breviter probari „poteſt excíſa ter continuatis everſionibus ſumma „urbe Gallorum, cum omnis civitas buſtum eſſet, „malis & poſt excidia creſcentibus. Nam quos ho- „ſtis in excidio non occiderat, poſt excidium cala- „mitas obruebat; cum id, quod in excidio evaſerat „morti, poſt excidium non ſupereſſet calamitati. „Alios enim impreſſa altius vulnera longis morti- „bus necabant, alios ambuſtos hoſtium flammis „etiam poſt flammas pœna torquebat: alii interi- „bant fame: alii nuditate: alii tabeſcentes: alii ri- „gentes, ac ſic in unum exitum mortis per diverſa „moriendi genera corruebant. Et quid plura?

„exci-

„Excidio unius urbis affligebantur quoque aliæ civitates. Jacebant ſiquidem paſſim, quod ipſe vidi, „atque ſuſtinui, utriusque ſexus cadavera, nuda, „lacera, urbis oculos inceſtantia, avibus, canibus„que laniata. Lues erat viventium fœtor funereus „mortuorum. Mors de morte exhalabatur. Ac „ſic, etiam qui excidiis ſupradictæ urbis non inter„fuerant, mala alieni excidii perferebant. Et quid „poſt hæc, inquam, quid poſt hæc omnia? Quis „æſtimare hoc amentiæ genus poſſit? Pauci nobi„les, qui excidio ſuperfuerant, quaſi pro ſummo „deletæ urbis remedio Circenſes ab Imperatoribus „poſtulabant. Vellem mihi hoc loco ad exequen„dam rerum indignitatem parem negotio eloquen„tiam dari, ſcilicet ut tantum virtutis eſſet in queri„monia, quantum doloris in cauſa. Quis enim æſti„mare poſſit, quid primum in his, de quibus dixi„mus, accuſandum ſit, irreligioſitas, an ſtultitia, „an luxuria, an amentia? Totum quippe in illis eſt. „Quid enim irreligioſius, quam petere aliquid in „injuriam Dei? An quid ſtultius, quam quid petas, „non conſiderare? Aut quid tam perditi luxus, quam „in luctu res deſiderare luxuriæ? Aut quid amentius, „quam in malis eſſe, & malorum intelligentiam non „habere? Quamquam in his omnibus nulla res mi„nus culpanda eſt, quam amentia; quia voluntas „crimen non habet, ubi furore peccatur. Quo ma„gis his, de quibus loquimur, accuſandi ſunt, quia „ſani inſaniebant. Circenſes ergo Treveri deſide„ratis! & hoc vaſtati, hoc expugnati, poſt cla„dem, poſt ſanguinem, poſt ſupplicia, poſt capti„vitatem, poſt tot everſæ urbis excidia? Quid lacri„mabilius hac ſtultitia? quid luctuoſius hac amen„tia? Fateor, miſerrimos eſſe vos credidi, cum ex„cidia paſſi eſtis, ſed miſeriores vos video, cum „ſpectacula poſtulatis. Putabam enim, vos in exci„diis rem tantum, atque ſubſtantiam, neſciebam,

„etiam ſenſum, atque intelligentiam perdidiſſe. „Theatra igitur quæritis, Circum a Principibus po„ſtulatis? Cui quæſo ſtatui, cui populo, cui civi„tati? Urbi exuſtæ, ac perditæ, plebi captivæ, & „interemptæ, quæ aut periit, aut luget, de qua „etiamſi quid ſupereſt, totum calamitatis eſt; quæ „cuncta aut mœſtitudine eſt anxia, aut lacrimis ex„hauſta, aut orbitate proſtrata, in qua neſcias pene, „cujus ſit ſors pejor, ac durior, interfectorum, an „viventium. Tantæ enim ſunt miſeriæ ſuperſti„tum, ut infelicitatem vicerint mortuorum. Ludi„cra ergo publica Trever petis! Ubi quæſo exer„cenda? an ſuper buſta, & cineres, ſuper oſſa, „& ſanguinem peremptorum? Quæ enim urbis pars „his malis omnibus vacat? ubi non cruor fuſus? „ubi non ſtrata corpora? ubi non conciſorum mem„bra lacerata? Ubique facies captæ urbis, ubique „horror captivitatis, ubique imago mortis. Jacent „reliquiæ infeliciſſimæ plebis ſuper tumulos defun„ctorum ſuorum, & tu Circenſes rogas? Nigra eſt „incendio civitas, & tu vultum feſtivitatis uſurpas: „lugent cuncta, tu lætus es. Inſuper etiam illece„bris flagitioſiſſimis Deum provocas, & ſuperſtitio„nibus peſſimis iram Divinitatis irritas. Non miror „plane, non miror, tibi eveniſſe mala, quæ conſe„cuta ſunt. Nam quia te tria excidia non correxe„rant, quarto perire meruiſti. Hæc autem omnia „ideo copioſius paulo prolata ſunt, ut probaremus „ſcilicet, omnia quæ pertulimus, non improviden„tia nos Dei, atque neglectu, ſed juſtitia, ſed ju„dicio, ſed æquiſſima diſpenſatione, & digniſſima „retributione toleraſſe, neque ullam penitus Roma„ni orbis, aut Romani nominis portionem, quam„vis graviter plagis cœleſtibus cæſam, unquam fuiſſe „correctam.„

Ita

Ita Salvianus, qui ſi unquam, certe hic oratorem agit, & exemplum dicendi præbet. Argumenta clara ſunt, de rebus ob oculos poſitis, quarum recens memoria, & quibus, cum gererentur, ipſe magnam partem teſtis interfuit. Amplificatio vero ſic reſplendet, ut nihil magis; nam per omne quidem corpus ſparſa, mirum quantum omnia exaggerat, & magis ſemper, magisque aſſurgens, ſub finem vehementiſſime concitatur. Plures eloquentiæ Magiſtri locum hunc commendarunt, quod vim, & impetum ineſſe illi viderent, qui non niſi in pauciſſimos cadat; eosque veteranos oratores. Ego quoties legi, legi autem pluries, ſemper illud mecum cogitavi, Salvianum ita oraſſe hanc cauſam, ut dubium ſit, num ipſe Demoſthenes melius id, feliciusque præſtitiſſet.

CAPUT IV.

Specimina Amœnitatis *Patrum in delectando.*

Equidem haud paucos videas, qui orationis ſuavitatem minus neceſſariam putent in concione; ne ſcilicet magis orator placeat auditori, quam ipſe ſibi auditor diſpliceat. Atque iſtuc ex Patrum præcipue teſtimoniis conficere volunt, quæ nos Libro primo Diſſertatione ſexta cap. 1. multa ſane adduximus, & luculenta. In quorum ego ſententia nunquam fui, eoque minus ſum modo, quod nec illos ipſos Patres intelligo in ea aliquando fuiſſe. Potius pro explorato habent, ſine delectatione aut parum, aut nihil promoveri; ut quæ ſola tenere vagantes animo, atque ad bonum ſeu cognoſcendum, ſeu faciendum adducere poſſit. Id quod ex ejusdem Diſſertationis cap. 2. colligi manifeſte debet. Atque hac maxime de cauſa inducti ſunt Patres, ut putarent,

ſicut profani *, ita ſacri quoque oratoris eſſe, uti placeret, nec nudam Scripturam, nudam rationem ea ſiccitate, qua in prælectionibus ſcholarum, aut catecheſibus ſolet, proponeret, verum myſteria & leges Religionis, quantum poſſet, ſub ſplendida, excelſaque imagine oſtenderet, ac plena in luce collocaret. Etſi ergo nervum orationis maxime ad docendum, movendumque converterunt, & de intimo ſolutoque pectore ſunt locuti, tamen nec jejuna, nec arida volebant, quæ de divinis tractarent. Non quod operoſas deſcriptiones, figuras anxie expictas, apoſtrophes, invectivasque inutiles, delicatam actionem, & membrorum velut ad numeros compoſitionem ſectarentur (hæc enim averſati ſunt ſemper, eorumque amatores commiſeratione dignos duxerunt) ſed quod ſimplicem, modeſtum, atque pudicum quærerent ornatum, qui & rem propoſitam, & auditores, maxime autem ſe ipſos deceret. Quare præter robur, quod impendunt ad dogmata firmanda, ad ſuadendas virtutes, ad vitia profliganda, ad delectum argumentorum non qualiumcunque, ſed loco, tempori, genio hominum accomodatorum; figuris uſi ſunt probe diductis: ſignificationes adhibuerunt vivas, & proprias: ſenſus ſublimes ſimul, ac populares, quamque novos, tam veros: omnia ſtatuerunt ordine naturæ, ſtylum ipſum, ubi uſus poſceret, aliquantum profanis conformarunt, præcipue vero vocis actioniſque dignitate, qua nihil eſt in rebus humanis imperioſius, tale orationi pondus addiderunt, ut quemadmodum tota vita, ſic ſermo, & habitus ipſe membrorum imago quædam fieret evangelicæ honeſtatis. Sic S. AMBROSIUS *Libro I. de officiis cap.* 22. *orationem* poſtulat *puram ſimplicem, dilucidam*, *atque manifeſtam, ple-*

nam

* Vide Ciceronem in *Partitionibus oratoriis.*

nam gravitatis, & ponderis, non affectata elegantia, ſed non intermiſſa gratia. Et alibi * clarius etiam dicit: *Sint ſermones tui profluì, ſint puri, & dilucidi, ut morali diſputatione ſuavitatem infundas populorum auribus, & gratia verborum tuorum plebem demulceas, ut volens, quo ducis, ſequatur.* Julianus quoque Pomerius *Libro I. de vita contemplativa cap.* 23. *Etiamſi minus latinum*, ait, *diſciplinatum tamen, & gravem ſermonem debere eſſe Pontificis, qui in omnium audientium pectus cum quadam delectatione deſcendat.* S. Augustinus *IV. Libro de Doctrin. Chriſtian.* plura capita in eo fere conſumit, ut oſtendat, quemadmodum illa, quæ inventa a nobis ſunt feliciter, ornate etiam, jucunde, & cum voluptate quadam proferamus. Neque enim latebat ſummum illud ingenium, atque in dicendo tam diu exercitatum, quanta in eo vis eſſet ad hominum mentes vel retrahendas a vitiis, vel ad honeſtatem, virtutemque impellendas. Nam, quod & ipſe monet, ſic ſunt homines, ut quod pulchrius, ſuaviusque dicitur, etiam melius, veriusque dici arbitrentur. Sed et Lactantius ſummus magiſter dicendi *Libro VI. divinar. Inſtitut. cap.* 21: *Perſuadet*, inquit, *quidquid ſuave eſt, & animo penitus, dum delectat, inſidet.*

Ex quibus omnibus clarum eſt, ſacros hos doctores, quod amœnitatem in delectando attinet, nihil immutatum velle, quod profani ſtatuerunt. Eadem enim ratione nituntur, qua illi, multum ſcilicet ad fidem audientis juvare voluptatem, & neſcio quomodo credere multos facilius, quæ jucunda ſint, ac delectatione ad honeſtum duci: ſecus vero perdi optimam ſæpe cauſam; cum nihil poſſit intrare in affectum, quod in aure, velut quodam veſtibulo ſtatim offenderit. Notent hæc ſibi,

* *Epiſt. nunc* 2. *alias* 44. & 19.

ſibi, qui perpetuo Prophetarum ſe, & Apoſtolorum diſcipulos clamitant, non oratorum: & ſiquidem nos non audiunt, ſaltem monitis, exemplisque Patrum aliquid tribuant, incorruptis in ea re judicibus, maximeque idoneis. Equidem novi fieri poſſe, factum etiam non ſemel, ut homines voce abſona, corpore, vultuque vaſto, adhæc ab omni alio præſidio imparati, inopesque ſermonis, tamen non patienter tantum, ſed cum deſiderio quoque, ac voluptate audirentur. Quidam vero in politiſſimis etiam urbibus auditorum frequentiam tantam nacti ſunt, ut ubi conſtitiſſet, eos poſtridie dicturos ad populum, multo ante lucem ſubſellia omnia occuparentur. Sanctitatis enim opinio effecit, ut & naturæ vitia tegerentur omnino, & dicendi ſuavitas ab eo minime requireretur, qui ſuadebat nihil, quod non ante ipſus luculentiſſime præſtitiſſet. Accedit unctio illa cœleſtis, quæ leniſſime illabi in animos ſolet, & potentior omni ea delectatione eſt, quam ars humana vel præcipere aliis poſſit, vel ſibi ipſa arrogare. His igitur inſtructus vel infans cum ſit, loquatur, ut volet, delectabit tamen, & eo ipſo delectabit, quo diſplicent alii, ſicque expers omnis eloquentiæ vel facundiſſimos anteibit. Sed nempe rarum id; imo ſi frequens, & uſitatum eſſet, uti Patrum temporibus fuit, ex ipſorum tamen mente, in exemplum trahi minime oporteret. Ne ergo humana præſidia abjiciamus, quæ ne illi quidem abjecerunt, atque ut Deo primas partes in hoc negotio tribuimus, neque apud nos deeſſe aliquid patiamur; ſed quid humanæ artes amœnum, atque jucundum obtulerint, cum divina illa ſuavitate conjungendum putemus. Omnia quæ delectationi videntur data, ad victoriam quoque pertinent, atque ut latera in navigio, prora, carina, puppis, antennæ, vela, mali, & reliqua, habe-

ant

ant licet ſpeciem venuſtatis, atque ornatus, tamen non ad ſpectaculum, ſed ſalutem præcipue inventa ſunt, ita & in nobis hoc ipſum ſemper proderit, quod placuerimus. Quoniam vero ad ſpecimina paulatim progredimur, minime tacendum eſt, quam late pateat regnum delectationis, ut quod omnia fere complectitur, quæcunque ſive de *generibus dicendi temperato*, *harmonico*, *arguto*, *florido*, *dulci*, *ſalſo*: ſive de *præcipuis Figuris Allegoria*, *Antitheſi*, *Deſcriptione*, *Ethopœia*, *Hypotypoſi*, *Inverſione*, *Ironia*, *Proſopopœia*, *Similitudine*, *Suſtentatione* memoranda ſuperſunt. Cum ergo in tanta exemplorum varietate omnia non poſſumus apponere, & multa per ſe in his paginis paſſim occurrunt, quæ mirifice delectant, non niſi præcipua quædam adducemus.

Et I. quidem *Argutiis* delectant illa Ambrosii *Libro I. de Virginibus cap.* 2. quibus divæ Agnetis admirabilem victoriam ſic repræſentat, ut ſine maxima voluptate legi a nemine poſſint:

„Hæc duodecim annorum martyrium feciſſe „traditur. Quo deteſtabilior crudelitas, quæ nec „minuſculæ pepercit ætati: imo magna vis fidei, „quæ etiam ab illa teſtimonium invenit ætate. Fu„itne in illo corpuſculo vulneri locus? & quæ non „habuit, quo ferrum reciperet, habuit, quo fer„rum vinceret? At iſtius ætatis puellæ torvos etiam „vultus parentum ferre non poſſunt, & acu diſtri„cta ſolent puncta flere, quaſi vulnera. Hæc inter „cruentas carnificum impavida manus, hæc ſtriden„tium gravibus immobilis tractibus caternarum, „nunc furentis mucroni militis totum offerre cor„pus, mori adhuc neſcia, ſed parata: vel ſi ad „aras invita raperetur, tendere Chriſto inter ignes „manus, * atque in ipſis ſacrilegis focis trophæum „Domini

* I. e. Crucis figuram ſublatis in altum brachiis exprimere, quod tum familiare orantibus fuit.

„Domini ſignare victoris: nunc ferratis colla, ma-„nusque ambas inſerere nexibus; ſed nullus tam „tenuia membra poterat nexus includere. Novum „martyrii genus! Nondum idonea poenæ, & iam „matura victoriæ, certare difficilis, facilis coronari, „magiſterium virtutis implevit, quæ præjudicium „vehebat ætatis. Non ſic ad thalamum nupta pro-„peraret, ut ad ſupplicii locum læta ſucceſſu, gra-„du feſtina virgo proceſſit. Non intorto crine „caput compta, ſed Chriſto, non floſculis redi-„mita, ſed moribus. Flere omnes, ipſa ſine fle-„tu: mirari plerique, quod tam facile vitæ ſuæ „prodiga, quam nondum hauſerat, jam quaſi per-„functa donaret: ſtupere univerſi, quod jam di-„vinitatis teſtis exiſteret, quæ adhuc arbitra ſui „per ætatem eſſe non poſſet. Effecit denique, „ut ei de Deo crederetur, cui de homine adhuc „non crederetur; quia quod ultra naturam eſt, de „auctore naturæ eſt. Quanto terrore egit carni-„fex *, ut timeretur! quantis blanditiis ut ſuade-„ret! quantorum vota, ut ſibi ad nuptias prove-„niret! At illa: Et hæc ſponſi injuria eſt, inquit, ex-„ſpectare placituram. Qui me ſibi prior elegit, acci-„piet. Quid percuſſor moraris? Pereat corpus, quod „amari poteſt oculis, quibus nolo. Stetit, ora-„vit, cervicem inflexit. Cerneres trepidare carni-„ficem, quaſi ipſe addictus fuiſſet, tremere per-„cuſſoris dexteram, pallere ora alieno timentis „periculo, cum puella non timeret ſuo. Habetis „igitur in una hoſtia duplex martyrium, pudoris, „& Religionis; & virgo permanſit, & martyrium „obtinuit.

Idem *Libro II. de Virginib. cap.* 3.

„Thecla doceat immolari, quæ copulam fu-„giens nuptialem, & ſponſi furore damnata natu-„tam

* Hoc loco, ut res ipſa docet, carnificis nomine Tyrannum intelligit.

„ram etiam beſtiarum virginitatis veneratione mu„tavit. Namque parata ad feras, cum aſpectus „quoque declinaret virorum, ac vitalia ipſa ſævo „offerret leoni, fecit ut qui impudicos detulerant „oculos, pudicos referrent. Cernere erat lingen„tem pedes beſtiam, cubitare humi, muto teſtifi„cantem ſono, quod ſacrum virginis corpus vio„lare non poſſet. Ergo adorabat prædam ſuam „beſtia, & propriæ oblita naturæ, naturam indue„rat, quam homines amiſerant. Videres qua„dam naturæ transfuſione homines feritatem in„dutos ſævitiam imperare beſtiæ: beſtiam exoscu„lantem pedes virginis docere, quid homines de„berent. Tantum habet virginitas admirationis, „ut eam etiam leones mirentur. Non impaſtos „cibus flexit, non citatos impetus rapuit, non „ſtimulatos ira aſperavit, non uſus decepit aſſue„tos, non feros natura poſſedit. Docuerunt re„ligionem, dum adorant martyrem: docuerunt „etiam caſtitatem, dum virgini nihil aliud niſi plan„tas oſculantur, demerſis in terram oculis tanquam „verecundantibus, ne mas aliquis vel beſtia virgi„nem nudam videret.„

II. Miſtura afficiuntut, & varietate omnis generis pleraque divi Hieronymi, ut fere alio non ſit opus, quam obviam ejus paginam aperire. Lege, ſi lubet, quæ propius *initium Libri 2. adverſus, Jovinianum* contra illecebras ſenſuum declamat. Chrysostomus quoque mirifica eſt varietate, uti v. g. *hom. 27. in ad Roman. hom. 80. in Math. hom. 24. in I. ad Corinth.* atque innumeris aliis locis videre eſt.

Ingens etiam, atque innumerarum pene rerum varietas, jucunditas autem non minor in *oratione* 2. Nazianzeni *de Theologia*, in qua nec ipſe negat *delicioſo dicendi genere uſum ſe, dum Dei delicias oratione complecteretur.* Vide; non pœnitebit; nam nobis

nobis propter nimiam argumenti diffuſionem fas non eſt huc tranſcribere.

Quod ſi delectatio ex varietate omni oritur, quanto major inde exiſtat, neceſſe eſt, quando una eademque res ita variatur? Audiamus illud Basilii *homil.* 5. *Hexameron.* ubi de plantis ſermonem inſtituit.

„Nihil ſine cauſa, nihil temere factum eſt. Om„nia ab ineffabili quadam ſapientia proficiſcuntur. „Quænam oratio poſſit omnia aſſequi? quomodo „accurate omnia recenſere poſſit mens humana, „adeo ut proprietates cognoſcat, ſecernat clare ſin„gulorum differentias, & occultas cauſas certo pro„ferat? Una aqua per radicem attracta aliter nu„trit ipſam radicem, aliter trunci corticem, aliter „lignum, aliter medullam. Eadem & folium fit, „& in majores, ac in minores ramos diſcinditur, „& præſtat fructibus incrementum. Lacrimæ etiam, „& ſuccus plantæ ex eadem cauſa proveniunt; „quæ quantum inter ſe differant, nullus ſermo „explicare poſſit. Alia eſt enim lentiſci lacrima, „alius balſami ſuccus, quædam etiam ferulæ in „Ægypto, & in Lybia ſtillant aliud ſuccorum ge„nus. Ferunt quoque electrum ſuccum eſſe „plantarum in lapidis naturam concretum. Porro „opinionis hujus teſtimonium ſunt feſtucæ, in „ipſo apparentes, ac beſtiolæ tenuiſſimæ, quæ pro„pterea, quod in tenero ac molli ſucco conſede„rint, detinentur incluſæ. Et in ſumma, qui non „experimento edoctus eſt, quantum inter ſe diſcre„pent ſuccorum qualitates, is ad eorum vim, ac „efficaciam nullum reperturus eſt ſermonem. Quo„modo iterum ab eodem humore in vite quidem „vinum producitur, in oleo autem oleum? At„que non id ſolum mirandum eſt, quonam pacto „humor hic dulcis, illic pinguis evaſerit, ſed quod „etiam in dulcibus fructibus inenarrabilis eſt qua-

„lita-

„litatis commutatio. Alia eſt enim in vite dul„cedo, alia in malo, in fico, ac in palma. Vo„lo inſuper, ut hæc majori ſtudio & arte perſcru„teris: quomodo aqua eadem nunc ſenſui lenis „ſit, cum in quibusdam plantis commorans dul„ceſcit: nunc vero pungat guſtum, cum per alias „plantas diducta aceſcit: ac rurſus in extremam „amaritudinem verſa ſenſum exaſperat, cum in „abſinthio, aut ſcammonea inſederit. Quin „etiam in glandibus, aut in corni fructu ad adſtrin„gentem, aſperamque qualitatem tranſit: in tere„binthis vero, & nucibus in teneram, & oleoſam „naturam transmutatur. Et quid opus eſt procul „diſſita proferre, cum in eadem ficu in qualitates „maxime contrarias commigret? Eſt enim in ſuc„co amariſſima: contra dulciſſima eſt in ipſo fru„ctu. Et in vite, aſtringentiſſima eſt in ramis, in „uvis vero ſuaviſſima. Quot autem differentiæ „ſunt colorum? Videas enim in prato eamdem „aquam in hoc quidem flore rubeſcentem, in alio „purpuream, in hoc cæruleam, in alio albam: „atque iterum differentiam majorem exhibet in „odoribus, quam ipſa eſt colorum varietas. Sed „enim orationem meam cerno ob inexplebile iſta „ſpeculandi deſiderium ultra modum excreſcere; „quam niſi adſtrinxero, revocaveroque ad creatio„nis legem; dies me deficiet, magnam vobis ſa„pientiam ex minimis rebus exhibentem.„

Tertium delectationis genus repeto ab ipſo argumento jucundiore, & ſuaviore; huic enim ubi verba, atque ornatus reſponderint, mirum eſt quam uberem, quam liquidam afferant legentibus voluptatem. Qualis eſt deſcriptio veris, quam libro primo Diſſertatione ultima. cap. 2. ex NAZIANZENO attulimus. Ejusmodi etiam eſt illud AMBROSII *Libro VI. Hexameron. cap.* 4.

 „Quid

„Quid agniculis ſimplicius, quos minuſculæ par„vulorum comparamus infantiæ? Sæpe ex his in „magno grege agniculis per ovilia tota vagatus „errat a matre, & cum eam reperire non poſſit, „balatu frequenti abſentem citat, ut reſponſuræ „vocem excitet, quo ab ejus ſono errabunda re„plicet veſtigia. Multis licet verſetur in millibus „ovium, recognoſcit vocem parentis, feſtinat ad „matrem, lactis quoque materni notos ſibi fontes „requirit. Quamvis cibi deſiderio teneatur, & po„tus, tranſcurrit tamen aliena ubera gravida, licet „humore lactis exundent, ſolam matrem requirit, „ſolius ſibi materni uberis pauperes ſuccos ſignifi„cat abundare. Illa quoque inter multa agni„culorum millia ſolum filium novit. Unus quam„vis plurimorum balatus, eadem ſpecies: ſed illa „tamen fœtum ſuum diſcernit a ceteris, & ſolum „filium tacito pietatis teſtimonio recognoſcit. Pa„ſtor errat in diſcretione ovium, agniculus in ag„nitione matris neſcit errare. Paſtor fallitur ſpe„cie, ſed ovis pietate non fallitur. Unus odor „omnibus; ſed tamen habet natura odorem ſuum „domeſticum, quem ſoboles chara ſpeciali qua„dam videtur proprietate redolere.„

S. Hieronymus *Epiſt.* 9. *nunc.* 79. *ad Salvinam*, inter alia, quibus mortem mariti ſolaretur, liberos quoque exhibet, ab ipſo ſuſceptos, eo ornatu, ſuavitate, & deliciis verborum, ut nihil ſupra.

„Tenemus, inquit, pro eo dulciſſimos liberos. „Uxor hæres, pudicitiæ pretium eſt. Nebridius „puſio patrem quærentibus exhibet. Sic oculos, „ſic ille manus, ſic ora ferebat. Scintilla vigoris „paterni lucet in filio, & ſimilitudo morum per „ſpeculum carnis erumpens, ingentes animos an„guſto in pectore verſat. Iungitur ei germana, „roſarum, & liliorum calathus, eboris, oſtrique „commercium. Sic refert ore patrem, ut ad ve„nuſta-

„nuſtatem propenſior ſit: ſic matrem mixta ſimi-„litudine pingit, ut in uno corpore utrumque „agnoſcas. Ita ſuavis eſt, & mellitula, ut honor „ſit omnium propinquorum. Hanc tenere non de-„dignatur Auguſtus, hanc fovere in ſinu Regina „lætatur, certatim ad ſe omnes rapiunt, pendet „ex collo, hæret in brachiis ſingulorum, garrula, „atque balbutiens linguæ offenſione fit dulcior. „Habes igitur Salvina, quos nutrias, in quibus vi-„rum abſentem tenere te credas. Ecce hæredi-„tas Domini, filii: merces, fructus ventris! Pro „uno homine duos filios recepiſti. Auctus eſt nu-„merus charitatis. Quidquid debebas marito, „redde filiis. Amore præſentium abſentis deſide-„rium tempera. Non eſt parvi apud Deum me-„riti bene filios educare.„

Quarta ratio delectandi eſt *urbanitas*, *jocique familiares*, & ipſi apud Doctores noſtros haud infrequentes. Ita S. Gregorius Nazianzenus Celeuſio Præfecto, a quo ſilentii nomine accuſatus erat, facete admodum reſcribit *Epiſt.* 1.

„Quoniam ſilentium & ruſticitatem mihi obji-„cis vir belle, & urbane, age fabulam minime in-„ſcitam, tibi effingam, ut experiar, num hac ſal-„tem ratione ineptam iſtam loquacitatem compe-„ſcere queam. Hirundines quondam cygnos cavil-„lis inceſſebant propterea; quod nec cum homini-„bus conſuetudinem habere, nec canendi artem „in publicum proferre vellent; ſed circa prata ſo-„lum, & flumina canerent, ac ſolitudinem am-„plecterentur, nec pauca ſolum canerent, ſed „etiam, quod canerent, ſibi ipſis canerent, perin-„de, atque eos muſices ſuppuderet. At noſtræ, „inquiebant, ſunt urbes, noſtri homines, & tha-„lami, atque apud homines garrimus, resque no-„ſtras ipſis exponimus, nimirum vetera illa & At-„tica, Pandionem, Athenas, Tereum, Thraciam,

„peregrinationem, affinitatem, contumeliam, lin„guæ exſectionem, literas, præterque omnia Itym, „& quo modo ex hominibus in aves mutatæ ſu„mus. At cygni, quod earum garrulitatem exoſam „haberent, vix quidem eas ſermone dignas duxe„runt. Ut autem dignas duxerunt: at, o præcla„ræ! inquiunt, cauſa noſtra in ſolitudinem quo„que quiſpiam libens ſe contulerit, ut muſicam „audiat. Cum Zephyro pennas noſtras inflandas „permittimus, ut ſuave quiddam, & concinnum „inſpiret. Quare ſi non multum, nec apud mul„tos canimus, at illud certe in nobis pulcherri„mum eſt, quod modum in canendo tenemus, nec „muſicam tumultibus permiſcemus. Vos autem „& in ædes admiſſas homines faſtidiunt, & canen„tes averſantur, idque optimo jure; quippe, quæ „ne exciſa quidem lingua ſilere queatis; verum „ipſæ amiſſam vocem, & calamitatem veſtram „lugentes, quavis alia ave profuſa lingua prædita, „& canora loquaciores ſitis. Intellige, quid loquar, „ait Pindarus: ac ſi taciturnitatem meam tua lo„quitandi facilitate præſtantiorem inveneris, ſilen„tium noſtrum inepte carpere, atque inſectari deſi„ne; alioqui proverbium dicam ut veriſſimum, ita „etiam breviſſimum: Tum cantabunt cygni, cum „graculi tacuerint.„

Ejusdem generis elegantiſſimum ſpecimen dat epiſtola Sulpitii Severi *ad Baſſulam ſocrum ſuam*, quam habes Libro noſtro ſecundo, Diſſertatione de eodem Severo, capite tertio.

S. Hieronymus *epiſt.* 37. *nunc* 7. *ad Julianum* Stridonienſem Diaconum ex eremo, in quam paulo ante ſeceſſerat, ſic reſcribit, & excuſat ſeſe.

„Antiquus ſermo eſt: mendaces faciunt, ut nec „vera dicentibus credatur. Quod mihi a te ego „objurgatus de ſilentio literarum accidiſſe video: „Dicam:

„Dicam: ſæpe ſcripſi, ſed negligentia bajulorum „fuit? reſpondebis: omnium non ſcribentium vetus iſta excuſatio eſt. Dicam: non reperi, qui „epiſtolas ferret? dices, hinc illhinc iſſe quam „plurimos. Contendam, me etiam his dediſſe? „at illi, quia non reddiderunt, negabunt, & erit „inter abſentes incerta cognitio. Quid igitur fa„ciam? ſine culpa veniam poſtulabo, rectius ar„bitrans, pacem loco motum petere, quam æquo „gradu certamina concitare. Quamquam ita me „jugis tam corporis ægrotatio, quam animæ ægri„tudo conſumpſit, ut morte imminente, nec mei „pene memor fuerim. Quod ne falſum putes, „oratorio more poſt argumenta teſtes vocabo. „Sanctus frater Heliodorus hic adfuit, qui cum „mecum eremum vellet incolere, meis ſceleribus „fugatus abſceſſit. Verum omnem culpam præ„ſens verboſitas excuſabit. Nam ut ait Flaccus in „ſatyra: omnibus hoc vitium eſt cantoribus, in„ter amicos, rogati ut nunquam cantent, injuſſi „nunquam deſiſtant. Ita te deinceps faſcibus „obruam literarum, ut e contrario incipias rogare, „ne ſcribam. „

Quintus delectandi modus eſt in *animadverſionibus quibusdam acribus illis, ac novis* *. Cujusmodi eſt iſta Augustini *Tractatu* 50. *in Joannem*, Principum Sacerdotum ſtultitiam detegentis.

„Viſo Lazaro, inquit, reſuſcitato, quia tan„tum miraculum Domini tanta erat evidentia dif„famatum, tanta manifeſtatione declaratum, ut „non poſſent vel occultare, quod factum eſt, vel „negare, quid invenerunt, videte. *Cogitaverunt „autem principes Sacerdotum, ut & Lazarum inter-*

 „fice-

* Idem & de reliqua novitate dicas, ſive ordinis illa ſit ſive conceptuum, ſive rationum, ſive applicationum &c. Vide Giſbertum *cap*. 7.

„*ficerent.* O ſtulta cogitatio! o cæca ſævitia! Do-„minus Chriſtus, qui ſuſcitare potuit mortuum, „non poſſet occiſum? Quando Lazaro inferebatis „necem, nunquid auferebatis Domino poteſtatem? „Si aliud vobis videtur mortuus, aliud occiſus, „ecce Dominus utrumque fecit, & Lazarum mor-„tuum, & ſeipſum ſuſcitavit occiſum!„

S. Ambrosius *Libro I. de Virginibus cap.* 10. objicientibus ſuis Mediolanenſibus, quod perpetuo de Virginitate diceret, egregie ſe purgat, his uſus verbis:

„Dicet aliquis, tu nobis quotidie Virginum „canis laudes. Quid faciam, qui eadem quotidie „cantito, & proficio nihil? Sed non mea culpa. „Denique de Placentino ſacrandæ virgines veni-„unt, de Bononienſi veniunt, de Mauritania ve-„niunt, ut hic velentur. Magnam rem videtis; „hic tracto, & alibi perſuadeo. Si ita eſt, alibi „tractemus, ut vobis perſuadeamus. Quid, quod „etiam, qui me non audiunt, ſequuntur, qui au-„diunt, non ſequuntur? Nam pleraſque virgines „cognovi velle, & prohiberi etiam prodire a ma-„tribus, & quod eſt gravius, viduis, cum quibus „hic mihi ſermo eſt. Nempe ſi hominem vel-„lent amare filiæ veſtræ, per leges poſſent eligere, „quem vellent. Quibus igitur hominem eligere „licet, Deum non licet?„

S. Athanasius in *Apologia de fuga ſua poſt initium.*

„Hæc cum illi agant, nec pudeat malorum, „quæ adverſum nos moliti ſunt, nos etiamnum „ideo criminantur, quod ſanguinarias illorum ma-„nus effugerimus; imo potius acerbe lugent, quod „me non e medio prorſus ſuſtulerint: ac deinceps „ſimulate timiditatem exprobrant, non intelligen-„tes, ſe dum ita obmurmurant, in ſe potius ipſam „vertere criminationem. Nam ſi turpe eſt fugere,

„multo

„multo deterius perſequi: qui fugit enim, mortis „vitandæ cauſa ſe ſubducit: hic autem ideo perſe„quitur, ut perimat, quem inquirit. Quod au„tem fugere liceat, id Scripturæ teſtantur: qui „autem interficiendi animo inquirit, is legem tranſ„greditur, imo ipſe eſt, qui fugiendi cauſam præ„bet. Si igitur fugam exprobrant, ſe magis pu„deat, quod perſequantur. Deſinant inſidias ten„dere; mox gradum ſiſtent, qui fugiunt. Sed nun„quam illi ſuæ finem imponent malitiæ: nihil certe „non agunt, ut nos comprehendant, non adver„tentes, fugam eorum, qui perſecutionem patiun„tur, permagnum eſſe in perſecutores argumen„tum; nemo enim humanum fugit, aut manſue„tum hominem, ſed immanem, & moribus im„probum. Idcirco *omnes, qui erant in anguſtia* „*conſtituti, & oppreſſi ære alieno,* Saulem fugientes „ad Davidem ſe conferebant. Illi vero ideo eos, „qui ſe occultant, interficere ſatagunt, ut nulla „ſuperſint malitiæ ſuæ veſtigia. Verum illi, ut „ſemper errant, videntur in hoc etiam cæcutire. „Quanto enim fuga clarior, tanto etiam liquidius „inſidiis eorum patratæ cædes, irrogataque exilia „explorata erunt. Si namque occidant, ipſa mors „gravius in carnifices reſonabit: ſin pellant in exi„lium, quaquaverſum emittunt iniquitatis ſuæ mo„numenta. Si igitur ſanæ mentis eſſent, ſeſe „adverterent malis hujusmodi complicari, ac in „propria impingere conſilia. Verum quia men„te capti ſunt, impetu ad perſequendum ferun„tur, dumque cædes perpetrare ſtudent, ſuam im„pietatem perſpectam non habent.„

Sextum modum *vivi quidam colores, & vis imaginandi* ſuppeditant.

S. Asterius in *Matyrium præclariſſimæ Martyris Euphemiæ*, pictura expreſſum. Sic autem habet artis hoc præclarum opus.

„Sedet Judex throno ſublimis, acerbo, ac tru„ci vultu contuens Virginem (ars quippe in inani„mi quoque materia iraſcitur, cum lubet) Porro ad„ſunt magiſtratus, ſatellites, ac milites non pauci. „Ac quidam commentarienſes tabulas ferunt, ac „ſtylos, quorum alter manum e cera educens, in„tenſe aſpicit in adſtantem judicio virginem, to„tam deflectens faciem, tanquam jubeat loqui cla„rius; ut ne difficile audiens mendoſa ſcribat, ac „digna reprehenſione. Adſtat autem virgo pul„la veſte, ac pallio philoſophiam profeſſa, ut qui„dem putavit pictor, ipſo quoque vultu lepida, „ut autem ipſe exiſtimo, egregie ornato virtutibus „animo. Ducunt autem ad præſidem duo mili„tes, alter quidem ante trahens, alter vero a ter„go urgens. Porro virginis habitus pudore, ac „conſtantia mixtus enitet. Inclinat quidem, ac „cernua oculos demittit, tanquam virorum erube„ſcens obtutus; ſtat vero imperterrita, nihil in „certamine timidum patiens. Quamobrem cum „alios hactenus pictores, Colchicæ illius mulieris * „fabulam contuitus, laudarem; ut gladium filio ada„ctura miſericordia ac ira divideret faciem, ac al„ter quidem oculus iram oſtenderet, alter matrem „parcentem, ac facinus horrentem deſignaret: „nunc plane ab ea cogitatione ad hanc picturam „admirationem converti, mirumque in modum „artificem admiror, ut accuratius mores, quam „colores miſcens, pudorem ſimul ac fortitudinem, „affectiones utique per naturam contrarias, præ„clare temperarit. Ulterius autem procedente imi„tatione carnifices quidam in levibus nudi tunicis „operi jam inſiſtebant: ac alter quidem apprehen„dens caput, ac retro inflectens, alteri os Virginis „præ-

* *Medeam* ſignificat.

„præbebat expeditum ad pœnam: alter autem adſtans dentes excutiebat. Porro ſupplicii organa „malleus videntur, & terebra. Ceterum reſolvor „deinceps in lacrymas, mihique affectio intercipit „ſermonem. Sic enim perſpicue guttas ſanguinis appinxit penicillus, ut vere dicas a labiis „fluere, ac lamentans diſcedas. Iterum carcer, „iterum caſta virgo in pullis veſtibus ſedens ſola, „manus ambas extendit in cœlum, Deumque in „malis adjutorem invocat. Porro oranti illi apparet ſuper caput ejus ſignum illud, quod chriſtiani „adorare, ac appingere ſolenne habent: putoque „appetentis paſſionis ſymbolum. Mox ergo, ac „poſt modicum, ignem validum loco alio accendit „pictor, hinc inde rutilanti rubrica condenſans „flammam. Statuit vero Virginem mediam expanſis quidem manibus in cœlum, nullam tamen „vultu præferentem triſtitiam, ſed magis gaudentem, uti ad incorpoream, ac beatam commigrantem vitam. Hactenus cum pictor manum „tenuit, tum ego ſermonem, ac linguam. Ceterum tempus tibi eſt, ut & ipſam, ſi velis, picturam abſolvas; quo plene perſpicias, num longe „impares enarrando fuerimus.„

Quod de ſe Asterius præmonuit, id lector quilibet experietur. *Vidi picturam quamdam, cujus me ſpecies omnino cepit.* Ut enim pictor ab eodem laudatus non aliter pingebat, quam ſi vivas in tabulis formas exhiberet: ita & orator noſter picturam exponens non pejores pictoribus colores habet, uno hoc diſcrimine, quod ille artis opera hiſtoriam totam in ſindone, hic vero in charta, quam licuit viva expreſſione deſignaret.

Septimo plurimum delectat apparatus quidam, & pompa tam rerum, quam verborum.

 S. Leo

S. Leo *Serm.* 1. *in Natali Apoſtolorum*, quanta pompa, & dignitate ſermonis prædicationem illorum Romanam extollit!

„Omnium quidem ſanctarum Solennitatum, dilectiſſimi, totus mundus eſt particeps, & unius „fidei pietas exigit, ut quidquid pro ſalute univerſorum geſtum recolitur, communibus ubique „gaudiis celebretur: verumtamen hodierna feſtivitas præter illam reverentiam, quam toto terrarum orbe promeruit, ſpeciali, & propria noſtræ urbis exultatione veneranda eſt, ut ubi præcipuorum Apoſtolorum glorificatus eſt exitus, ibi „in die martyrii eorum ſit lætitiæ principatus. Iſti „enim ſunt viri, per quos tibi Evangelium Chriſti „Roma reſplenduit, & quæ eras magiſtra erroris, „facta es diſcipula veritatis. Iſti ſunt patres tui, „verique paſtores, qui te regnis cœleſtibus inſerendam multo melius, multoque felicius condiderunt, quam illi, quorum ſtudio prima mœnium tuorum fundamenta locata ſunt. Ex quibus is, qui tibi nomen dedit, fraterna te cæde „fœdavit. Iſti ſunt, qui te ad hanc gloriam provexerunt, ut gens ſancta, populus electus, civitas ſacerdotalis, & regia per ſacram beati Petri „Sedem caput orbis effecta latius præſideres religione „divina, quam dominatione terrena. Quamvis enim „multis aucta victoriis jus imperii tui terra, marique protuleris, minus tamen eſt, quod tibi bellicus labor ſubdidit, quam quod pax Chriſtiana „ſubjecit. Deus namque bonus, & juſtus, & „omnipotens, qui miſericordiam ſuam humano generi nunquam negavit, omneſque in commune „mortales ad cognitionem ſui abundantiſſimis ſemper beneficiis erudivit, voluntariam errantium „cæcitatem, & proclivem in deteriora nequitiam „ſecretiori conſilio, & altiori pietate miſeratus eſt, „mittendo Verbum ſuum, æquale ſibi, atque coæ-

„ter-

„ternum. Verbum igitur caro factum ita divi-
„nam naturam naturæ univit humanæ, ut illius ad
„infima inclinatio noſtra fieret ad ſumma provectio.
„Ut autem hujus inenarrabilis gratiæ per totum
„mundum diffunderetur effectus, Romanum reg-
„num divina providentia præparavit; cujus ad eos
„limites incrementa perducta ſunt, quibus cuncta-
„rum undique gentium vicina, & contigua eſſet
„univerſitas. Diſpoſito namque divinitus operi
„maxime congruebat, ut multa regna uno confœ-
„derarentur imperio, & cito pervios haberet po-
„pulos prædicatio generalis, quo unius teneret re-
„gimen Civitatis. Hæc autem Civitas ignorans
„ſuæ provectionis auctorem, cum pene omnibus
„dominaretur gentibus, omnium gentium ſervie-
„bat erroribus, & magnam ſibi videbatur aſſum-
„pſiſſe Religionem, quia nullam reſpuebat falſita-
„tem. Unde quantum erat per Diabolum tena-
„cius illigata, tantum per Chriſtum eſt mirabilius
„abſoluta. Nam cum duodecim Apoſtoli accepta
„per Spiritum Sanctum omnium locutione lingua-
„rum, imbuendum Evangelio mundum, diſtribu-
„tis ſibi terrarum partibus, ſuſcepiſſent: beatiſſimus
„Petrus, princeps Apoſtolici ordinis ad arcem Ro-
„mani deſtinatur imperii, ut lux veritatis, quæ
„in omnium gentium revelabatur ſalutem, effica-
„cius ſe ab ipſo capite per totum mundi corpus
„effunderet. Cujus autem nationis homines in
„hac tunc urbe non eſſent? Aut quæ uſquam gen-
„tes ignorarent, quod Roma didiciſſet? Hic con-
„culcandæ philoſophiæ opiniones, hic diſſolven-
„dæ erant terrenæ ſapientiæ vanitates, hic confu-
„tandi Dæmonum cultus, hic omnium ſacrilegio-
„rum impietas deſtruenda; ubi diligentiſſima ſuper-
„ſtitione habebatur collectum, quidquid uſquam fue-
„rat vanis erroribus inſtitutum. Ad hanc ergo
„urbem tu beatiſſime Petre Apoſtole venire non
„metuis,

„metuis, & conſorte gloriæ tuæ Paulo Apoſtolo, „aliarum adhuc Eccleſiarum ordinationibus oc„cupato, ſylvam iſtam frementium beſtiarum, & „turbulentiſſimæ profunditatis oceanum conſtantior, „quam cum ſuper mare gradereris, ingrederis. „Nec mundi Dominam times Romam, qui in „Caiphæ domo expaveras Sacerdotis ancillam. „Numquid aut judicio Pilati, aut ſævitia Judæo„rum minor erat vel in Claudio poteſtas, vel in „Nerone crudelitas? Vincebat ergo materiam for„midinis vis amoris, nec æſtimabas terrori ceden„dum, dum horum ſaluti conſulis, quos ſuſcepe„ras dirigendos. Hunc autem intrepidæ charita„tis affectum jam tunc profecto conceperas, quando „profeſſio tui amoris in Dominum trinæ interro„gationis eſt ſolidata myſterio: nec aliud ab hac „mentis tuæ intentione quæſitum eſt, quam ut pa„ſcendis ejus, quem diligeres, ovibus, cibum, „quo ipſe eras opimatus, impenderes. Augebant „quoque fiduciam tuam tot ſigna miraculorum, tot „dona chariſmatum, atque experimenta virtutum. „Jam populos, qui ex circumciſione crediderant, „erudieras: jam Antiochenam Eccleſiam, ubi pri„mum Chriſtiani nominis dignitas eſt orta, fun„daveras: jam Pontum, Galatiam, Cappadociam, „Aſiam, atque Bithyniam legibus evangelicæ præ„dicationis impleveras: nec aut dubius de profectu „operis, aut de ſpatio tuæ ignarus ætatis trophæum „Crucis Chriſti Romanis arcibus inferebas, quo „te divinis præordinationibus anteibant & honor „poteſtatis, & gloria paſſionis. Ad quam beatus „Coapoſtolus tuus, vas electionis, & ſpecialis ma„giſter Gentium Paulus occurrens, eodem tibi „conſociatus eſt tempore, quo jam omnis inno„centia, omnis pudor, omniſque libertas ſub Ne„ronis laborabat imperio. Cujus furor per omnium „vitiorum inflammatus exceſſum, in hunc eum

„uſque

„uſque torrentem ſuæ præcipitavit inſaniæ, ut „primus nomini Chriſtiano atrocitatem generalis „perſecutionis inferret, quaſi per Sanctorum ne„ces gratia Dei poſſet extingui; cujus hoc ipſum „erat maximum lucrum, ut contemptus vitæ hu„jus occiduæ perceptio fieret felicitatis æternæ. „*Pretioſa ergo in conſpectu Domini mors Sanctorum „ejus!* nec ullo crudelitatis genere deſtrui poteſt „ſacramento Crucis Chriſti fundata Religio. Non „minuitur perſecutionibus Eccleſia, ſed augetur, „& ſemper Dominicus ager ſegete ditiori veſtitur, „dum grana, quæ ſingula cadunt, multiplicata „naſcuntur. Unde duo iſta præclara divini ſemi„nis germina in quantam ſobolem germinarint, „beatorum millia Martyrum proteſtantur, qui Apo„ſtolicorum æmuli triumphorum, urbem noſtram „purpuratis, & longe, lateque rutilantibus popu„lis ambierunt, & quaſi ex multorum honore gem„marum conſerto uno diademate coronarunt.„

Octavo denique, ac præcipue delectant, quando plures ex prædictis dotibus ſimul concurrunt. En exemplum admirabile ex divo Ambrosio *Libro I. Hexameron cap. 9. de* Creatione Lucis.

„*Fiat*, inquit, *Lux.* unde vox Dei in Scri„ptura divina debuit inchoare, niſi a lumine? Unde „mundi ornatus niſi a luce exordium ſumere? „Fruſtra enim eſſet, ſi non videretur. Erat quidem „Deus ipſe in lumine; quia lucem habitat inacceſ„ſibilem, & erat lumen verum, quod illuminat „omnem hominem venientem in hunc mundum; „ſed eam lucem fieri voluit, quæ oculis corpora„libus comprehenderetur. Qui ædificium aliquod, „dignum habitaculo patrisfamilias ſtruere deſide„rat, antequam fundamenta ponat, unde lucem ei in„fundat, explorat: & ea prima eſt gratia, quia ſi „deſit, tota domus deformi horret incultu. Lux „eſt, quæ reliquos domus commendat ornatus. *Fiat* „inquit,

„inquit, *Lux.* Plena vox luminis, non diſpoſitio-„nis apparatum ſignificat, ſed operationis reſplen-„det effectu. Naturæ opifex lucem locutus eſt, & „creavit. Sermo Dei voluntas eſt, opus Dei na-„tura eſt. Lucem creavit, tenebras illuminavit. „*Et dixit Deus: Fiat Lux, & facta eſt Lux.* Non „ideo dixit, ut ſequeretur operatio, ſed dicto ab-„ſolvit negotium. Unde pulchre Davidicum il-„lud: *Dixit, & facta ſunt;* quia dictum implevit „effectus. Auctor ergo lucis Deus: locus autem „& cauſa tenebrarum mundus eſt. Sed bonus „auctor ita lucem dilexit, ut mundum ipſum in-„fuſo aperiret lumine, atque ejus ſpeciem venu-„ſtraret. Reſplenduit igitur ſubito aër, & ex-„paverunt tenebræ novi luminis claritatem. Re-„preſſit eas, & quaſi in abyſſos demerſit repente „per univerſa mundi fulgor lucis infuſus. Pul-„chre itaque & proprie dixit: *Facta eſt Lux.* Si-„cut enim cito lux cœlum, terras, maria illuminat, „& momento temporis ſine ulla comprehen-„ſione, retectis ſurgentis diei ſplendore regioni-„bus, noſtro ſe circumfundit aſpectui; ita ortus „ejus cito debuit explicari. Quid miramur, ſi „Deus locutus eſt lucem, & caliganti mundo lu-„men emicuit; quando ſi quis inter aquas mer-„ſus oleum ore emiſerit, clariora facit ea, quæ „profundi tegebantur occultis? *Dixit Deus.* Non „ut per vocis organa quidam ſonus ſermonis exi-„ret, nec ut linguæ motus cœleſte formaret allo-„quium, atque aërem iſtum quidam verborum ſtre-„pitus verberaret; ſed ut voluntatis ſuæ diſpoſi-„tionem proderet operationis effectu. *Et vidit „Deus lucem, quia bona: & diſcrevit inter lucem, & „tenebras.* Dixit: & ſonum vocis nullus audivit. „Diſcrevit: & operationis molimina nemo depre-„hendit. Vidit: & oculorum ejus intentionem „nullus aſpexit. *Et vidit,* inquit, *Deus lucem, quia*

„*bona.*

„*bona.* Nec quod ignorabat vidit, nec id, quod „neſciebat ante, aut non viderat, comprobavit; „ſed bonorum operum proprium eſt, ut externo „commendatore non egeant, ſed gratiam ſuam, „cum videntur, ipſa teſtentur. Plus eſt, quod „probatur aſpectu, quam quod ſermone laudatur. „Suo enim utitur teſtimonio, non alieno ſuf„fragio. „

Vides in loco minime diffuſo omne genus delectandi. Hic enim & argutiæ, & varietas, & argumentum per ſe jucundiſſimum, & animadverſiones acres, & vis imaginandi, & ſplendor ingens: quæ ut ſingula recreant mirifice, ſic miſta conjunctaque multiplicem, ac novam ſemper afferunt voluptatem.

CAPUT V.

Specimina Soliditatis, Subtilitatis & Novitatis *Patrum in argumentando.*

Hæ argumentandi dotes plane præcipuas, & interiores eloquentiæ partes faciunt, ut quæ haud ſecus in rebus eſt ſita, atque exterior ejus ornatus in verbis conſiſtit. Sunt ergo neceſſariæ, & abeſſe a dicentibus vix unquam poſſunt; quia ſive veritatem quamdam ſtabilire, ſive falſitatem evertere velis, convincendus intellectus eſt, & de utroque auditor penitus perſuadendus. * *Quia nudus ſermo*, ait Ambrosius *Libro I. de Jacob, & vita beata cap.* I. *ad monendum utilis, ad perſuadendum*

* Profanos hoc capite non advocamus; quod, quæ Cicero & Quintilianus de *argumentatione* præcipiunt, ad *forum* maximé pertinent, & in *probabilibus* ſiſtunt. Multa nihilominus huc faciunt ex illius *Libro* I. *de Inventione*: *Libro* 2. *de Oratore*: *Partitionibus Oratoriis*: *Topicis*, & *Libro* 2. *Rhetoricorum ad Herennium.*

„multitudinem, quot Poëtarum, Hiſtoriæ ſcripto-„rum, Philoſophorum monumenta ignoraremus, „niſi virorum iſtorum induſtria & labor omnium „horum cognitionem ad nos transmiſiſſet? Cum ab „unguiculis profanos Scriptores legiſſent, illa eru-„ditio in omnibus Patrum ſcriptis inſperſa occur-„rit, nec lector aliquis in antiquitate profana „peregrinus eorum libros intelligere ſatis po-„terit.„ *Et paulo inferius:* „Porro ſi illas cogni-„tiones requiramus, quæ proprio nomine ſcientiæ „appellantur, manifeſtum fiet, neminem hominum „illis ſæculis ſanctis Patribus doctiorem extitiſſe. „Illam, inquam, veram, Philoſophiam ſi ſpectemus, „quæ exactæ Dialecticæ uſu, & Metaphyſicæ ope-„ra uſque ad prima principia & cognitionem veri „boni, verique honeſti aſcendit, ut inde conclu-„ſiones certas, & morum regulas deducat, qui-„bus homines in virtute firmentur, omnemque cu-„jus ſunt compotes, felicitatem aſſequantur. Quis „in hoc ſcientiæ genere S. Auguſtino comparari „poſſit? Quis ingenio ſublimiore, perſpicaciore, „ſolidiore, aut moderatiore fuit? &c.„ *Ad Græcos deinde transgreſſus Fleuryus:* „Inter Patres græ-„cos, inquit, eandem Philoſophiæ ſubtilitatem, ſub-„limitatem, & ſoliditatem in Libris S. Baſilii con-„tra Eunomium, in quibusdam Epiſtolis, ubi So-„phiſmata Aëtii refutat; in Sermonibus S. Grego-„rii Nazianzeni de Theologia, & in Diſſertationi-„bus S. Athanaſii contra Gentiles, & Arianos, ſi „revolvere placuerit, invenies. Qui climatum di-„verſitatem conſiderarint, non mirabuntur, tanta „ingenia in Africa, Græcia, Ægypto, Syria re-„periri potuiſſe. „

Itaque præſertim in Tractatibus (nam in Homiliis ob docilitatem auditorum, qui neque examinabant omnia, neque perſuaſionem magis, quam explicationem deſiderabant, pluſculum populo de-

derunt) multo autem magis, ubi inciderunt in hæreticos, inflatos ſcientia, & de doctrina ſibi plaudentes, Patrum argumenta mirere; tum enim meris conſtant nervis, tantoque pondere, vi, ac copia rationum in difficillimis, & implexiſſimis quæſtionibus verſantur, ut doctiores hodieque in ſtuporem dent, ſciolorum vero audaciam atque temeritatem primo ſtatim aſpectu compeſcant. Nempe ſimplici victoria non contenti vias ad fugam omnes præcludunt, & novos identidem de adverſariis triumphos agunt. Idem dicas in hiſtoricis, & moralibus rebus. Neque enim dubium eſt, unum ſæpe illorum plura ad honeſtatem, & uſum vitæ ſpectantia ventilaſſe, quam ſæculares ſimul ſumptos univerſe. Hic vero mirari ſubit perſpicaciam quorumdam, & dexteritatem, qui vulgaribus argumentis omnibus novitatem addere norunt, & animadverſiones inde elicere, anterioribus omnibus plane intactas. Sic Chysostomus, ubi argumenta magis profligata tantisper exornavit, nova continuo reddit, paradoxa adeo expromens, & confutationes tam acutas, tam appoſitas, quas nemo prorſus, ut maxime ingenio valeat, facile occupaſſet. Sæpe etiam ipſe modus, & forma concludendi pro nervo, aut arcu potius fuit ad argumenta jacienda. Multum quippe refert, qua manu veniat telum, aut qua dextera intorqueatur.

Sunt equidem, qui idipſum objicere Patribus audent, quod multa hyperbolice, multa ad ſpeciem, atque opinionem ſcribant, quod ſæpe figuras magis, quam rationes hoſti objiciant, quod denique ad pietatem præcipue intenti deflectant a bono ſenſu, exactaque illa regula caſtiſſimæ veritatis. Nempe alii alia ſcribunt, & diverſis diverſa; ſubin declamatorium ſectantur genus, ubi more rhetorum

torum ſplendida magis, quam firma ſolent exprómi. Sed cur hoc ſanctiſſimis Doctoribus vitio vertant, minime video, quando idem profanis facillime indulgent, imo moroſitati tribuunt, ſi, quæ oratorie vel etiam populariter dicta ſunt, ad rigorem, & regulas Dialecticæ aliquando revocamus? Vide Hyeronymum in *Apologia Libror. contr. Jovinian.* Et pleroſque eorum, quos Libro noſtro I. pro Patrum auctoritate tuenda allegabamus. Verum præſtat aliquando exempla audire.

Lactantius, de cujus in hoc genere gloria libro ſecundo diximus, Philoſophos gentiles ſimul omnes ita elingues dat *Libro III. cap. 4. Inſtitut. div.*

„In multas ſectas Philoſophia diviſa eſt, & om„nes varia ſentiunt. In qua ponimus veritatem? „in omnibus certe non poteſt. Deſignemus quam„libet. Nempe in ceteris omnibus ſapientia non „erit. Tranſeamus ad ſingulas. Eodem modo, „quidquid uni dabimus, ceteris auferemus. Una„quæque enim ſecta omnes alias evertit, ut ſe, ſua„que confirmet, nec ulli alteri ſapere concedit, ne „ſe deſipere fateatur. Sed ſicut alias tollit, ſic „ipſa quoque ab aliis tollitur omnibus. Nihilo„minus enim Philoſophi ſunt, qui eam ſtultitiæ „accuſant. Quamcunque laudaveris, veramque „dixeris, a Philoſophis vituperatur, ut falſa. Cre„demusne igitur uni ſeſe, ſuamque doctrinam lau„danti: an multis unius alterius ignorantiam cul„pantibus? Rectius ſit neceſſe eſt, quod plurimi „ſentiunt, quam quod unus. Nemo enim poteſt „de ſe recte judicare, quod nobilis Poëta teſtatur: „Ita comparatam eſſe hominum naturam om„nium, ut aliena melius videat, & dijudicet, „quam ſua. Cum igitur omnia incerta ſint, aut „omnibus credendum eſt, aut nemini? Si nemini:

„ſapientes ergo non ſunt; quia ſinguli diverſa af-
„firmantes, ſapientes eſſe ſe putant. Si omnibus:
„æque non ſunt ſapientes; quia ſinguli ab omni-
„bus eſſe negantur ſapientes. Pereunt igitur uni-
„verſi hoc modo, & tanquam Spartiatæ illi Poë-
„tarum ſic ſe invicem jugulant, ut nemo ex om-
„nibus reſtet. Quod eo fit, quia gladium habent,
„ſcutum non habent. Si ergo ſingulæ ſectæ mul-
„tarum ſectarum judicio ſtultitiæ convincuntur,
„omnes igitur vanæ, atque inanes reperiuntur.
„Ita ſe ipſam Philoſophia conſumit, & conficit.„

Atque ejus generis non multa, ſed plurima habet Lactantius, quæ qui non miratur, neſcio, num aliud quidquam mirari poſſit.

S. Ambrosius *Libro I. de pœnitentia cap.* 2. quibus lacertis, quo robore Novatianos conſtringit, Dei cauſam obtendentes, cur pœnitentibus veniam negarent?

„Sed ajunt, ſe Domino deferre reverentiam,
„cui ſoli remittendorum criminum poteſtatem re-
„ſervent. Imo nulli majorem injuriam faciunt,
„quam qui ejus volunt mandata reſcindere, com-
„miſſum munus refundere. Nam cum ipſe in Ev-
„angelio ſuo dixerit Dominus Jeſus: *Accipite Spi-*
„*ritum Sanctum, quorum remiſeretis peccata, re-*
„*mittuntur eis, & quorum detinueritis, detenta*
„*erunt;* quis eſt, qui magis honorat, utrum, qui
„mandatis obtemperat, an qui reſiſtit? Eccleſia in
„utroque ſervat obedientiam, ut peccatum & al-
„liget, & relaxet: hæreſis in altero immitis, in
„altero inobediens vult ligare, quod non reſolvat,
„non vult ſolvere, quod ligavit. In quo ſe ſua
„damnat ſententia. Dominus enim par jus & ſol-
„vendi eſſe voluit, & ligandi, qui utrumque pa-
„ri conditione permiſit. Ergo qui ſolvendi jus
„non habet, nec ligandi habet. Sicut enim ſe-
„cundum Dominicam ſententiam, qui ligandi jus
„habet,

„habet, & ſolvendi habet: ita iſtorum aſſertio ſe„ipſam ſtrangulat, ut quia ſolvendi ſibi jus ne„gant, negare debeant & ligandi. Quomodo igi„tur poteſt alterum licere, alterum non licere? „Quibus donatum, utrumque licere manifeſtum „eſt: aut utrumque non licere. Certum eſt, Ec„cleſiæ utrumque licere, hæreſi utrumque non li„cere. Jus enim hoc ſolis permiſſum ſacerdoti„bus eſt. Recte igitur hoc Eccleſia vendicat, quæ „veros ſacerdotes habet. Hæreſis vendicare non „poteſt, quæ ſacerdotes veros non habet. Non „vendicando autem ipſa de ſe pronuntiat, quod „cum ſacerdotes non habeat, jus ſibi vendicare „non debeat ſacerdotale. Ita in impudenti contu„macia pudentem cernimus confeſſionem. Specta „etiam illud, quoniam qui Spiritum Sanctum acci„pit, & ſolvendi peccati poteſtatem & ligandi „accipit. Si enim ſcriptum eſt: *Accipite Spiritum* „*Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur:* „*& quorum detinueritis, detenta erunt:* ergo qui ſol„vere non poteſt peccatum, non habet Spiritum „Sanctum. Munus Spiritus Sancti eſt officium ſa„cerdotis: jus autem Spiritus Sancti in ſolvendis, „ligandisque criminibus eſt. Quomodo igitur mu„nus ejus vendicant, de cujus diffidunt jure, & „poteſtate? Quid quod inſolentiores ſunt! Nam „cum ad miſericordiam promptior, quam ad ſeve„ritatem ſit Spiritus Dei, quod ait ſe velle, id „nolunt: quod nolle, hoc agunt; cum vindicare „judicis ſit, remittere miſericordis. Tolerabilius „igitur Novatiane remitteres, quam ligares. Aliud „enim quaſi delinquenti parcus uſurpares, aliud „quaſi ærumnæ compaſſus ignoſceres. Sed ajunt „ſe exceptis gravioribus criminibus relaxare veni„am levioribus. Non hoc quidem auctor veſtri „erroris Novatus, qui nemini pœnitentiam dan„dam putavit; ea ſcilicet contemplatione, ut quod

„ipſe non poſſet ſolvere, non ligaret, ne ligando
„ſperari a ſe faceret ſolutionem. In eo igitur pa-
„trem veſtrum propria damnatis ſententia, qui di-
„ſtinctionem peccatorum facitis, quæ ſolvenda a
„vobis putetis, & quæ ſine remedio eſſe arbitre-
„mini Sed Deus diſtinctionem non facit, qui
„miſericordiam ſuam promiſit omnibus, & rela-
„xandi licentiam ſacerdotibus ſuis ſine ulla exce-
„ptione conceſſit. Sed qui culpam exaggeravit,
„exaggeret etiam pœnitentiam; majora enim cri-
„mina majoribus abluuntur fletibus. Ita nec No-
„vatus probatur, qui veniam intercluſit omnibus,
„nec vos imitatores ejusdem, & condemnatores,
„qui ibi minuitis ſtudia pœnitentiæ, ubi augeri
„oportet; quia graviora peccata majoribus ſuſten-
„tanda fulcris docuit Chriſti miſericordia. Quæ
„autem iſta perverſitas, ut vobis vendicetis poſſi-
„bilia conceſſu, Deo, ut ipſi dicitis, impoſſibilia
„reſervetis? Hoc eſt ſibi eligere cauſas ignoſcendi,
„Deo materiam relinquere feriendi. Et ubi eſt
„illud: *Si autem Deus verax, omnis autem homo*
„*mendax, ſicut ſcriptum eſt, ut juſtificeris in ſer-*
„*monibus tuis, & vincas, cum judicaris?* Ut cogno-
„ſcamus igitur Deum miſericordiæ magis indul-
„gentem eſſe, quam ſeveritatis tenacem, ipſe ait:
„*Miſericordiam malo, quam ſacrificium.* Quomodo
„igitur veſtrum poteſt acceptum eſſe ſacrificium
„Deo, qui negatis miſericordiam; cum ipſe dicat,
„nolle ſe mortem peccatoris, ſed correctionem?„

S. Chrysostomus *hom.* 17. *in* 1. *ad Corinth.* quam egregie probat reſurrectionem corporum aliquando futuram?

„Conjunctus es Chriſto, inquit, & quis erit
„finis? Magnus & mirabilis, futura reſurrectio,
„glorioſa illa, ſermonem omnem ſuperans. Ne-
„mo itaque Reſurrectioni fidem neget. Si quis
„autem non credat, cogitet quanta ex nihilo pro-

„duxerit,

„duxerit, & hinc de illa demonſtrationem accipiat. Nam quæ jam facta ſunt, multo ſunt mirabiliora, & ingens miraculum exhibentia. Animadverte autem! Terram accepit, & miſcuit, hominemque fecit, terram inquam, quæ non antea erat. Quomodo ergo terra facta eſt homo? Quomodo ipſa cum non eſſet, producta fuit? Quomodo quæ ex ipſa fiunt omnia, immenſa genera brutorum, ſeminum, plantarum, nullis partus doloribus præmiſſis, non pluviis in illa demiſſis, nulla cum agricultura, non bobus, aratro, vel alio ad ortum illorum adminiſtro? Ideo enim ex inanimato, & inſenſibili tot in principio genera & plantarum, & brutorum animalium orta ſunt, ut te jam olim Reſurrectionis rationem doceret. Illud enim Reſurrectione cogitatu difficilius eſt. Non paria enim ſunt extinctam lucernam accendere, & nondum apparentem ignem exhibere: non paria ſunt dirutam domum reædificare, & nullo modo exiſtentem producere. Hic enim, etſi nihil aliud, at materia ſubjecta erat: illic vero nec ſubſtantia quidem apparebat. Ideoque quod difficilius eſſe videbatur, primo fecit, ut ex hoc, quod facilius erat, admitteres. Difficilius autem dixi, non Deo, ſed ſecundum ratiociniorum noſtrorum conſequentiam. Deo namque difficile nihil eſt. Sed quemadmodum pictor, qui unam facit imaginem, innumeras facile faciet, ſic & Deo facilius fuit innumeros facere mundos, atque infinitos. Imo potius, ut facile tibi eſt urbem, & infinitos cogitare mundos, ita Deo illos condere facile eſt, imo longe facilius; tu enim parum ſaltem temporis in hac cogitatione inſumis, Deus vero non item; nam quanto re quadam leviſſima, imo etiam mente noſtra graviores lapides ſunt, tanto mentis noſtræ celeritas a Deo in creando ſupera-

 „tur.

„tur. Admiratus es ejus in terra virtutem? „Cogita rurſum, quomodo cœlum factum ſit, cum „non eſſet, quomodo ſtellæ innumerabiles, quo„modo ſol, quomodo luna, & hæc omnia, cum „non antea eſſent. Rurſus, dic mihi, quomodo „poſtquam facta ſunt, ſteterunt, & in quo? quod „habent fulcrum: quodnam terra? quid poſt ter„ram? & poſt illud rurſum, quod poſt terram „eſt, quid? Vides, in quantam vertiginem deci„dat mentis tuæ oculus, niſi ſtatim ad fidem ac„curras, & ad incomprehenſibilem operantis vir„tutem? Si velis autem etiam ex humanis conje„cturam facere, paulatim poteris mentem tuam „ceu alis inſtruere. Ex quibus, inquies, huma„nis? Non vides figulos, quomodo fractum, & „ſine forma factum, vas effingant? Eos, qui metal„licam terram fodiunt, quomodo terram aurum „eſſe monſtrent, & ferrum, atque æs rurſus alia? „qui vitrum conficiunt, quomodo arenam in cor„pus ſolidum, & pellucidum transforment? Dicam„ne coriarios, eos, qui purpurea veſtimenta „tingunt, quomodo illud, quod tincturam exce„pit, aliud pro alio monſtret? Dicamne genera„tionem noſtram? Nonne modicum ſemen infor„me, & ſine figura in ſubjectam vulvam ingre„ditur? Unde ergo tanta animalis efformatio? „Quid vero frumentum? Nonne granum nudum „in terram injicitur? Nonne poſtquam injectum „eſt, putreſcit? Unde ſpicæ, ariſtæ, calami, & „cetera omnia? Nonne parvum fici granum ſæpe „in terram cadens & radicem, & ramos, & fru„ctum tulit? Sane unumquodque horum admittis, „nec curioſe inquiris; a Deo autem ſolo noſtrum „corpus transformante rationes exigis? Et quomo„do hæc venia digna fuerint? Hæc & talia Græ„cis dicamus (nam apud eos, qui Scripturis ob„ſequuntur, ne ſermone quidem opus eſt mihi)
„Si

„Si enim illius omnia curioſe ſcrutari velis, quid „plus habebit Deus, quam homines? Atqui nec „de multis quidem hominibus curioſe perquiri„mus, Quod ſi in hominibus hoc facimus, nec „curioſe inquirimus, multo minus Dei ſapientiam „ſcrutari oportet, vel rationes ab illa expetere. „Primo quidem; quia fide dignus eſt is, qui pro„nuntiavit: ſecundo; quia res ipſæ ratiociniorum „perſcrutationem non admittunt. Non enim adeo „egenus eſt Deus, ut ea ſolum operetur, quæ a „ratiociniorum tuorum imbecillitate poſſunt com„prehendi. Si enim fabri opus non comprehen„dis, multo minus Dei præſtantiſſimi artificis. Ne „fidem ergo negetis Reſurrectioni; nam a ſpe fu„turorum longe aberitis. Sed quænam eſt ſapi„entia contradicentium, imo ingens ſtultitia? Et „quomodo, inquiunt, quando corpus terræ com„mixtum eſt, & factum eſt terra, & hæc rurſum „alio translata fuerit, reſurget tamen illud? Hoc „tibi dubium videtur eſſe, ſed non inſomni illi „oculo. Ipſi enim manifeſta omnia ſunt. Et „tu quidem non vides diviſionem, quæ eſt in con„fuſione: ille vero omnia novit. Quandoquidem „tu ignoras illa, quæ in corde proximi ſunt: ille „vero omnia novit. Si ergo, quia ignoras, „quomodo reſuſcitet Deus, non credis, quod re„ſuſcitet, non credes etiam, quod ea, quæ in „mente ſunt, noſcat; nam neque illa apparent. At„qui in corpore materia quidem eſt viſibilis, etſi „diſſolvatur: illæ vero cogitationes inviſibiles ſunt. „Qui ergo inviſibilia cum omni accuratione novit, „viſibilia non videbit, nec facile corpus dividet? „Eſt cuivis perſpicuum. Ne igitur Reſurrectioni „fidem neges; eſt quippe dogma diabolicum: hoc „diabolus curat, non modo ut Reſurrectioni non „credatur, ſed & ut virtutis opera diſſolvantur. „Homo enim, qui non exſpectat ſe reſurrecturum,

„& operum ſuorum rationem redditurum, non ci-
„to virtutem adibit: virtuti vero non dans ope-
„ram, rurſus non credet ſe reſurrecturum. Am-
„bo enim alterum ab altero probantur, nequitia
„ab incredulitate, & incredulitas a nequitia. Con-
„ſcientia enim multis plena malis timens, ac tre-
„mens futuram ultionem, quia non vult a muta-
„tione ad meliora conſolationem aſſequi, ab incre-
„dulitate vult quietem adipiſci. Te enim nec re-
„ſurrectionem dicente, nec judicium, illud quo-
„que dicet: ergo neque ego ſcelerum rationem
„dabo. Sed quid dicit Chriſtus: *Erratis, neſci-
„entes ſcripturas, neque virtutem Dei.* Neque enim
„tam multa Deus eſſet operatus, niſi nos reſuſci-
„taturus eſſet, ſed diſſoluturus, & in nihilum re-
„dacturus. Non tantum cœlum extendiſſet, non
„terram ſtraviſſet non cetera omnia pro hac ſolum
„brevi vita feciſſet. Si autem hæc fecit pro præ-
„ſenti, quid non faciet pro futura? Si vero nulla
„ſit futura, iis, quæ pro nobis facta ſunt, longe
„ſumus viliores. Nam cœlum, terra, mare, &
„flumina ſunt nobis ſtabiliora, nec non bruta quæ-
„dam. Nam & cornix, & elephantorum genus,
„& multa alia diuturniore vita præſenti fruuntur:
„nobis autem & brevis & laborioſa eſt vita, ſed
„non illis; nam longa eorum vita, ac mœrori-
„bus, curiſque vacua. Quid ergo, dic mihi,
„ſervoſne melioris conditionis fecit, quam Domi-
„nos? Ne quæſo, ne talia exiſtimes, neque ſis
„mente inops, o homo! neve ignores divitias Dei,
„cum talem habeas Dominum.„

Quid ſolidius quæſo, quid fortius, quid di-
ſtinctum magis a ſummo quoque Philoſopho ex-
pectes?

Idem admirabili paradoxo *hom.* 3. *in ad Philem.*
oſtendere volens, Deum ipſis etiam æternis pœ-
nis, quas expeterat, bonitatem, & clementiam in
nos

nos ſuam demonſtrare: diſputationem narrat a ſe aliquando cum Marcionita quodam initam, qui aſſereret, omnia a Deo nobis præſtita bonitatis fore, modo vindictam de offenſis non ſumeret: verum quando id faceret, neque alia, quæ viderentur optima, bonitati poſſe tribui, plenæ ſaltem, atque abſolutæ: & huic addit ita ſe occurriſſe.

„Age vero, quæ tunc diximus, nunc referamus, „& illis plura. Ego enim ex abundanti oſtendam, „illum, niſi rationem (*factorum noſtrorum*) ex„petat, non eſſe bonum, & quia expetit, ideo „bonum eſſe. Dic enim mihi: niſi rationem a „nobis expeteret, num humana vita ſtare poſſet? „ſi enim imminentibus timore, pœnis, & tribu„nalibus alter alterum devorantes, piſces ipſos ſupe„ravimus, & leones, atque lupos transgreſſi ſu„mus, aliena rapientes: niſi rationes ille expoſce„ret, & id perſuaſum haberemus, quantis turbis „impleretur vita humana? Quis labyrinthus, in „fabula allatus, cum perverſo mundi ordine com„parari poſſet? An non videres mille abſurditates, „& iniquitates? Quis patrem jam revereretur? Quis „matri parceret? Quis omne voluptatis, omne „vitii genus omitteret? Et quod res ita ſe habeat, „ab una tantum domo tibi perſuadere conabor. „Quomodo! Si ſervis alicujus veſtrum, qui hæc „interrogatis, declarem, ac ſuadeam, quod etiam„ſi dominationem excutiant, & corpora domino„rum contumeliis impetant, omnia auferant, & „ſus, deque vertant, & inimicorum inſtar agant, „non minæ intentabuntur, non punientur, nec „ſupplicio tradentur, nec verba quidem moleſta „audient: an hæc bonitatis eſſent? At ego oſten„do, id extremæ immanitatis eſſe, non modo, „quod per hanc importunam benignitatem & uxor, „& filii prodantur, ſed etiam, quod & illi ipſi „ante hos perituri ſint. Etenim ebrioſi, impu-

„dici,

„dici, laſcivi, contumelioſi, & feris omnibus ir-„rationabiliores erunt. An hoc quoque bonitatis „eſt nobilitatem animæ conculcare, & ſeipſos mu-„tuo perdere? Viden, quod rationes expetere id „ſit benignitatis multæ opus. Et quid ſervos di-„co, qui ad ejusmodi ſcelera promptius acce-„dunt? Si quis filios habeat, omniaque illis per-„mittat, neque caſtiget, quo non mancipio pejo-„res illi erunt? Ergo in hominibus caſtigare, & „punire bonitatis fuerit, non punire autem crude-„litatis: apud Deum vero non item? Itaque quia „bonus eſt, ideo gehennam præparavit. Vultis, „aliam quoque Dei bonitatem oſtendam? Neque „hoc ſolum, ſed etiam, quod non ſinat bonos fi-„eri malos. Nam ſi eadem ipſa conſecuturi eſſent, „omnes mali fierent. Nunc autem hoc bonos „non parum conſolatur. Audi namque Prophe-„tam dicentem: *Lætabitur juſtus, cum viderit vin-„dictam impii: manus ſuas lavabit in ſanguine pec-„catoris:* non gaudens, abſit, ſed timens, ne ea-„dem ipſe patiatur, vitam ſuam puriorem reddet. „Multæ ergo providentiæ illud fuerit. Etiam, „inquies, ſed comminari ſolum oportebat, non „ſupplicium inferre. Si, cum ille puniat, tu di-„cis, id comminationem tantum eſſe, ideoque ne-„gligentior efficeris, ſi vere comminatio tantum „eſſet, an non magis ſupinus evaderes? Ninivitæ „ſi ſciviſſent, comminationem eſſe tantum, pœni-„tentiam non egiſſent: quia vero pœnitentiam ege-„runt, minas in verbis tantum ſiſti curavere. Vis „tu id comminationem tantum eſſe? In tua pote-„ſtate id ſitum eſt. Melior evade, & commina-„tio ſiſtitur. Si vero, quod abſit, minas ſpreve-„ris, in experimentum venies. Qui diluvii tem-„pore erant, ſi minas timuiſſent, rem non exper-„turi erant. Et nos, ſi minas timeamus, experi-„mentum non habebimus: quod utinam non ha-„beamus!„

Nunc

Nunc vero ex Augustino quoque locum audire debemus, ex quo ſane clarum fiet, quo acumine ratiocinetur, qua vehementia premat, quo robore elidat, quoties hæreticos revincendos ſibi, & confutandos ſumit. Agit autem de teſtimoniis Scripturarum, quæ perpetuo pro ſe allegare illi conſueverunt.

„Evangelium, inquit, mihi fortaſſe lecturus es, „& inde Manichæi perſonam tentabis aſſerere? Si „ergo invenires aliquem, qui Evangelio nondum „credit, quid faceres dicenti tibi: non credo? „Ego vero Evangelio non crederem, niſi me ca„tholicæ Eccleſiæ commoveret auctoritas. Qui„bus ergo obtemperavi dicentibus: crede Evange„lio, cur eis non obtemperem dicentibus mihi; „noli credere Manichæo? Elige, quod velis. Si „dixeris: crede Catholicis: ipſi me movent, ut „nullam fidem accomodem vobis. Quapropter „non poſſum illis credens niſi tibi non credere. „Si dixeris: noli Catholicis credere: non recte fa„cies per Evangelium me cogere,* ad Manichæi „fidem; quia ipſi Evangelio Catholicis prædican„tibus credidi. Si autem dixeris: recte credidiſti „Catholicis laudantibus Evangelium, ſed non re„cte illis credidiſti vituperantibus Manichæum: us„que adeo me ſtultum putas, ut nulla reddita ra„tione, quod vis, credam: quod non vis, non „credam? Multo enim juſtius, atque cautius facio, „ſi, Catholicis quoniam ſemel credidi, ad te non „tranſeo; niſi me non credere *(tantum)* juſſeris, „ſed manifeſtiſſime, & apertiſſime ſcire aliquid „feceris. Quocirca ſi mihi rationem redditurus es, „dimitte Evangelium: ſi ad Evangelium te tenes, „ego me ad eos teneam, quibus prædicantibus „Evangelio credidi: & his jubentibus tibi omnino „non credam.„

At

* Id eſt, *cogendo*, vel cogens.

At ne ſic quidem argumentum dimittit. Ulterius inſtat, & continuo ſubjungit:

„Quod ſi forte in Evangelio aliquid apertiſſimum de Manichæi apoſtolatu invenire potueris, „infirmabis Catholicorum auctoritatem, qui jubent, „ut tibi non credam. Qua infirmata nec Evangelio credere potero, qui per eos illi credideram. „Ita nihil apud me valebit, quidquid inde protuleris. Quapropter ſi nihil manifeſtum de Manichæi apoſtolatu in Evangelio reperitur, Catholicis potius credam, quam tibi. Si autem aliquid inde manifeſtum pro Manichæis legeris, nec „illis, nec tibi: illis; quia de te mihi mentiti „ſunt: tibi autem; quia eam Scripturam mihi profers, cui per illos credideram, qui mihi mentiti „ſunt. Sed abſit, ut Evangelio non credam. „Illi enim credens non invenio, quomodo poſſim „etiam tibi credere.„ Ita Libro *contra Epiſtolam Manichæi*, quam vocat *Fundamenti cap.* 5.

Idem S. Doctor, cum initio converſionis nova indies contra Manichæos argumenta procuderet, *Libro de duabus animabus cap.* 14. ita duplicis animæ dogma capitale evertit, ut pœnitentiam, quam illi maxime crepabant, ſimul everteret.

„Ut inter omnes conſtat, & quod ipſi Manichæi non ſolum fatentur, ſed & præcipiunt, „utile eſt pœnitere peccati. Quid ergo nunc in „hanc rem divinarum Scripturarum teſtimonia, quæ „uſquequaque diffuſa ſunt, colligam? Vox eſt etiam „iſta naturæ: neminem ullum rei hujus notitia deſeruit. Hoc nobis niſi etiam penitus inſitum eſſet, periremus. Poteſt aliquis dicere, non ſe „peccare: non autem ſibi eſſe, ſi peccaverit, pœnitendum, nulla barbaries hoc dicere audebit. „Quæ cum ita ſint, quæro, ex duobus illis generibus animarum cujus ſit pœnitere peccati? „Scio quidem, neque illius eſſe poſſe, qui male

„facere,

„facere, neque illius, qui bene facere non poteſt.
„Quare, ut eorum verbis utar, ſi *animam tenebrarum* peccati poenitet, non eſt *de ſubſtantia ſummi mali*: *ſi animam lucis*, non eſt *de ſubſtantia ſummi boni.* Pœnitendi enim affectio illa, quæ „prodit, male feciſſe poenitentem, & bene facere „potuiſſe, teſtatur. Quomodo igitur nihil ex me „mali eſt, ſi ego perperam feci? Aut quomodo „me recte poenitet, ſi ego non feci? Audi par„tem alteram: Quomodo ex me nihil boni eſt, „cui bona voluntas ineſt? Aut quomodo me re„cte poenitet, ſi non ineſt? Quamobrem aut ne„gent iſti, eſſe pœnitendi magnam utilitatem, ut „non ſolum a chriſtiano nomine, ſed ab omni „etiam vel imaginaria ratione pellantur: aut ani„marum illa duo genera, unum, ex quo nihil ma„li, alterum ex quo nihil boni ſit, diſcere atque „docere jam deſinant. Quod ſi faciant, Manichæi „eſſe utique jam deſinent.„

S. Isidorus Pelusiota *Libro IV. Epiſt.* 27. ingenioſe oſtendit, infideles iis ipſis argumentis, per quæ Chriſti religionem impeterent, ſuasmet res evertere.

„Miror equidem, inquit, qui fiat, quod non „ſolum ii, qui inter Græcos rudes ſunt, atque „expertes eruditionis, verum etiam illi, qui ſapi„entiam profitentur, & ornate dicendi peritia ſe „jactant, & Dialecticæ cognitione gloriantur, & „Syllogiſmis innituntur, & cum ea, quæ ratioci„nationibus adverſantur, videant, rerum tamen „repugnantiam non animadvertunt; qui fiat, in„quam, quod hi non ſentiant, ſe, dum divinum „præconium Evangelii oppugnant, eo ipſo ma„gis ſemetipſos pudefacere. Affert enim victis ali„quid ambitionis, & honoris, eorum, a quibus „victi ſunt, excellentia. At ipſi ajunt, mortuum „eſſe Jeſum, ut ingens Deorum gentilium multi-

„tudo

„tudo hoc ipſo declaretur etiam mortuo imbecil„lior. Illudunt cruci, ut ipſi magis traducantur, „& ludibrio habeantur; quippe qui ignominioſe „a Cruce expugnati, victique ſint. Exprobrant no„bis Apoſtolorum ruditatem; ut tanto conſpectius „ſit probrum, quod celeberrimis ipſorum Sapien„tibus ingeritur, qui plebejorum hominum do„ctrinæ manus dederint. Venerandum Chriſti Se„pulchrum cachinnis petulantibus excipiunt, ut „eo magis riſu digna fiant ipſorum illuſtria tem„pla; quippe quæ deriſo ab ipſis ceſſerint Sepul„chro. Atque ut paucis abſolvam, totum repre„hendunt præconium Evangelii, ut rem vilem, at„que abjectam, ut quidquid apud ipſos eſt illuſtre, „id omne magis videatur deridendum; quoniam „rerum vilium, ut ipſi ajunt, naturæ ſuccubu„erit.„

Magis etiam placent, quæ *Libro eod. epiſt.* 31. de diſputatione cum Græco habita narrat:

„Memoria, ait, repeto, me Sapientem quem„dam Græcum, quique apud multos maximam „eloquentiæ gloriam obtineret, mecum diſſeren„tem de rebus fidei, paucis verbis ita refutaſſe, ut „mutire non auderet. Nam cum ipſe proferret „Chriſti paſſionem, & Crucem, inque riſum ſu„per his effuſum ſolveretur, ego ei modeſte, ac „manſuete reſpondi in hæc verba: Unde autem de„monſtrare potes, Chriſtum eſſe crucifixum? „Omnibus vero, qui hæc audiebant, admiratione „perculſis, & cogitantibus, quidnam intendens „conficere hoc dixiſſem: reſpondit ille; quaſi qui „victoriam abſque labore jam reportaturus eſſet: „In Evangeliis ſcriptum eſt. Cui ego e veſtigio „regeſſi: At in iiſdem hoc quoque, quod reſur„rexerit, & in cœlos redierit, ſcriptum habetur. „Si ergo credis Evangeliis, tam hoc, quam illud „affirmantibus fidem habeto: ſin minus, rem fa„cis

„cis abſurdiſſimam, dum alterum quidem amplecteris, alterum vero repudias. Numquid enim „ad contumelias, ac probra patulas, & acutiſſimas habetis aures; ad ſplendida autem illa, atque divina obturatas? Maximeque cum commentitii tui Dii a Crucifixo ſuperati manus jam „dederint. Si igitur crucifixus eſt, certum eſt „etiam ad cœlos eundem aſcendiſſe. Sin autem „ſplendida illa, quæ de Chriſto ibidem commemorantur, excludis: noli etiam probroſa proferre. Alterum enim ab altero dependet, & divelli nequit. His itaque dictis tantus exortus eſt „applauſus, ut & ego & ipſe erubeſceremus. Ego „quidem, quod ſupra, quam dignus eſſem, laudarer: ipſe autem, quod ſuiſmet verbis conſtrictus teneretur. Hoc tibi facto indicio, arbitror „ſatis reſponſum eſſe perſpicue ad ea, quæ a „tua prudentia ad me fuerant perſcripta.„

Æque nova, & admirabilis ejus argumentatio eſt *Libro III. epiſt.* 135. ad libertatis hoſtem fatarium:

„Si omnia vir erudite! fatali quadam, ut ais, „neceſſitate fiunt, ac dicuntur, exponas velim, „qui fiat, ut ipſa ſeipſam per nos evertat? Nam „ſi ipſa omnia efficit, eadem nunc eſt, quæ per „nos fatum haud eſſe prædicat. Quin ergo ipſi, „quam eſſe dicitis, ſe minime eſſe dicenti, fidem „adhibetis?„

Atque hæc *ad hominem*, ut vocamus, argumenta, quam nova, & brevia, tam plauſibilia ſunt.

Sed nec illud omittam, quo Auctor *operis imperfecti in Matthæum homil.* 45. hypocritam veluti gutture comprehenſum ſtringit:

„Dicito mihi hypocrita! ſi bonum eſt eſſe bo„num, ut quid non vis eſſe, quod vis apparere? „Si vero malum eſt eſſe malum, ut quid vis eſſe,

„quod non vis apparere? Nam quod turpe eſt „apparere, turpius eſt eſſe; quod autem formoſum „eſt apparere, formoſius eſt eſſe. Ergo aut eſto, „quod appares, aut appare, quod es.„

Alia qui volet, magno numero inveniet apud Patres eos, quorum ſupra ſoliditas, ſubtilitas, & novitas in argumentando dilaudata eſt. Sed & ſexto Libro de *Confirmatione*, & *Confutatione*: item octavo de *Retorſione* plura dabuntur, quæ quam maxime huc poſſint pertinere.

CAPUT VI.

Specimina Efficaciæ *Patrum in movendo.*

Quantacunque laus oratoris eſt præparare animos, clare docere, prudenter delectare, ſolide, ac ſubtiliter argumentari: iſtuc tamen citra controverſiam præcipuum habetur, ſi jam fortiter, jam ſuaviter movere animos, & ciere affectus novit. Huic officio victoriam concedunt omnes dicendi præceptores: hoc quam longiſſime putant ceteris dotibus quibuscunque anteferendum: *Quis non fateatur*, ait eorum præcipuus, *cum in omnibus oratoriis laudibus longe iſta ſit maxima inflammare animos audientium, & quocunque res poſtulat, flectere, qui hac virtute caruerit, id ei, quod maximum eſt, defuiſſe?* Sed & ceteri aſſerunt, hoc dominari in judiciis, hoc eloquentiæ regnum, hoc præcipuum dicentis munus, quo diſtinguitur a Philoſopho, hoc opus ejus, hunc laborem eſſe, ſine quo cetera nuda, jejuna, infirma, atque ingrata ſint, adeo hoc veluti ſpiritum atque animam eſſe orationis. * Quod ſi iſtuc profani primum habent,

* Videri poſſunt, Cicero de *Oratore*, & in *Bruto*: Quintilianus *Libro VI.* quos reliqui, qui de Rhetorica ſcripſere, ingenti agmine inſequuntur.

habent, atque potiſſimum, quanto magis Patres huc incubuerunt, apud quos auditore jam aliunde perſuaſo, motus non raro unicus finis erat, quem propoſitum ſibi habuere? Nam nec ea ætate deerant Chriſtiani, qui viderent meliora, probarentque, deteriora ſequerentur. Aliud eſt hic, aliud pro roſtris, & concionibus ſæculi dicere, ubi neque motus illi, neque vitæ mutatio ſpectatur, ſed contra quam plurimum dare auribus oportet,& iis, qui eo conveniunt, plerumque ſatis eſt fallere tempus tantiſper potuiſſe. Equidem per ſe jam divina eloquia quam maxime ad movendum, & inflammandum valent. *Ignitum eloquium tuum vehementer*, ait Psaltes *pſalm.* 118. *v.* 140. & Propheta: *Numquid non verba mea ſunt quaſi ignis, & quaſi malleus conterens petram? Hierem.* 23. *v.* 29. Et iterum 5. *v.* 14. *Ecce ego do verba mea in ore tuo in ignem, & populum iſtum in ligna, & vorabit eos.* Et quæ ſunt ejusmodi alia quam plurima. Accedit nova ratio, quod cum affectuum & lacrimarum commotio potius gratiæ apud nos, quam eloquentiæ ſit opus, ut Caussinus *Libro VIII. c.* 4. 19. & 40. recte oſtendit: non mirum, Patres, in quibus cetera dona cœleſtia ſumma fuerunt, etiam in hoc genere plurimum excelluiſſe, vocemque eorum nunquam vane emiſſam; ſed ſicut ſinus concavi verba, quæ acceperunt, multiplicato ſono reddunt, ita auditores pari fervore dicentibus reſpondiſſe; quod ſcilicet ſpiritus Dei, & unctio ſacra, quæ verba ſingula comitabatur, rapiebat ad ſe animos, & quam attentos, dociles, ac benevolos, tam flexiles etiam efficiebat. Certe ipſi quoque hoc in negotio plus multo pietati, quam artificio dederunt. Neque enim tralucent ex eorum affectibus figuræ illæ molliores, quæ ſine cura, & cogitatione fluere vix poſſunt, ubi continuo ſtudium deprehenditur, & motus omnis ſubſidit.

Ultima & præcipua ratio eſt, quod Patres eos affectus, quos aliis imprimere volebant, ante ipſi impreſſos altiſſime haberent. Monent iterum ipſi Sæculares, hoc ſumme neceſſarium ad omnem commotionem eſſe. * Quærunt enim, quomodo fieri poſſit, ut obtineas ab alio, quod obtinere a te ipſo non potuiſti? Præcipuum enim, & primum fontem affectuum eſſe ipſum animum dicentis: ſummam in eo poſitam, ut moveamur ipſi: & pectus eſſe, quod faciat diſertos: vel imperitos, ſi modo ſint aliquo affectu concitati, verba deficere nunquam poſſe, ut ſane videmus aliquos in recenti dolore quædam facundiſſime exclamantes. Certe Quintilianus *Libr. VI. cap.* 2. & nuperus Scriptor Homeus, Anglus, in *Princip. Critic.* varios dant modos, ſe ipſum movendi, antequam accedamus ad alios movendos, præſertim *vivacem imaginationem, inſitam, & naturalem propenſionem ad bonum, ad perfectum, ad utile, ad ſocietatem, ad virtutem, ſtudium imitandi, ſigna* item *externa, reminiſcentiam, fictionem adjunctorum, præſentiam rerum idæalem* &c. Sed nempe aliud eſt, quod ſimulatur, aliud, quod ſerio geritur. Et licet tam alte non penetrent, quæ ſtudio accerſuntur, quam quæ natura veniunt, tamen negotium multo majus exhibent. De quo recte dicas cum Seneca *Epiſt.* 99. *Plus oſtentatio doloris exigit, quam dolor. Quotusquisque ſibi triſtis eſt?* vel cum Martiale *Libro I. Ille dolet vere, qui ſine teſte dolet.*

Movebant ergo Patres præ reliquis, quia præ reliquis movebantur ipſi, & accendebantur. Cum enim, ubi ſoli erant, veritates ſummas perpetuo expenderent apud ſe, iisque penitus aſſueviſſent, concaluerat cor eorum intra ipſos, & in meditatione eorum exarſerat ignis: cor loquebatur, tantum atta-

ctu

* Vide Ciceronem *L.* 2. *de Oratore.*

ctu opus erat, imo ſolus aſpectus creaturæ alicujus, ſola memoria præſentiæ vel beneficentiæ Dei, cæcitas & ingratitudo mortalium, Paſſio & demiſſio Domini, cogitatio illa, quod amarent Deum, & ab illo viciſſim amarentur, hæc, inquam, ſola ſufficiebant ad ejusmodi homines totos concitandos. Quod ſi affectus hos vel tum reipſa non ſentirent, vel ad rem minus facere putarent, eorum loco ſemper præſto erat Zelus, & charitas, beneque de omnibus merendi ſtudium quoddam, quæ ab ipſis pronuntiata omnia animabant. Res ergo ipſæ ſemper calebant, velut ab auctoribus inflammatæ, bonosque juxta, ac deteriores animos ſic percellebat oratio, ut facillimos ſe dicentibus præberent, atque ad faciendum, quæ audierant, continuo proſilirent. Sermo erat velut ferrum, ut Nazianzeni * verbo utar, quod ubi ſilicem fortiter feriit, continuo ſcintillæ abſiſtebant, & luculentas in flammas denique abibat, in quodcunque illæ incidiſſent.

Equidem non nego, in Sermonibus Patrum plerisque (Cyprianum, Chrysostomum, Bernardum, & pauculos quosdam ſi excipias **) plerumque deeſſe motus eos, & concitationem figurarum, quæ in loco noſtris temporibus adhibenda ſunt. Verum, ut omittam, in *Tractatibus* quam plurima ad movendum ſcripta, ſunt videlicet cauſæ, quæ reddantur. Inde enim id evenit, primo, quod non ita ut habitæ, ſic ſcriptæ eorum orationes fuerunt. Illa enim maxime reſecantur in editione commentariorum, quæ genus hoc contentionum noſtrarum habent, qualia ſunt fuſæ explana-

H 3

* *Orat.* I.

** Carolus Regius *Libr. IV. oratoris chriſtiani cap.* 8. nimis facile ſolum Chryſoſtomum accuſatione hac eximere videtur.

planationes, exclamationes, ejuſdem rei crebræ inculcationes, aliæque his ſimiles Figuræ. Deinde fere Epiſcopi illi erant, quos non decet concitatio gravior, nec actio ea, quæ comitatur vehementiſſimam orationem. Epiſcopos autem Hieronymus *Epiſt.* 3. *ad Heliodorum, nunc* 60. magis etiam, quam Reges flere vetat. Sed nec ſenes ætate provectos talia decent. Adhæc cum Philoſophorum veterum ſermonibus illæ Patrum cohortationes reſponderent, etiam ſedatum illum philoſophicæ dictionis tenorem ſequebantur. * Sane fuiſſe orationem tam differendi, quam agendi genere familiarem, nomen ipſum ſignificat, quo eam inſcripſere; nam vel homilias græco vel ſermones latino vocabulo appellarunt. Sed & iſtuc probe conſiderandum ego putem, nos cum Scripta eorum habeamus, non audire vocem, illam inquam Paſtorum, & Sanctorum, plenam majeſtatis, lenitatisque paternæ, qui in docilitate ſuorum fiduciam habere maximam poterant illa ætate. ** Quare affectum apud eos deſiderantibus hoc ego iterum, iterumque dicam: Eſto quod illi, vive, quemadmodum illi vixerunt, virtutes cole, ſicut illi coluerunt, & loquere, ut libet; neque enim dubio locus, quin quacunque ratione dicas, ſis ſemper cum motu & efficacia ſumma dicturus. Hortandi igitur, & obteſtandi ſunt omnes, quotquot ad conciones appellunt animum, uti Patres imitari conentur in hoc genere præſidii, quod maxime conducit ad movendum, & memores ſemper ſint illius, uti apud nos valeant, quæ valere apud alios volumus, afficiamurque ipſi, antequam alios afficere conemur. Recte enim a S. Martino Bra-

* Vide Senecæ *Epiſtolam* 40.

** Vide Claud. Fleuryum *Libr. de morib. primor. chriſtianor.* & Carol. Regium *Loc. cit.*

Bracarensi in *Sententiis de Morib.* dictum eſt: *Oratorem te puta, ſi tibi ante omnes, quod oportet, perſuaſeris.* Eſt ergo illud neceſſarium, uti a terrenis affectibus cor avellat, atque expurget, qui ad id muneris acceſſerit. *Mens quippe concupiſcentiis exterioribus occupata*, ait, Gregorius *, *igne divini amoris non calet, & idcirco ad ſupernum deſiderium inflammare auditores ſuos nequeunt verba, quæ frigido corde proferuntur; neque enim res, quæ in ſe ipſa non arſerit, aliud accendit.* Inde eſt enim, quod multi ſic de virtutibus diſputant, ſic in vitia invehuntur, uti nec ceteris perſuadere, nec ſibi, quæ dicunt, unquam perſuaſiſſe videri poſſint. Unde ſi verum dicere volumus, nocent potius audienti, quam proſint, & cum non emolliant, indurant. *Scriptum* eſt, ait Guilielmus Parisiensis *Libr. de Moribus cap.* 8. *quia mors in labiis quorumdam. Ubi litera noſtra habet gladius. Verba enim, quæ ſpiritus & vita ſunt, verba ſcilicet vitæ in quorumdam Doctorum, & prædicatorum labiis, quantum ad virtutem, & efficaciam moriuntur. Adeo enim tepide, adeo remiſſe verba Dei annuntiant quidam, ut extincta in labiis eorum penitus videantur. Propter quod ſicut ipſi frigidi ſunt, & extincti, ſic frigidos, & extinctos relinquunt, & utinam non faciant! auditores.* Quibus ſane cum graviſſimas veritates pertractant, oggeri illud poſſit, quod Cicero in *Bruto* contra Marcum Callidium Gallii patronum agens, argumenti loco uſurpavit. Objecit enim, quod lente admodum ageret in ea re, graviſſimamque accuſationem non poſſe ſibi non commentitiam videri dixit, quæ non ardentius, & majori cum motu tractaretur. *Tu iſtuc*, inquit,

* *Libr. VIII. Moral. c.* 30. Quod ſi ſenſum ſpectes, ipſius Ciceronis eſt, *Lib.* 2. *de Oratore*, ubi plura habet de hoc officio dicendi.

inquit, *M.*; *Callidi, niſi fingeres, ſic ageres? . . Ubi dolor, ubi ardor animi, qui etiam ab infantium ingeniis elicere voces, & querelas ſolet? Nulla perturbatio animi, nulla corporis: Frons non percuſſa, non femur: pedis, quod minimum eſt, nulla ſupploſio. Itaque tantum abfuit, ut inflammares animos noſtros: ſomnum iſto loco vix tenebamus.*

Neque iſti multo meliores, qui pronuntiatione, & vigore externo compenſare animi ſenſum volunt. Scio quidem, quo loco apud omnes oratores ſit illa corporis eloquentia, ſcio, quod monet Plinius *, multo magis, ut vulgo dicitur, vivam vocem afficere, & licet acriora ſint, quæ legas, altius tamen in animo ſedere, quæ pronuntiatio, vultus, habitus, geſtus etiam dicentis affigit: ſcio ex Hyeronymo **, vocem de auctoris ſui ore reſonantem, quæ ea pronuntiatione profertur, ac diſtinguitur, qua in hominis ſui corde generata eſt, vim habere maximam, & in aures audientium transfuſam fortius ſonare; quod ſenſum ipſum objurgantis exprimat, ipſum iraſcentis clamorem reddat, egerat dolorem pectoris, atque audienti totum communicet: ſcio, juxta Augustinum *** bonum auditorem non tam, ſi diligenter diſcutiatur (*locus aliquis*) inſtrui, quam ſi ardenter pronuntietur, accendi: & ideo ab eodum ſuaderi ****, ut qui actione valent, ſtylo deficiunt, ab aliis compoſitos ſermones pronuntient. Verum ne ſic quidem multum tales promovebunt. Deeſt enim his ſimulatoribus dolor ille actionis, animi certiſſimus index, cui motio, ſenſusque illi altiſſime impreſſi ſint, quos volunt in aliis exſuſcitare. Ergo etiam in

* *Libro II. epiſt.* 3.
** *Epiſt.* 103. *nunc* 53.
*** *Libr. IV. de Doctrina Chriſtian. c.* 7.
**** *Ibidem cap.* 29.

in medio tumultu exteriore cor quietum eſt apud eos, non accedit fervor ad materiam, nec orationem actio exæquat; ſed clamor, & contentio omnis non niſi bruta fulmina ſunt, & tormenta ſine glande ſonantia, non ſternentia, ut dent ſpectaculum, non ſtragem, imo ne pavorem quidem. *Quisquis, ut vult, ſentiat,* ait S. SALESIUS *Libro I. epiſt.* 38: *ſed lingua ſolis auribus loquitur, cordi cor.* Recita præclare, ſi lubet, vehementiſſimam Chryſoſtomi orationem, Chryſoſtomi inquam, qui velut in poteſtate habuit affectus ſuorum, & quem propterea LAURENTIUS a VILLAVINCENTIO *Libro III. de Ratione ſtud. Theolog. cap.* 7. jure optimo præ ceteris commendat *, ſcio, parum efficies, certe non tantum, quantum ipſe. Verum fervens eſto, etſi non ſis aureo ore, quam plurimos tamen ad frugem reduces. Ita de Alphonſo Lupo Cardinalis FEDERICUS BORROMÆUS *Libro II. de ſacris Oratoribus poſt initium* teſtatur. „Res autem „*(fervor videlicet, & proprii cordis commotio)* erat „in Lupo tam evidens, & manifeſta, totis ut in„terdum artubus intremiſcentem eum aſpiceres, „collacrimantemque veris lacrimis, aut etiam ea „reſolutum teneritudine, quæ vocem includeret, „vixque poſſet, ille verba pronuntiare. Accide„bat etiam huic divini ſermonis internuntio illud „ipſum, quod in Oratore profano miratos fuiſſe „veteres, accepimus. Nam ſicut meditanti illi, „priusquam ad dicendum veniret, ita inflamma„bantur oculi, ut igneo quodam fulgore collucere „videretur: ſic noſter hic poſt longas in cella mo„ras egrediebatur inde, tanquam ab camino fla„grans, ardensque mirabiliter. Eminebant in pe„dibus nudis, & fronte quædam venæ turgidio-

 „res,

* Locum alium dedimus Libro tertio, ubi de Chryſoſtomi eloquentia ſpeciatim diſſertum eſt.

„res, non ſecus atque ſi facibus intus ureretur. „ Inde etiam tanti concurſus, commotiones, & mutationes in omni genere mortalium, quocunque Lupus concionatum veniſſet. Sed & de ſtupendo fervore, actionibusque concitatiſſimis Fratris Thomæ Illyrici ſingularia narrant Florimundus Ræmundus in *Hiſtoria Hæreſum cap.* 3. *a numero* 3. & Martinus Navarrus *ad Cap.* Negotium *de Pœnitentia in Diſt. V.* §. Quarto infertur. Exempla de Societate, & noſtris hominibus, quæ ad manum plura eſſent *, de induſtria præterimus. Uti ergo iſti fecerunt, ita nos quoque Patrum ardorem, & ſenſuum pietatem æmulemur: tum enim, præſertim in argumentis gravioribus vires, & poteſtatem movendi oſtendemus. Omnia quæcunque ab ore noſto venient, ita condientur, ut nos rebus, nobis vocem, actionem, ſtylum accomodemus, apparebitque fixum eſſe, non ante abire e cathedra, donec rei magnæ aliquid, aut non pœnitendæ vicerimus. Mirabuntur nos ipſi eloquentiæ magiſtri, & movere nos dicent, etſi non ſciant dicere, qua tandem via, qua ratione moveamus. Sed Specimina efficaciæ ejus, quam Patribus ineſſe docebam, aliquando expromenda ſunt.

Specimen affectuum plurium ſimul, eorumque Tragicorum.

S. Petrus Chrysologus dictus *Sermone* 127. ita in adulterum Herodem, & vel inter pocula Joannis ſanguinem fundentem invehitur:

„Hodie nobis Joannis virtus, Herodis feritas „dum refertur, confuſa ſunt viſcera, corda tre„muerunt, caligavit viſus, hebuit intellectus, aufugit

* Lege, ſi lubet, loco omnium, quæ de concionibus Ven. Aloyſii La Nuza Andreas de Puteo, & Emmanuel Aguilera perſcripſerunt.

„fugit auditus. Aut quid conſtat in ſenſibus hu-„manis, quando perdidit virtutum magnitudinem „criminum magnitudo? *Herodes*, inquit, *tenuit* „*Joannem, & alligavit eum, & poſuit in carcere.* „Joannes virtutum ſchola, magiſterium vitæ, ſan-„ctitatis forma, norma juſtitiæ, virginitatis ſpe-„culum, pudicitiæ titulus, caſtitatis exemplum, pœ-„nitentiæ via, peccatorum venia, fidei diſciplina: „Joannes major hominibus, par Angelis, Legis „ſumma, Evangelii ſanctio, Apoſtolorum vox, „ſilentium Prophetarum, Lucerna mundi, præco „Judicis, præcurſor Chriſti, metator Domini, Dei „teſtis, totius medius Trinitatis, datur inceſtæ, „traditur adulteræ, addicitur ſaltatrici! Merito er-„go concuſſa ſunt viſcera, corda tremuerunt. At „Herodes ipſe eſt *, qui profanavit Templum, Sa-„cerdotium ſuſtulit, confudit ordinem, temeravit „regnum, corrupit, quidquid erat Religionis: „quod vitæ, quod legis, quod morum, quod fi-„dei, quod diſciplinæ, perdidit, & convulſit. „Herodes ſicarius in cives, in nobiles latro, po-„pulator in ſocios, in domeſticos prædo, interem-„ptor plebis, occiſor filiorum, homicida in extra-„neos, in proprios parricida, inebrians cruore „terram in ſiti ſanguinis permanebat. Hinc eſt, „quod Joannis ſanguinem pium ingenti poculo „crudelitatis abſorbuit.„

Et mox ad verba: *Alligavit eum, & poſuit in carcere:*

„Herodes! tu adulterium facis, & in carcerem „vadit Joannes? Sic judicas ſedens in loco judicis „reus, in loco vindicis innocentiæ perſecutor? „Rogo,

* Vir Sanctus in eorum eſt numero, de quibus Hieronymus *Libro I. commentar. in Matth.* quod errore hiſtorico Herodem patrem, & filium confundere ſoleant.

„Rogo, ubi rerum facies? ubi fama? ubi pudor? „ubi exiſtimatio publici cognitoris? certe ubi De„us? ubi homo? ubi fas? ubi lex? ubi ipſius jura „naturæ? Simul omnia ſunt, Herodes, te agen„te, te judicante, te jubente confuſa..„

Dein ad verba: *At illa præmonita a matre ſua, da mihi, inquit, hic in diſco caput Joannis Baptiſtæ.*

„Hæc eſt, exclamat, mulieris antiqua malitia, „quæ Adam ejecit de Paradyſi deliciis: hæc cœle„ſtes homines fecit eſſe terrenos: hæc humanum „genus miſit in infernum: hæc vitam abſtulit „mundo propter unius arboris pomum: hoc ma„lum, quod homines ducit ad mortem: hoc ma„lum fugit Elias Propheta, & cujus lingua clavis „facta eſt cœli, tanquam reus fugit a facie mulie„ris: hæc invenit verum laborem, & preſſuram. „Quæ nunc occidit Joannem Baptiſtam, dejicit „pueritiam, perdit juventutem, illicit, & inquie„tat emortuam ſenectutem.„

Demum ad ferale convivium transgreſſus.

„Audiſtis, inquit, Fratres, quanta ſit nata de „voluptate crudelitas, de libidine impietas? *Et „allatum eſt caput ejus in diſco.* In arenam verti„tur domus, menſa migrat in caveam, fiunt de „pranſoribus ſpectatores, furore mutatur convi„vium, fit cibus cædes, vinum tranſit in ſangui„nem, finis opponitur natali *, in ortu exhibe„tur occaſus, convivium in homicidium commuta„tur, organa tragœdiam perſonant ſæcularem, in„trat beſtia, non puella, quærit amputare, non „ſaltare, diſcurrit fera, non fœmina, ſpargit jubas „per cervicem, non capillos, membra dilatat an„fractibus, ſævitiæ creſcit augmentis, fit grandis „crudelitate, non corpore, & ſingularis fera, us„que

* **Herodis ſcilicet, qui tam funeſte tum celebrabatur.**

„que dum capiat prædam, fremit ore, dentibus „ſrendet, ferrum non ſuſcipit, ſed producit. „

P. Bouhours, cujus in cenſendis recte cogitatis delicatiſſimus eſt ſenſus, locos hos commendat vehementer, plurimumque in iis & concitationis & elegantiæ reperiſſe ſe aſſerit. Certe conjunctum hic habes ſtuporem, indignationem, odium, miſerationem, pudorem. Accedunt accuſationes, minæ, exprobrationes, diræ, & arma commotæ mentis ſimul omnia expediuntur.

Chryſologo Chrysostomum ſubjicio. Hic Abelis cædem perſequens *homil.* 19. *in Geneſin.* ita ad verba illa: *Et factum eſt, cum eſſent ipſi in campo, ſurrexit Cain contra Abel fratrem ſuum, & occidit illum.*

„Horrendum facinus! auſus formidabiles, abominandum opus, irremiſſibile peccatum; efferatæ animæ propoſitum! *Surrexit*, inquit, *contra Abel fratrem ſuum, & occidit illum*! O abominabilem manum! O dexteram miſerabilem; „imo non manum oportet vocare abominabilem, „& miſerabilem, ſed mentem, cui membrum ſervivit. Dicamus igitur ſic: O temerariam mentem, & abominabilem, & miſerabilem! & quidquid dici poteſt, non ſatis dicetur. Quomodo „non obtorpuit ejus manus? quomodo potuit tenere gladium, & infligere plagam? Quomodo „non avolavit a corpore anima? quomodo valuit „operari tam nefandum facinus? quomodo non „inflexa eſt, & Cain non mutavit ſententiam? „Quomodo non cogitavit naturam? quomodo non „conſideravit, antequam adoriretur nefas, operis „finem? Quomodo ſuſtinuit poſt facinus videre „corpus fratris, ſpiritum efflantis, & palpitantis „ſuper terram? quomodo potuit videre mortuum, „& humi projectum, & a ſpectaculo non ſtatim „diſſolutus eſt? Nam cum nos poſt tot annorum

„nume-

„numerum, cum quotidie morientes videmus, „quamvis naturali morte, & ſanguine nihil nobis „junctos, viribus deſtituimur, &, ſi inimicus ſit, „inimicitiarum finem facimus, quanto magis hunc „diſperire par erat, & ſtatim emittere animam, „cum videret fratrem, qui paulo ante loquebatur, „eadem matre natum, eodem patre genitum, ejus„dem uteri partu editum, Deo ſingulari benevo„lentia acceptum, ſubito abſque ſpiritu, & ope„ratione jacentem, & ſuper terram palpitantem!„

Specimen affectuum plurium ſimul tenerorum.

S. AMBROSIUS *Lib. de exceſſu Satyri fratris*, qui cum paulo ante ex Africa reverſus eſſet, ex morbo obierat.

„Non habeo, quod mihi jam mundus eripiat. „Etſi ſancta ſuperſit ſoror, integritate venerabilis, „æqualis moribus, non impar officiis: tibi tamen „ambo plus timebamus: in te vitæ hujus jucun„ditatem repoſitam putabamus: propter te vivere „delectabat: propter te non pigebat mori. Te „enim ambo ſuperſtitem precabamur: tibi nos ſu„pervivere non juvabat. Quando non cohorruit „animus, cum metus hujusmodi titillaret? quo„modo conſternata mens erat ægritudinis tuæ nun„tio? Væ miſeræ opinioni! putabamus redditum*, „quem videmus dilatum. Tuis enim votis apud „ſanctum Martyrem Laurentium impetratum eſſe „nunc cognoſcimus commeatum. Atque utinam „non ſolum commeatum, ſed etiam prolixum vi„tæ tempus rogaſſes! Potuiſti annos plurimos im„petrare vivendi, qui potuiſti commeatum impe„trare veniendi. Et quidem tibi omnipotens æterne „Deus gratias ago, quod vel hæc nobis ſuprema „ſolatia non negaſti, quod amantiſſimi fratris ex „Sicu-

* Reſpicit naufragium, quod nupero in itinere eva ſerat.

„Siculis, Africaniſque regionibus exoptatum nobis reditum contuliſti. Ita enim mature, poſtquam venit, ereptus eſt, quaſi propter hoc ſolum videretur eſſe dilatus, ut ad fratres rediret. Habeo plane pignus mecum, quod nulla mihi peregrinatio jam poſſit avellere: habeo, quas complectar reliquias: habeo tumulum, quem corpore tegam: habeo ſepulchrum, ſuper quod jaceam, & commendabiliorem Deo futurum eſſe me credam, quod ſupra ſancti corporis oſſa requieſcam. Utinam ſic potuiſſem adverſus mortem quoque tuam meum corpus objicere! Si gladiis petitus eſſes, me pro te potius ſuffigendum dediſſem. Si exeuntem potuiſſem revocare animam, meam potius obtuliſſem. Nihil mihi profuit ultimos hauſiſſe anhelitus, nihil flatus in os inſpiraſſe morienti. Putabam enim, quod aut tuam mortem ipſe ſuſciperem, aut meam vitam in te ipſe transfunderem. O infelicia illa, tamen dulcia ſuprema oſculorum pignora! O amplexus miſeri, inter quos exanimum corpus obriguit, halitus ſupremus evanuit! Stringebam quidem brachia, ſed jam perdideram, quem tenebam, & extremum ſpiritum ore legebam, ut conſortium mortis haurirem. Sed neſcio, quomodo vitalis ille mihi halitus factus eſt, & majorem gratiam in ipſa morte redolebat. Atque utinam, ſi tuam nequivi meo ſpiritu vitam producere, vel ultimi anhelitus ſui vigor transfundi potuiſſet in meam mentem, & illam tui animi puritatem, atque innocentiam noſter ſpiraſſet affectus! Hanc mihi hæreditatem frater chariſſime reliquiſſes, quæ non lacrimabili dolore percuteret affectum, ſed memorabili gratia commendaret hæredem. Quid igitur nunc agam, cum omnes vitæ iſtius ſuavitates, cuncta ſolatia, cuncta denique ornamenta amiſerim.„

Et

Et infra.

„Proxime cum gravi quodam, atque utinam „ſupremo, urgerer occaſu, hoc ſolum dolebam, „quod non ipſe aſſideres lectulo, ac votivum mi„hi cum ſancta Sorore partitus officium, morien„tis oculos digitis tuis clauderes. Quid opta„veram: quid rependo! Quæ vota deficiunt: quæ „miniſteria ſuccedunt! Aliud præparabam: aliud „exhibere compellor, non jam ipſe miniſterium „funeris, ſed miniſter. O dura oculorum lumi„na, quæ potuiſtis fratrem videre morientem! „O immites, & aſperæ manus, quæ clauſiſtis ocu„los, in quibus plus videbam! O durior cervix, „quæ tam lugubre onus conſolabili licet obſequio „geſtare potuiſti! Hæc tu frater mihi juſtius ex„hiberes: hæc ego a te expectabam: hæc ego of„ficia deſiderabam. Nunc vero ipſe meæ vitæ ſu„perſtes quod ſine te ſolatium capiam, qui ſolus „mœrentem ſolari ſolebas, excitare lætitiam, mœ„ſtitudinem propulſare!„

Specimen affectus magis ſemper magisque aſſurgentis.

S. Chrysostomus *homilia* 15. *in ad Romanos* initio vehementior, mox tenerrimus ita ſenſim pertentat animum, atque ad cordis intima pervadit.

„Deus quidem, inquit, filium ſuum tradidit: „tu vero ne panem quidem das ei, qui pro te „traditus, & occiſus eſt. Pater propter te illi non „pepercit, cum vere filius ipſius eſſet: Tu vero „illum, fame tabeſcentem contemnis, cum ſum„ptum facturus ſis ab iis, quæ illius ſunt, idque „propter te * facturus ſis. Quid hac iniquitate „deterius fuerit? Traditus eſt propter te, occiſus „eſt propter te, circumit eſuriens propter te; ex „iis, quæ illius ſunt, das, ut ipſe utilitatem acci„pias:

* I. e. ad utilitatem, & lucrum proprium.

„pias: at ne ſic quidem das. Quibus lapidibus
„non ſtupidiores ſunt, qui tot rebus ſe pertra-
„hentibus (*ad pietatem*) in diabolica illa inhuma-
„nitate manent? Neque enim ſatis ille habuit cru-
„cem, & mortem ſubire, ſed & pauper fieri vo-
„luit, & peregrinus, erro & nudus, atque in car-
„cerem conjicii, infirmitatemque pati, ut vel ſic
„te advocaret. Si mihi non retribuis, ut pro
„te paſſo, miſerere mei tamen propter pauperta-
„tem. Si nolis propter paupertatem miſereri, pro-
„pter morbum, vel propter carcerem flectaris. Si
„ne hæc quidem ad humanitatem pertrahunt, annue
„ob petitionis tenuitatem. Nihil a te ſumptuoſum
„peto, ſed panem, tectum, verborum conſolati-
„onem. Si poſtea adhuc ferox maneas, ſaltem
„propter regnum cœlorum melior efficiaris, ſal-
„tem ob prœmia, quæ promiſi. Verum ne ho-
„rum quidem ullam rationem habes? Saltem pro-
„pter naturam te frangas, nudum videns, & me-
„mento nuditatis meæ in cruce, quam propter
„te paſſus ſum. Si illius nolis, at iſtius, qua (*nunc*)
„pauper, & nudus ſum. Vinctus tunc fui pro-
„pter te: & nunc etiam propter te, ut ſive illis,
„ſive his motus vinculis aliquid miſericordiæ mi-
„hi præſtare velis. Jejunus ſui propter te: rur-
„ſus eſurio propter te. Sitivi in cruce pendens:
„per pauperes nunc ſitio, ut vel ex illis, vel ex
„his te ad meipſum alliciam, & pro ſalute tua
„benignum te reddam. Ideo te, mille devinctum
„beneficiis, vicem mihi rependas, rogo. Non ut
„a debente exigo, ſed ut largientem corono, &
„pro modicis iſtis regnum do. Non dico: ſolve
„paupertatem meam; nec: largire mihi divitias;
„quamvis propter te pauper ſim: ſed panem tan-
„tum peto, & veſtem, & in fame modicam con-
„ſolationem. Si in carcerem conjectus ſim, non
„rogo te, ut a vinculis me ſolvas, & educas; ſed

„unum quæro tantum, ut propter te vinctum videas. Hæc mihi gratia ſatis erit; pro quo tibi „cœlum largior; quamquam te ego graviſſimis „exſolvi vinculis: at mihi ſatis erit, ſi velis me „vinctum inviſere. Poſſum quidem citra hæc te „coronare; ſed volo tibi debitor eſſe, ut cum corona quædam tibi fiducia accedat. Atque ideo „cum poſſim me ipſum alere, circumeo mendicans, ad fores tuas adſtans tendo manus, cupiens a te nutriri. Te enim admodum diligo; „ideo menſam amo tuam, ut amicis mos eſt. Hac „vero de re glorior, & orbis theatro præſente prædico te, omnibus audientibus nutritium oſtendo „meum. Atqui nos, cum a quopiam nutrimur, „erubeſcimus, & hoc diſſimulamus: ille vero, „quia nos admodum amat, etiamſi nos taceamus, „hoc prædicat cum laudibus magnis, nec erubeſcit dicere, ſe nudum a nobis indutum, eſurientemque nutritum fuiſſe. Hæc igitur omnia cogitantes, non intra laudes conſiſtamus; ſed quæ „dicta ſunt, perficiamus. Quid enim proſunt plauſus, & tumultus? Unum tantum a vobis quæro, „operum exemplum, & per ipſas res obedientiam. „Hæc laus mea eſt, hoc lucrum veſtrum, hoc mihi diademate ſplendidius. Hanc itaque hinc „egreſſi & vobis & mihi coronam per omnium „manus parate, ut & in præſenti vita, bona in „ſpe, una vivamus, & ad futuram vitam migrantes innumera bona aſſequamur.„

Non mirum, ſive dicenti hæc CHRYSOSTOMO applauſum ab omnibus eſſe, ſive Giſbertum, eloquentiæ intimum cognitorem, tantis locum laudibus cumulare *. Addam ego, ex hoc uno ſpecimine diſcere debere ſacros oratores, quomodo affectum non ciere ſolum, ſed producere, ſed ſuſtenta-

* Vide *caput* ejus *quintum*.

ſtentare debeant. Hic enim ad oculum patet, quomodo paulatim, & leniter ad motum ſtabilem eatur, ut non ſimpliciter exardeſcas, verum lignis multo ante comportatis, & ordinatis; ne ſcilicet ex ſtupa volatilis flamma exiſtat ſine calore, ignis fatuus, qui ubi oculis tantiſper illuſit, mox diſpareat iterum, penitusque evaneſcat. Et hoc perfrequens Chryſoſtomo ex Græcis, Cypriano autem, & Salviano ex Latinis; qui ubi quid evincere propoſuerunt, non dimittunt, donec plene, atque ampliſſime conſecuti ſint.

Specimen affectus ampliſſimi mira varietate diducti, atque omnem in partem verſati.

Tale eſt CHRYSOSTOMI *Hom.* 8. *in ad Epheſios* de vinculis, & carcere Pauli, ubi quidem ardentiſſimus viri in Deum amor elucet; nam altiore incedens cothurno, & velut œſtro quodam incitatus ita diſſerit:

„*Ego vinctus in Domino.* Magna, & quæ vim „habet dignitas, & regno, & conſulatu, & qui„busvis aliis major. Quod quidem dicit etiam „ſcribens ad Philemonem: *cum ſim Paulus ſenex*, „*nunc autem vinctus in Chriſto.* Nihil eſt enim æque „præclarum, atque vincula propter Chriſtum, „& catenæ ſanctis illis manibus impoſitæ. Vin„ctum eſſe propter Chriſtum eſt præclarius, quam „eſſe Apoſtolum, quam eſſe Doctorem, quam eſſe „Evangeliſtam. Si quis amat Chriſtum, novit, „quod dicitur. Si quis in Dominum velut inſa„nit, & uritur ejus amore, novit vim vinculorum. „Maluerit eſſe vinctus propter Chriſtum, quam „habitare cœlos. Oſtendebat eis manus quovis „auro ſplendidiores, & quovis regali diademate „illuſtriores. Non enim tam ſplendidum facit ca„put, cum vitta ex gemmis contexta ei imponi„tur, quam cum catena ferrea propter Chriſtum „fertur. Tunc erat regiis ædibus carcer præcla-

„rior. Quid dico regiis ædibus? ipſo quoque „cœlo. Habebat enim vinctum Chriſti. Si quis „Chriſtum diligit, novit hanc dignitatem, novit „hanc virtutem, novit, quantum humano generi „vinculis ejus cauſa injectis ſit gratificatum. Hoc „fortaſſe eſt præclarius, quam ſedere a dextris ejus: „hoc eſt magnificentius, quam ſedere ſuper duo- „decim ſedes, vinctum eſſe propter Chriſtum. Et „quid dicam de rebus humanis? Pudet me con- „ferre divitias, & ornatum aureum cum vinculis. „Igitur illa, utut magna miſſa facio. Etiamſi res „nullam haberet mercedem, hoc ſolum eſt magna „merces, & ſufficiens remuneratio, gravia iſta pati „propter eum, qui amatur. Sciunt, quod dici- „tur, qui amant, ſi non Deum, at homines: qui „magis lætantur, ſi male patiuntur pro iis, quos „amant, quam ſi honore afficiantur. Hoc non- „niſi Sanctorum cœtus intelligit, Apoſtolorum in- „quam. Audi enim beatum Lucam dicentem, eos „rediiſſe *gaudentes a conſpectu concilii, quoniam di-* „*gni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati.* „Atque aliis quidem videtur eſſe ridiculum, ſi pro- „bris affici, dignitatem, ſi contumeliam pati, gau- „dium dicimus: iis autem, qui ſciunt Chriſti de- „ſiderium, hoc eſſe exiſtimatur omnium beatiſſi- „mum. Si quis mihi offerret totum cœlum, aut „illam catenam, ego illam præferrem. Si quis „me apud ſuperos collocaret cum Angelis, aut „cum Paulo vincto, eligerem carcerem. Si quis „me faceret unum ex Poteſtatibus, quæ ſunt cir- „ca cœlos, vel circa Thronos, aut talem vinctum, „potius optarem talis eſſe vinctus. Et jure qui- „dem; nihil enim eſt illa catena beatius. Vellem „nunc eſſe in iis locis, in quibus dicuntur ſuper- „eſſe illa vincula, & propter Chriſti deſiderium „videre, atque admirari viros illos. Vellem vi- „dere catenas, quas pertimeſcunt quidem, & hor-

„rent

„rent dæmones, reverentur autem Angeli. Nihil „eſt melius, quam male pati propter Chriſtum. „Non tam beatum prædico Paulum, quod raptus „ſit in paradiſum, quam quod conjectus ſit in car- „cerem. Non tam eum dico beatum, quod au- „dierit arcana verba, quam eum cenſeo beatum „propter vincula. Non tam beatum dico, quod „raptus ſit in tertium cœlum, quam propter illa „vincula. „

Utique hæc omnia ſunt hominis divino amore ebrii, nec videntur aſſurgere magis poſſe. Verum hic minime ſiſtit, ſed ulterius ita proſequitur.

„Nam quod hæc illis ſint majora, audi, quo- „modo ipſe quoque noverit. Neque enim dixit: „Rogo vos ego, qui verba audivi ineffabilia. Sed „quid? *Rogo vos ego vinctus in Domino.* Si hoc au- „tem non omnibus adſcribit epiſtolis, non eſt „mirum; non enim ſemper fuit vinctus, ſed qui- „busdam temporibus. Mihi eſt optabilius male „pati pro Chriſto, quam honorari a Chriſto. Hoc „magnus eſt honor, hoc eſt gloria, quæ omnia „exſuperat. Si ipſe, qui propter me factus eſt „ſervus, & evacuavit gloriam, non adeo exiſti- „mabat ſe eſſe in gloria, ut quando pro me age- „batur in crucem, quid me non oportet pati? Audi „enim ipſum dicentem: *Glorifica me*, inquit, *tu Pa- „ter.* Quid dicis? in crucem ageris, ut execra- „torum mortem ſubeas cum latronibus, & ſe- „pulcrorum effoſſoribus: es conſpuendus, & co- „laphis cædendus., & hæc vocas gloriam? Certe, „inquit; hæc enim patior pro iis, quos diligo, & „hæc nunc gloriam exiſtimo. Si qui miſerabiles, „& miſeros dilexit, eam rem vocat gloriam, ne- „que in throno eſſe paterno, neque in gloria, „ſed in ignominia eſſe, & dedecore, erat gloria, „& hoc illi præferebat, multo magis ego hæc de- „beo exiſtimare gloriam. O beatas manus, quas

„ornavit illa catena! Non erant adeo honorandæ „Pauli manus, quæ claudum, qui erat Lyſtris, „erexerunt, & fecerunt ſurgere, ut quæ indutæ „erant vinculis. Si ego fuiſſem illis temporibus, „tunc maxime eas eſſem amplexus, & pupillis „meis admoviſſem, non ceſſaſſem deoſculari ma„nus, quæ dignæ ſunt habitæ, quæ pro domino „meo vincirentur. Admiraris Paulum, quando „ejus manum tetigit vipera, & nihil ei fecit? Ne „mireris: reverita enim fuit catenam, totum mare „eam reverebatur; tunc enim erat vinctus. Si„quis mihi dederit nunc, ut ſuſcitem mortuos, „non hoc elegerim, ſed catenam. Si ab Eccleſia„ſticis curis eſſem remotus, & eſſet mihi corpus „ſanum, ac validum, non recuſarim hanc ſuſci„pere peregrinationem, ut ſolum viderem catenas, „ut carcerem, in quo fuit vinctus. Atqui ejus „miraculorum multa multis in locis ſunt ſigna, ſed „non ſunt tam deſiderabilia, quam ſtigmata. Et „in ſcripturis non ita me delectat, dum facit mi„racula, quam dum male patitur, flagellis cædi„tur, atque raptatur. Vere mirabilia ſunt illius „corporis ſudaria, & ſemicinctia, quæ ſtupenda „patrant. Sunt hæc vere mirabilia, ſed non ut „illa. *Cum eos cæcidiſſent, & multas plagas eis im„poſuiſſent, miſerunt in carcerem.* Et rurſus: *Vin„cti laudabant Deum.* Et rurſus: *Lapidantes traxe„runt eum extra Civitatem, exiſtimantes eum mor„tuum eſſe.* Vultis ſcire, quanta res ſit catena fer„rea propter Chriſtum in corpus ſervile injecta? „Audite ipſum Chriſtum dicentem: *Beati eſtis.* In „quo? cum mortuos ſuſcitaveritis? Nequaquam. „Sed in quo? quando cæcos curaveritis? Minime. „Sed in quonam? Quando probris vos affecerint „homines, *& perſecuti fuerint, & dixerint omne „malum adverſum vos, mentientes propter me.* Si „autem male audire ſic beatos efficit, male pati,

quid

„quid non fecerit? Audi ipſum beatum Paulum di-
„centem alibi: *In reliquo repoſita eſt mihi corona ju-
„ſtitiæ.* Sed hac corona præclarius eſt vinculum.
„Eo me, inquit, dignabitur: & de illis non ac-
„curate diſcepto. Ad omnem remunerationem
„mihi ſufficit male paſſum eſſe propter Chriſtum.
„Det mihi, ut illud eloquar: *Adimpleo ea, quæ
„deſunt paſſionum Chriſti in carne mea:* & nullius
„egeo. . . . . Revera eſt maxima gratia, & ma-
„jor illis omnibus, quam ſolem, & lunam ſiſte-
„re, quam mundum movere. Hoc majus, quam
„vincere, aut expellere dæmones. Non illi tam
„dolent, dum fide expelluntur a nobis, ut quan-
„do viderint, nos mali aliquid pati propter Chri-
„ſtum, & vinciri; hoc enim majorem dat liberta-
„tem, & fiduciam. Non propterea bonum eſt,
„vinctum eſſe propter Chriſtum, quod ea res
„regnum conciliet, ſed quod ea fiat propter Chri-
„ſtum, Non propterea beata prædico vincula,
„quod transmittant in cœlum, ſed quod ea ſint
„propter dominum cœli. Quanta eſt gloriatio
„ſcire, quod propter Chriſtum ſit vinctus! quan-
„ta voluptas! quantus honor! quantus ſplendor!
„Vellem hæc perpetuo effari: vellem hærere ca-
„tenæ, etſi reipſa ſum privatus, at ratione per
„affectionem animam ea circumdare.„

Vides opinor, ſtudioſe Lector (ſic enim ait Stiltinghus noſter *) *Virum vinculis puriſſimi, ardentiſſimique amoris conſtrictum! At necdum a Pauli vinculis abſcedit Chryſoſtomus, neque ego adhuc Chryſoſtomi ſuaviſſima verba deſero.* Itaque de iis, quæ in Pauli carcere *Actorum XVI. a verſu* 26. contigerant, aliquantum locutus, ita affectum illum ſuum Chryſoſtomus proſequitur.

 „Parum

* In *Actis, SS. ad XIV. Septembr.* de S. Chryſoſtomo §. 34. n. 523.

„Parum mihi concedite, & permittite, ut dum „a verbis abſceſſerin Apoſtolicis, & in factis Apo„ſtolicis me expleverim deliciis, in Pauli catena „convivari, date mihi in ea paulo amplius verſa„ri. Apprehendi vinculum, nemo me abducet. „Tutius ego nunc ſum vinctus deſiderio, quam „ille tunc ligno. Hoc nemo ſolvit vinculum; eſt „enim a Chriſti deſiderio. Hoc neque Angeli, ne„que regnum cœlorum poteſt ſolvere. Licet au„dire ipſum Paulum dicentem: *Neque Angeli, ne„que Principatus, neque inſtantia, neque futura, ne„que altitudo, neque profundum poteſt nos ſeparare „a charitate Chriſti.* „

Poſt hæc iterum ad carcerem Apoſtolorum digreſſus cum converſionem cuſtodis cum tota familia narraſſet, ita exclamat.

„Conſidera rurſus Pauli fervorem. Vinctus, „flagellatus, ita evangelizabat. O beatam catenam! „qualis fuit illa nocte ejus parturitio! quales pe„perit filios? De iis dici poteſt: *Quos genui in meis „vinculis.* Vides, quomodo exultet, & vult filios, „qui nati ſunt ex hoc, ſplendidiores? Vides vin„culorum quanta ſit potentia, cum non ſolum „eum, qui eſt illis circumdatus, ſed etiam eos, „quos ille eo tempore peperit, reddat ſplendidio„res? Habent aliquid amplius, qui nati ſunt in „vinculis Pauli: non dico in gratia; eſt enim ea„dem gratia, nec in remiſſione; eſt enim eadem „omnium remiſſio, ſed quod a prooemiis docentur „de ejusmodi rebus lætari, & exultare.„

Dein aliis quibusdam interjectis ita pergit divinus orator.

„Nunc autem Pauli catenæ multis actis gratiis, „finem imponamus orationi, quod tam multo„rum nobis bonorum fuerit cauſa, cum vos ro„gaverimus, ut non ſolum non ægre feratis, ſi „quid paſſi fueritis propter Chriſtum, ſed etiam „gau-

„gaudeatis, ſicut Apoſtoli, & gloriemini, ut dice-„bat Paulus: *Lubentiſſime gloriabor in infirmitati-„bus meis:* propterea audivit: *Sufficit tibi gratia „mea.* Paulus gloriatur propter vincula, & tu pro-„pter divitias altum ſapis? Apoſtoli gaudebant, „quod digni eſſent habiti, qui flagris cæderentur: „& tu otium quæris, & delicias. Quomodo er-„go vis eadem, quæ illi, conſequi, cum hic gra-„diaris via eis contraria? *Et nunc*, inquit, *vado in „Jeruſalem alligatus ſpiritu, quæ in ea ventura mihi „ſunt, ignorans: niſi quod Spiritus Sanctus per omnem „civitatem mihi proteſtatur, dicens, quod vincula, & „tribulationes me manent.* Cur ergo vadis, ſi vin-„cula, & afflictiones te manent? Propter hoc „ipſum, ut vinciar propter Chriſtum, ut moriar „propter ipſum. *Non ſolum enim paratus ſum vin-„ciri, ſed etiam mori pro nomine Domini noſtri Jeſu „Chriſti.* Nihil eſt illa anima beatius. In quibus-„nam gloriatur? In vinculis, in afflictionibus, in „catena, in ſtigmatibus. *Ego ſtigmata Domini Je-„ſu Chriſti in corpore meo porto,* tanquam magnum „aliquod trophæum. Et rurſus: *Propter Iſraël*, „inquit, *catena hac circumdatus ſum:* Et rurſus: „*In quo legatione fungor in catena.* Quid hoc er-„go eſt? Non te pudet? non extimeſcis, totum „terrarum orbem vinctus circumiens? Non metuis, „ne quis Deum tuum accuſet imbecillitatis, ne „quis propterea non accedat? Non ſunt talia, in-„quit, mea vincula. Sciunt etiam ſplendere in au-„lis Regum: *Ita ut vincula mea manifeſta fierent in „omni prætorio, & plures e fratribus in Domino, „confidentes in vinculis meis, abundantius auderent „ſine timore verbum Dei loqui.* Viden vinculorum „vim magis, quam in Reſurrectione mortuorum? „Vinctum vident, & magis confidunt. Ubi enim „ſunt vincula, illic quoque ut magni aliquid fa-„ctum ſit, neceſſe eſt. Ubi afflictio, illic quoque

„omnino eſt ſalus, omnino illic eſt relaxatio, illic „omnino ſunt præclara, & ex virtute geſta facinora. Nam diabolus, quando calcitraverit, tunc „feritur. Quando vinxerit Dei ſervos, tunc maxime creſcit verbum. Vide autem hoc ubique „fieri. Vinctus fuit, & hæc fecit in carcere. *In* „*ipſis* enim, inquit, *vinculis meis*. Vinctus fuit „Romæ, & plures induxit. Non enim ipſe ſolus confidebat, ſed etiam alii multi per ipſum. „Vinctus fuit Jeroſolymis, & vinctus concionans „Regem obſtupefecit, & timore affecit Præfectum. „Nam timore perculſus eum abſolvit: nec eum, „qui vinxerat, puduit a vincto diſcere de futuris. „Vinctus navigabat, & ſolvit naufragium, & vinxit tempeſtatem. Cum eſſet in vinculis, illum „tetigit beſtia, & eo minime læſo cecidit. Vinctus eſt Romæ, & vinctus concionatus attraxit „innumerabiles, præ omnibus hoc ipſum proponens, nempe Catenam„

Longam cauſatus Pauli catenam, quæ diu, multumque ipſum, ac auditores tenuiſſet, denique ita concludit:

„Quid agam? Volo tacere, ſed non poſſum... „Volo cœptam interrumpere orationem; ea vero „non finit. Nam ut quis, dum bibit, non paſſus fuerit interrumpi, quidquid ei renuntietur: „ita ego quoque apprehenſo admirabili carceris „poculo, eorum, qui vincti ſunt propter Chriſtum, non poſſum ceſſare, non poſſum ſilere.„

Hoc exemplum eſt prorſus ſingulare, atque ejus generis, quod admirari magis liceat, quam imitari. Dubito hodieque, an apud oratores noſtros, etiam eloquentiſſimos ſimile aliquando repererim. Certe ſic loqui nemo poteſt, niſi qui intime perſuaſus, commotuſque, niſi qui Chriſti, & crucis amore ebrius, niſi qui terrenis omnibus ſuperior, verbo, niſi qui ſanctus ſit, uti Chryſosto-

SOSTOMUS fuit. Patet autem ad oculum, ejusmodi affectus ſancto Doctori quam maxime familiares exſtitiſſe. Nam & alias ſimilia expromit, & in ſequenti quoque homilia idem argumentum attingens ita rurſum exardeſcit, ac ſi ignis in ſtupam forte incidiſſet. Sed hæc ſatis de efficacia Patrum in movendo. Nam infra dabuntur plura, quando de ſingulis affectibus ordine, & ſpeciatim Libro ſeptimo agetur.

CAPUT VII.

Specimina Morum, *quos dicunt, & reliquæ* Prudentiæ *oratoriæ apud Patres.*

Prudentiam ipſe CICERO fundamentum Eloquentiæ ſtatuit. Et certe hoc artis, hoc ſtudii eſt, ſine quo obſint potius omnes quidem, maxime vero ſacræ orationes. Id quod cum ex muneris, & argumenti gravitate, tum ex conditione auditorum, & genio ætatis noſtræ nemo non per ſe ipſe intelliget. Cum ergo ſummis veritatibus, & ſcientia Scripturarum intime imbuti Patres eſſent, humanas tamen induſtrias, artes, & cautiones minime negligendas putabant: ſed in loco haud ſecus atque externi, cura, & ſolertia ſingulari adhibuere. Hac de cauſa ipſi fere per ſe concionabantur, ut qui præter auctoritatem uſum haberent majorem, & plus ceteris conſilio, ac providentia valerent. Imo nonnullos hoc ipſa de cauſa dicendi provinciam, ut oppido difficilem, pro viribus refugiſſe initio ſcimus, quos inter nominatim Divi GREGORIUS NAZIANZENUS, AUGUSTINUS, GREGORIUS MAGNUS fuere. Et Nazianzenus quidem *oratione* I. non ſolum ingentem præfert officii hujus æſtimationem, ſed propter admirabilem ſapientiam ad illud requiſitam, parum idoneum ſe cau-

cauſatur, qui ſuſciperet; etſi cetera, quod nemo neſcit, ab eloquentia quam maxime comparatus eſſet. Juverit ea legiſſe, quæ toto illo Sermone quam diſerte, tam graviter in hanc rem Sanctus Doctor diſputavit. Brevitatis cauſa (nam quæ dixi longiſſima ſunt) alium ex eo locum adduco *orat.* 1. *de Theologia*, ubi ita ait: *Non cujusvis eſt, o viri, de Deo diſſerere, non, inquam, cujusvis. Non adeo vilis, ac protrita hæc res eſt, & eorum, qui humi adhuc reptant: addam etiam, non cujusvis temporis, nec apud quosvis, nec de quibusvis: ſed certo tempore, & apud certos homines, & aliquo uſque hoc faciendum eſt.* Id quod dein ſingillatim, & eleganter declarat *.

Ergo Patres, ſi qui alii, morati, & providi erant oratores, qui optime noſſent & proprios mores, & alienos in rem ſuam vertere; quæ prima eſt induſtria prudentiæ. Hanc enim qui non habet, aut in limine ſtatim offendit, aut certe per decurſum ſæpius offendat neceſſe eſt. Equidem in præcedentibus libris plura jam diximus, quæ ad mores, & ceteram prudentiam Patrum non minus referri poſſunt, atque eo pertinent, ubi pertractata ſunt. Sic hoc ipſo libro explicavimus, qua peritia benevolentiam ſibi, ac docilitatem comparare noſſent: Et libro primo generatim oſtendimus, variis dotibus opus habuiſſe eos, quas a profanis nemo ſane requirat ad moratum & providum oratorem. Scilicet quomodo obligationes officii ſui, & rationem Deo dandam exaggerarint: quomodo auctoritate ſua ſint uſi, quomodo vitæ exemplo verba firmarint: quam ab omni ſpecie lucri, & gloriæ alieni fuerint: quam in aggredi-

* Nazianzenus eo loco potiſſimum dogmata reſpicit populo explicanda; ſed quod par ſit ratio, recte ad mores quoque traducitur.

grediendo, & ſuſtinendo magnaninuitatem oſtenderint: quantum ſibi a ſatyra, & riſu temperarint: quomodo ſe rebus, res vero, & verba auditoribus accomodarint *: quem in ornatu ſermonis modum, quam temperationem tenuerint &c. In his, inquam, docuimus, ita excellere Patres debuiſſe, ut diſcrimen inter eos, atque externos ſane latiſſimum intercedat. Nunc ad illas morum, & judicii regulas convertimur, in quibus animis, inſtitutisque pares ſunt, & eandem omnino rationem tenent **. Non autem omnia afferemus (quæ neque poſſumus afferre) ſed delectu facto præcipua tantum, ex quibus ſcilicet facilior & de ceteris conſecutio fiat.

Uſus temporis, & adjunctorum in rem ſuam.

Uſum hunc, qui in Demoſthene, ac Marco Tullio ſingularis fuit, CHRYSOSTOMUS *homilia* II. *ad populum, ac Libro contra Gentiles de S. Babyla*, ſed & alii plures diſertis verbis præſcripſerunt. Et ſtetit præceptioni fides ſua, præſertim apud eum, quem nunc diximus, aureum oratorem. *Non minor in eo*, ait FLEURYUS ***, *quam in Demoſthene ſolertis oratoris prudentia elucet. Sapienter judicat, quando loquendum ſibi, quando tacendum ſit, quid & qua de re diſſerendum, qui excitandi motus, qui reprimendi. Meminerit Lector, quibus artibus uſus in Tumultu circa ſtatuas coorto. Primum ſeptem ipſos dies ſilentium tenuit, dum ſeditionis furor poſuiſſet: cumque Cæſaris Quæſitores adveniſſent, homiliarum ordinem repente abrupit: dein iterum conſcenſa cathedra mœrenti populo condolens nonniſi poſt elapſos aliquot*

* De hoc etiam dictum Libro iſto quarto, cap. 2.

** Vide Quintilianum *Libro VI. cap.* 6. & *Libro XII.* fere toto.

*** *Diſſertat. in prima ſex ſæcula* §. 16.

aliquot dies Scripturarum explicationem reſumpſit. Atque ex ejusmodi ſolertia potius, quam ex tranſitionum, & proſopœjarum quantocunque artificio orator æſtimandus eſt.

Ita Fleurys, qui mox Auguſtinum quoque, & Ambroſium eandem ob rem laudat. Excellit etiam hac in parte divus Gregorius *Nazianzenus.* Quod cum alias ſæpe, tum in illa tota oratione oſtendit, quæ *de ſuis ſermonibus, & ad Julianum tributorum exæquatorem* inſcripta eſt. Sed recta ad Specimina pergimus.

S. Chrysostomus *orat. de Baptiſmo Chriſti,* cum prænoſſet ad diem illum, qui Græcis quam maxime feſtus erat, ingentem populi concurſum, & compreſſionem extituram, ab illa ipſa occaſionem ſane opportuniſſimam arripuit invehendi in eos, qui toties per annum a divinis officiis & verbi divini prædicatione abeſſent, aliosque in Eccleſia abuſus admitterent, quos dudum ipſe correptos ſublatosque cupiebat. Sic ergo incipit:

„Omnes vos in lætitia hodie, ego vero in mœ„rore ſum ſolus. Nam cum in hoc ſpirituale „pelagus oculos meos converto, & immenſas Ec„cleſiæ divitias contemplor, ac deinde perpendo „fore, ut cum primum ſolennitas iſta præterierit, „multitudo rurſus iſta reſiliat, ac diſcedat; cruci„or, & animi dolore angor; quod cum tam mul„tos liberos peperit Eccleſia, non illis itidem in „ſingulis Collectis, ſed in feſto ſolummodo frui „poſſit. Quanta quæſo illa ſpiritualis exultatio fo„ret, quantum gaudium, quanta Dei gloria, „quanta utilitas animarum, ſi collectæ cujusque „tempore ſic repleta Eccleſiæ ſepta cerneremus? „Jam vero nautæ quidem ac gubernatores omnia „efficiunt, ut pelagus emenſi, tandem ad portum „perveniant: nos contra in alto mari fluctuare „contendimus, dum ſæcularium negotiorum pro„cellis

„cellis ſemper obruimur, atque in foris, & tri-
„bûnalibus judicum jactamur, hic autem ſemel,
„aut iterum, vix toto anno comparemus. An
„vero ignoratis, ut in mari portus, ſic Eccleſias
„Deum in urbibus erexiſſe, ut a tumultuum ſæcu-
„larium turbine huc confugientes, ſumma tran-
„quillitate potiamur? Non enim fluctuum hic eſt
„reformidanda tempeſtas, non latronum incurſio-
„nes, non irruptiones prædonum, non ventorum
„impetus, non inſidiæ belluarum; portus enim
„eſt ab his omnibus immunis, ac liber, portus eſt
„ſpiritualis animarum. Atque eorum, quæ dixi,
„vosmetipſi mihi teſtes eſtis. Si quis enim ve-
„ſtrum conſcientiam ſuam excuſſerit, multam in-
„tus reperiet tranquillitatem. Non enim ira ne-
„gotium faceſſit, non cupiditas inflammat, non
„invidia tabefacit, non inflat arrogantia, non ina-
„nis gloriæ amor corrumpit: ſed coërcentur om-
„nes hæ belluæ, cum primum quaſi quoddam di-
„vinum carmen ſacrarum auditio Scripturarum per
„aures in animam cujusque penetravit, & illas alie-
„nas a ratione perturbationes ſopivit. Quis non
„igitur eos vel infeliciſſimos judicet, qui cum tan-
„tam morum ſanctitatem poſſint adipiſci, non aſ-
„ſidue verſentur, ac ventitent ad communem om-
„nium parentem, Eccleſiam nimirum? Etenim
„quamnam tandem eſſe tibi magis fructuoſam oc-
„cupationem cauſari poſſis, aut congreſſum utilio-
„rem? Quodnam autem impedimentum, quo mi-
„nus hic nobiſcum verſeris? Paupertatem nimirum
„tibi impedimento eſſe dices, quo minus præcla-
„ro huic cœtui interſis: At legitima non eſt hæc
„excuſatio. Septem habet dies hebdomada: divi-
„ſit hos ſeptem nobiscum Deus: neque ſibi qui-
„dem potiorem partem, nobis autem minorem
„impertiit: imo ne in duas quidem æquales partes
„eas diſtribuit, non ſibi tres aſſumpſit, tresque lar-
„gitus

„gitus eſt: verum tibi quidem ſex impertiit, unam „vero ſibi reliquit: nec in hac tamen tota a ne„gotiis ſæcularibus abſtinere dignaris, ſed hoc ipſum, „quod faciunt, qui ſacras pecunias deprædantur, „tu hac etiam die patrare audes; dum illam jam „ſanctam, & ſpiritualium eloquiorum auditioni „conſecratam ſurripis, & ad ſæculares curas abu„tendo traducis. Sed quid ego de integro die lo„quor? vel id unum, quod in eleemoſyna vidua „fecit, tu in hujus diei tempore facito: quemad„modum illa duos obolos miſit, multamque a „Deo gratiam inivit: ſic & tu duas horas Deo „commoda, & ſexcentorum dierum lucrum in „domum tuam importabis. Quod ſi id detrectes, „vide, ne forte, dum ad exiguum temporis ſpatium „te ipſum non vis a terrenis lucris avocare, inte„grorum annorum labores amittas. Solet enim „Deus, cum contemptus fuerit, collectas pecunias „diſſipare: quod & Judæis minitando dicebat, „quoniam ſolicitudinem templi omnem abjiciebant: „*Intuliſtis ea in domos veſtras, & exſufflavi ea, di„cit Dominus.* Quid enim quæſo ex iis, quæ ne„ceſſaria ſunt, te poterimus docere, cum ſemel, „aut iterum annis ſingulis ad nos ventites: de „anima nimirum, de corpore, de immortalitate, „de regno cœlorum, de pœnis, de gehenna, de „Dei longanimitate, de indulgentia, de pœnitentia, „de baptiſmo, de remiſſione peccatorum, de iſtis „mundi cum ſuperioris, tum inferioris creaturis, „de hominum natura, de Angelis, de improbi„tate dœmonum, de diaboli fraudibus, de mori„bus, de dogmatibus, de recta fide, de corruptis „hæreſibus? Siquidem iſta, & multo plura noſſe „chriſtianum oportet, horumque omnium ratio„nem reddere iis, qui ſuſcitentur: Vos vero ne „minimam quidem horum tenere partem poteritis, „ſi ſemel hic, idque perfunctorie conveniatis, nec

„tam

„tam propter animæ pietatem, quam propter con„ſuetudinem ſolennitatis. Nam etiamſi vel quoti„eſcunque ſit collecta, quis interſit, bene cum eo „actum fuerit, ſi de omnibus iſtis exacte potuerit „erudiri. Servos habetis multi, qui hic adeſtis, „& filios: cumque illos artium magiſtris in diſci„plinam tradere vultis, quos elegeritis, veſtrarum „illis ædium ingreſſu interdicitis, ſemel ubi ſtra„gulam veſtem, cibaria, omnemque aliam ſuppel„lectilem, & apparatum ſuppeditaſtis: una cum ma„giſtro habitatum mittitis, ac ne domum veſtram „adeant prohibetis: ut dum ibi continue verſantur, „facilius artem ediſcant, nec ulla ſolicitudine ſtu„dium illorum, & occupatio interpelletur. Jam „vero cum non vulgaris ars quædam, ſed omnium „maxima vobis ſit ediſcenda, quo pacto Deo pla„cendum ſit, & cœleſtia bona conſequenda, per„functorie vos id perficere poſſe cenſetis? Quan„tæ hoc, quæſo, eſt dementiæ? Nam diſciplinam „eſſe hoc negotium, quod multam exigit attentio„nem, ex his cognoſcite. *Diſcite*, inquit, *a me*, „*quia mitis ſum*, *& humilis corde:* & rurſus Pro„pheta: *Venite*, *filii*, *audite me: timorem Domini* „*docebo vos*: & iterum: *Vacate*, *& videte*, *quo*„*niam ego ſum Deus.* Itaque multa opus eſt va„catione illi, qui hanc morum diſciplinam, & „philoſophiam ſibi voluerit comparare. Verum „enimvero, ne tempus omne in eorum reprehen„ſione conteramus, qui ſolent abeſſe, his, quæ ad „ipſorum negligentiam corrigendam ſunt dicta, „contenti, age quiddam de præſenti ſolennitate „philoſophemur. &c.„

Itaque de Baptiſmo Chriſti, interea differens, quod ſciret, finita concione, populum ad Synaxin acceſſurum, ubi magna erat irreverentia, neque debita animorum præparatio adhibebatur, ingenioſiſſima inventa tranſitione ex corpore Domini

„ſcitis, qualem fructum amor pecuniæ nuper exhi-
„buerit? An non hujusce rei monumenta ob ocu-
„los habetis? An non manet adhuc tanti exitii de-
„monſtratio? Urbs tota plena eſt tanti naufragii re-
„liquiis, & quocunque etiam procul abieris, quaſi
„navi magna demerſa, alius tabulam, alius remum,
„alius velum, alius ſarcinarum partem penes ſe
„ſervat, & circumfert." Sic in eo, qui nuper
„accidit, motu * hic quidem domum, ille vero
„agros, alius mancipia, alius argentum, alius au-
„rum partiti latum exhibuere calamitatis ſpectacu-
„lum, effeceruntque, ut tanti motus ubique mo-
„numenta diſpergerentur. Et alius quidem in-
„ſomnes tranſigens noctes, cum tot peccata ex
„tali habendi cupiditate accumulaſſet, domo &
„urbe relicta, fugitivus extra fines ſe contulit, re-
„bus ad victum neceſſariis privatus, quotidie ſe in
„extremo periculo videns, gladios, carnifices, &
„barathra imaginans, mille mortibus graviorem vi-
„tam ducit: alii vero ejus bonis, & poſſeſſioni-
„bus fruuntur, & qui pridem illi adulabantur,
„nunc ipſi inſidias ſtruunt. An hæc non ſatis fu-
„erint vel ad eum, qui omni ſenſu careat, ad ſa-
„nam mentem reducendum? Verum poſt tantam
„tempeſtatem, poſt tantam everſionem, poſt tan-
„tam, & talem mutationem, quæ non ante totos
„triginta dies invecta eſt, tanta rurſus inſania cor-
„repti eſtis: & quam veniam, & quam excuſatio-
„nem habueritis? Neque tantum inſanitis, ſed ne
„huc quidem acceditis, ut hæc ediſcatis. Nam ab-
„ſentes perinde, atque præſentes alloquor, multo

 „aggra-

* Montfauconus, deceptus voce *σεισμὸς*, quæ & *terræ motum* frequenter ſignificat, & pro motu, tremore, concuſſione ſimpliciter accipitur, Chryſoſtomi mentem minime expreſſit. Itaque et hunc, & alium, qui inde conſecutus eſt, errorem, ex Stiltingo correximus.

„aggravatus mœrore, quod nec futurorum metu, „nec præſentium experimento meliores evadant: „ſed rapientes, avaritiæ ſtudentes, quaſi vermes „in fimo, in ſollicitudinum hujusmodi congerie in-„tercepti, & inſoſſi, ne ſemel quidem in hebdo-„mada huc convenire curant, ut vel hoc diſcant, „quo nempe in ſtatu jaceant.„

Eandem fere rationem S. Doctor tenuit *homilia* illa, *cum Saturninus, & Aurelianus in exilium miſſi eſſent: homilia in terræ motu*, atque in omnibus fere *homiliis*, quas de ſtatuis *ad populum Antiochenum* dixit. Imo non dubitem dicere, hac maxime de cauſa minus acceptum nonnullis Chryſoſtomum eſſe, quod propter imperitiam adjuncta non norunt, in quibus ad populum ſeu in patria, ſeu in regia urbe verba ille faciebat.

Sed & *ſuis caſibus* præclare uſus eſt *homilia, cum de expulſione ipſius ageretur*, atque aliis *poſt reditum* prioris exilii &c.

Item *conditione, & ſtatu religionis* ex tot ſectis, & ſchismatis in ipſa urbe *homil.* 11. *in ad Epheſios*. Qui ſane locus omni laude, & expectatione ſuperior eſt.

Amore, & favore ſuorum cum alibi ſæpiſſime, tum *homilia* 44. *in Acta*.

Plauſu & Laudibus frequenter. Locos aliquos alibi Libro primo dedimus.

Lacrimis & motu ſuorum cum *homil.* laudata *in Eutropium*, tum *homil.* 4. *in* 1. *ad Theſſalonic. homil.* 3. *de Nuptiis*, quæ alias dicitur: *Laus Maximi, & quales ducendæ ſint uxores. Tom.* 3. Montfauconi (*alias* 6.) ubi faciem ſibi cædentes vidit, & ne oculos quidem attollere audentes. Et *eodem Tom. homil. Non eſſe deſperandum.* Denique *Tom.* 6. *Homil. nova* contra *Circenſes & theatra.* Et magis *homil.* 5. *nova, de ſtudio præſentium* &c.

Rauce-

Raucedine vocis inter dicendum exorta *Oratione* 6. (*alias* 3.) *adverſus Judæos.*

Rurſus, *cum tenebris ingruentibus ignes in templum inferrentur, & auditores ab ipſo ad lucernas oculos convertiſſent*, Vir ſanctus vix bene viſa ea re, continuo in ignaviam eorum invehi cœpit, multaque haud ſecus, ac ſi rem præmeditatus eſſet, ex tempore eleganter profudit.

Hæc ex Chryſoſtomo. Quibus addi ea merentur, quæ alii Patres ſæpiſſime *ex calamitatibus ætatis ſuæ* arrepta occaſione in rem ſuam vertunt *. Uti Cyprianus *de Lapſis, de Mortalitate*, & *ad Demetrianum*: Hieronymus *epiſtola* poſteriore *ad Heliodorum, ad Gaudentium* & pluribus aliis: Leo in ſermonibus aliquot: Gregorius *homil.* 18. *in Ezechielem*, & *homil.* 1. *in Evangelia.* Hoc enim argumentum in rem præſentem & præparare facillime animos ſolet, & fortiſſime commovere.

S. Ambrosius *Libro de Nabuth c.* 5. narrans miſerabile ſpectaculum Patris liberos ſub haſta vendentis, ut fœneratori ſatisfaceret, cum auditores ubertim flere vidiſſet, repente exclamat: „Hæc „pauper te præſente deplorat, & tibi avaritia au„rem obſtruxit, nec mens tua facti miſerabilis hor„rore mollitur. Totus populus ingemiſcit: & „ſolus dives non flecteris! &c.„

S. Augustinus *Expoſitione in pſalmum* 147. *ante medium* cum recitaſſet verba: *Qui poſuit fines tuos pacem*, & auditores anteoccupata Epiſcopi explicatione neſcio quod gaudium, atque aviditatem clamando præferrent, ita excepit.

* Recte Auguſtinus *Libr. III. contra Epiſtol. Parmenian. c.* 2. *Tunc enim, ait, aures humiles præbet emendanti ſermoni calamitas auditorum, faciliusque in gemitus confitendi, quam in murmura reſiſtendi afflicta corda compellit &c.*

„Quomodo exultatis omnes? hanc (*pacem*) „amate fratres mei. Multum delectamur, quando clamat de cordibus veſtris pacis dilectio. Quomodo nos delectavit! Nihil dixeram, nihil expoſueram: verſum pronuntiavi, & exclamaſtis. „Quid de vobis clamavit? Dilectio pacis. Quid „oſtendi oculis veſtris? Unde clamatis, ſi non „amatis? Unde amatis, ſi non videtis? Inviſibilis eſt pax. Quis eſt oculus, quo viſa eſt, ut „amaretur? Neque enim acclamaretur, niſi amaretur. Hæc ſunt ſpectacula, quæ exhibet Deus „rerum inviſibilium. Quanta pulcritudine intellectus pacis corda veſtra percuſſit! Quid jam ego „loquar de pace, aut de laude pacis? Prævenit „omnia verba mea veſter affectus. Non impleo, „non poſſum, infirmus ſum. Differamus omnes „laudes pacis ad illam patriam pacis. Ibi eam „plenius laudabimus, ubi eam plenius habebimus. „Inchoatam in nobis ſi ſic amamus, perfectam „quomodo laudabimus? Ecce hoc dico, o filii dilecti, o filii regni, o cives Hieruſalem; quoniam „in Hieruſalem viſio pacis eſt, & omnes, qui habent, & amant pacem, benedicuntur in ea, & „ipſi intrant, cum clauduntur portæ, & firmantur vectes. Hanc quam nominatam ſic amatis, „& diligitis, ipſam ſectamini, ipſam deſiderate, „ipſam in domo, ipſam in negotio, ipſam in uxoribus, ipſam in filiis, ipſam in ſervis, ipſam in „amicis, ipſam in inimicis diligite.„

Idem pulcrius *Serm. de diſciplina chriſtiana cap.* 11. & 12. * cum mortem nominans tumultum, & trepidationem in auditorio ortam advertiſſet, hunc in modum ſermonem proſecutus eſt.

„Quomodo ſtimulat, quomodo metus iſte interpellat? quomodo nomen ipſum a me commemora-

* *Tom. 9. nunc autem 6.*

„moratum omnium corda percuſſit? quomodo ti-„morem veſtrum teſte gemitu declaraſtis? Audivi, „audivi, gemuiſtis. Mortem timetis. Si time-„tis, quare non cavetis? Mortem timetis. Quid „timetis? Ventura eſt. Timeam, an non time-„am, venire habet: ſero, an cito ventura eſt. Si „timeas, non efficies, ut non ſit, quod times. „Illud potius time, quod ſi nolis, non erit. Quid? „Peccare. Peccare time; quia ſi amaveris peccata, „in aliam mortem irrues, quo poſſes non venire, „ſi non amares peccata &c. Mori male times, & „male vivere non times? Corrige male vivere, ti-„me male mori. Sed noli timere. Non poteſt „male mori, qui bene vixerit. Prorſus confir-„mo, audeo dicere: *credidi, propter quod locutus „ſum:* non poteſt male mori, qui bene vixerit.„

Notitia mundi

Id eſt ſcientia, & cognitio rerum, morum, & dictaminum ſæculi ſui. Oratores profani non ſolum intime noverant leges, & conſuetudines civitatum, ſed homines ipſos, eorum vitam, & genium plene perſpecta habebant. Cicero illa non tam deſcribere, quam pingere videtur, atque hac in parte Demoſthenem plurimum antecellit. Ergo noſtri quoque hanc ſibi ſcientiam præ aliis comparabant, etſi a mundo maxime alieni, & penitus remoti ætatem tranſigerent. Et erat hæc cognitio velut campus ampliſſimus, ac fœcundiſſimus, qui ad doctrinam moralem inexhauſtam debebat materiem ſubminiſtrare. Et recte Gisbertus *cap.* 8. ait: „Veniam do concionatori, ſi ex de-„fectu uſus, atque commercii mundum non no-„vit; id enim dignitatem ejus parum deceret. „Sed illud nunquam indulſerim, ſi non ſtudio at-„que indagine noſſe illum didiciſſet. Qui offi-„cium dicendi ſuſcipere vult, animadverſionibus

„praxin illam ſupplere debet. Cum mundi ho-
„minibus loquendum eſt tibi, & neſcis, quid
„mundus ſit: nunquid ingens periculum incurris?
"Forte enim id dices, quod tacere, aut tacebis,
„quod dicere deberes, certe ſecus dices, quam
„oportet. Neque ſufficit homini, qui publice di-
„cturus eſt, ſcire, quomodo vivere homines mun-
„dani ſoleant, opus eſt etiam ſcire, quomodo ſo-
„leant loqui. Ex quo ſequitur, ut æqualis apud
„te eſſe debeat et vitæ, & linguæ mundanæ cogni-
„tio. Et quod poſterius iſtud attinet, puto *ſigni-
„ficationum*, quæ mundus verbis ſuis tribuit, ac-
„curatam haberi ſcientiam oportere. Hæc ſcien-
„tia linguæ nunquam magis neceſſaria oratoribus
„fuit, atque hoc ſæculo noſtro. Corruptio,
„atque libertas genus delectationis quoddam in
„eo quærit, uti vocibus maxime innocuis peſſi-
„mas notiones ſubjiciat. Quod ſi ergo quis ſim-
„pliciter & candide proloquatur, & morem anti-
„quum teneat: verum ſermoni ſuo unicam ejus-
„modi venenatarum vocum inſerat, quid inde con-
„ſequitur? Uni riſum excutiet, alteri ruborem,
„atque ita totius ſermonis fructum peſſumdabit.
„Quod ſi velis proſpere fungi officio, nihil parvi
„ducere debes. Res nihili corrumpere totum
„poteſt. Et quid? excuſandus forte concionator
„eſſet, ſi cor humanum non noſſet? Unde ergo
„nihilominus, quod tam pauci concionatores il-
„lud norint? Nullo alio ad id, præterquam ſe
„ipſis, & propria animadverſione opus habent.
„Quare non ſubtilius in illud inquirunt? Corda
„humana perquam ſimilia ſibi ſunt. Qui ſuum cor
„bene norit, nec aliorum corda ignorat. Verum
„labore ſtat id ſtudii, & malumus extra nos eva-
„gari, ab uno libro ad alium tranſcurrere, ma-
„jores tomos evolvere, flores inde excerpere, at-
„que ex iis, quæ alii dixerunt, & ſenſerunt, cu-
„mulum

„mulum quemdam confuſum congerere, quam cu„rare, quid cogitemus ipſi, & quid cor noſtrum „dicat. Iſtuc neſcitur, neque etiam multum da„tur operæ, ut ſciatur. Etſi autem ſtudium, „quod noſcendo cordi impendendum eſt, difficile „ſtudium ſit; ad omnes enim ejus commotiones „attendere, omnes earum cauſas detegere, omnes „internos receſſus, ac ſinus illius evolvere eſt pro„fecto ſatis laborioſum; neceſſarium tamen: & vel „conciones omittere debes, aut animum inducere, „ut cor humanum noſſe diſcas.„

Porro hanc humani cordis cognitionem Patres magnam partem ex Scripturis hauſerunt. Ex Scripturis inquam, quæ illius omnia declarant mirifice, & tantum non ob oculos ſtatuunt. Quæ ipſa eſt ratio, cur Idem eodem loco pro ſcientia illa acquirenda quam maxime hortetur, uti divinas literas diligentia, & conſtantia ſumma evolvamus. „Iuvari, inquit, hic labor poteſt aſſidua „Scripturarum lectione. Has qui attentius lege„rit, in ſacris iis codicibus omnes motus, quos „in corde ſuo ſentit, veluti depictos reperiet. „Ille enim, qui cor finxit, & corda ſcrutatur, „operam dedit, uti propria manu ſic illud expri„meret, uti reapſe eſt. Itaque optimum, atque „certiſſimum medium cito ad perfectam cordis no„titiam perveniendi iſtuc eſt, ut ſacer, quem dixi, „liber indefeſſa diligentia volvatur: atque illud, „quod quiſque apud ſe inter legendum perſenti„ſcit, ſolicite expendatur. Quod ſi ſemel per„ventum ſit ad eam notitiam, quæ non opes do„ctrinæ moralis in Scripturis invenientur, quibus „dein ſermones noſtri omnes repleri poſſint!„

Porro hac morum, mundique ſcientia præ ceteris Tertullianus; Cyprianus, Chysostomus, Hieronymus, Isidorus Pelusiota, Salvianus, atque Bernardus excelluerunt. Mores

hæreticorum, Tertullianus, Athanasius, Nazianzenus, Basilius, atque Hieronymus ad vivum exprimunt. Hieronymus præterea nobilium fœminarum, Clericorum, Virginum, Monachorumque indolem, & vivendi agendique rationem adjecit. Bernardus Eccleſiaſticos quoscunque intus, & in cute novit. Chrysostomus plebis ſcita perfecte, & ex toto callebat; quare ubique adagia de trivio aſſumit, & confutat. Vitia urbibus quibusdam & nationibus propria Salvianus ventilat. Cordis humani latebras penitius excuſſeruntNazianzenus,Augustinus,Cassianus, Gregorius Magnus, Bernardus. Si ergo Scripturæ lectioni Patres jungantur, nihil deeſt ad mundum, moresque, & inſtituta ejus penitus pernoſcenda. Mundus enim, qui tum apud ipſos erat, hodieque apud nos invenitur. Semper ille manet, & etſi quædam ejus varientur ſingulis ætatibus, non extirpantur tamen, ac potius ab una in aliam provinciam migrant, quam orbe excedant. Quid quod generali ea notitia minime contenti ſunt Patres, verum peculiarem quoque ſingulorum requirunt? uti videlicet Medicis non eſt ſatis graſſantes paſſim morbos noſſe, niſi & cujusque habitudinem, & ſymptomata ſingulatim introſpexerint. Quam in rem præclare Nazianzenus *oratione* 1. & Gregorius Magnus 3. *parte Paſtoralis* diverſitatem ingeniorum detegunt, & quomodo cum quolibet genere, ac concione hominum etiam publice, & de ſuperiore loco agendum ſit, minutatim oſtendunt. Itaque iſti præ ceteris adeundi, atque expendendi ſunt concionatoribus. Verum ut ad exempla aliquando veniatur,

Epiſtola tota divi Cypriani, quæ nunc *prima*, alias ſecunda ponitur, & *ad Donatum* perſcripta eſt, abſolutiſſimum ſpecimen præbet, quam

ille

ille plene atque perfecte curiam, forum, theatra, & cujusvis generis homines ætate ſua cognoverit. Atque ex iſta epiſtola, ſane elegantiſſima, plura jam variis locis huc tranſcripſimus.

Chrysostomus quoque admirandos in eam rem locos miniſtrat in Libellis duobus *ad viduam juniorem:* in Libris *de Sacerdotio:* in Libro *de Virginitate:* in libris *contra vituperatores vitæ monaſticæ:* in ſermonibus *de ſubintroductis*, ac paſſim alibi.

Virgines quasdam Deo devotas ſic depingit Hieronymus poſt initium *Epiſtolæ* 22. *ad Euſtochium.*

„Piget dicere, quot quotidie Virgines ruant, „quantas de ſuo gremio mater perdat Eccleſia, ſu„per quæ ſydera inimicus ſuperbus ponat thronum „ſuum, quot petras excavet, & habitet coluber „in foraminibus earum. Videas pleraſque vi„duas, antequam nuptas, infelicem conſcientiam „mentita tantum veſte protegere; quas niſi tumor „uteri, & infantum prodiderit vagitus, ſanctas, & „caſtas ſe eſſe gloriantur, & erecta cervice, & lu„dentibus pedibus incedunt. Aliæ vero ſterilita„tem præbibunt, & necdum ſati hominis homi„cidium faciunt. Nonnullæ cum ſe ſenſerint con„cepiſſe de ſcelere, abortii venena meditantur, & „frequenter etiam ipſæ commortuæ, trium crimi„num reæ, ad inferos perducuntur, homicidæ „ſui, Chriſti adulteræ, necdum nati filii parrici„dæ. Iſtæ ſunt, quæ ſolent dicere: omnia munda „mundis: ſufficit mihi conſcientia mea: cor mun„dum deſiderat Deus: Cur me abſtineam a cibis, „quos creavit Deus ad utendum? Et ſi quando „feſtive, & lepide volunt vivere, ubi ſe mero in„gurgitaverint, ebrietati ſacrilegium copulantes, „ajunt: abſit, ut ego me a Chriſti ſanguine abſti„neam. Et quam viderint pallentem, atque tri„ſtem, miſeram, & Manichæam vocant. Et conſequen-

„ſequenter; tali enim propoſito jejunium hæreſis „eſt. Hæ ſunt, quæ per publicum notabiliter „incedunt, & furtivis oculorum nutibus adole„ſcentium greges poſt ſe trahunt, quæ ſemper au„diunt per Prophetam: *Facies meretricis facta eſt „tibi, impudorata es tu.* Purpura tantum in ve„ſte tenuis, & laxius, ut crines decidant, liga„tum caput, ſoccus vilior, & per humeros hiacyn„thina læna mavorte volitans, ſuccinctæ manicæ „brachiis adhærentes, & ſolutis genubus fractus „inceſſus: hæc eſt apud illas tota virginitas. Ha„beant iſtæ laudatores ſuos, ut ſub virginali no„mine lucroſius pereant. Libenter talibus non „placemus. Pudet dicere, pro nefas! triſte, ſed „verum eſt. Unde in Eccleſias Agapetarum pe„ſtis introiit? Unde ſine nuptiis aliud nomen uxo„rum! imo unde novum concubinarum genus? „Plus inferam: unde meretrices univiræ? Eadem „domo, uno cubiculo, ſæpe uno tenentur & le„ctulo: & ſuſpicioſos nos vocant, ſi aliquid ex„timemus. Frater ſororem Virginem deſerit, cœ„libem ſpernit virgo germanum, fratrem quærit „extraneum, & cum in eodem propoſito eſſe ſe „ſimulent, quærunt alienorum ſpirituale ſolatium, „ut domi habeant carnale commercium.„

Et *epiſtola* 47. *nunc* 117. *de vitando ſuſpecto contubernio* loquens de puella, quæ ſuburbana, villasque amœniores cum affinibus, atque aliis ſola circumiret, ita habet:

„Sin autem ſola ieris, quod & magis exiſti„mo, utique inter ſervos adoleſcentes, inter mari„tatas fœminas, atque nupturas, inter laſcivas pu„ellas, & comatos, linteatosque juvenes furvarum „veſtium puella gradieris. Dabit tibi barbatulus „quilibet manum, ſuſtentabit laſſam, & preſſis di„gitis aut tentabitur, aut tentabit. Erit tibi in„ter viros, matronasque convivium; ſpectabis ali„ena

„ena oſcula, prægustatos cibos, & non absque „ſcandalo tuo in aliis ſericas veſtes, auratasque miraberis. In ipſo quoque convivio, ut veſcaris carnibus, quaſi invita cogeris: ut vinum bibas, Dei „laudabitur creatura: ut laves balneis, ſordibus „detrahetur: & omnes te, cum aliquid eorum, „quæ ſuadent, retrectans feceris, puram, ſimplicem, dominam, & vere ingenuam, conclamabunt. Perſonabit interim aliquis cantor ad „menſam, & inter pſalmos dulci modulamine currentes, quoniam alienas non audebit uxores, te, „quæ cuſtodem non habes, ſæpius reſpectabit, „loquetur nutibus, & quidquid metuit dicere, ſignificabit affectibus. Inter has tantas illecebras „voluptatum etiam ferreas mentes libido domat, „quæ majorem in virginibus patitur famem, dum „dulcius putat omne, quod neſcit &c. Quid tu „facies puella ſani corporis, delicata, pinguis, „rubens, æſtuans inter carnes, inter vina, & balneas, juxta maritos, juxta adoleſcentulos? quæ „etſi rogata non feceris, tamen formæ putes teſtimonium, ſi rogeris?„

Et mox de veſtitu ejusmodi Viraginis.

„Veſtis ipſa vilis, & pulla animi tacentis judicium eſt, ſi rugam non habeat, ſi per terram, „ut altior videaris, non trahatur, ſi de induſtria „diſſuta ſit tunica, ut aliquid intus appareat, operiatque, quod fœdum eſt, & aperiat, quod formoſum. Caliga quoque ambulantis nigella, ac „nitens ſtridore ad ſe juvenes vocat. Papillæ faſciolis comprimuntur, & criſpanti cingulo anguſtius pectus arctatur. Capilli vel in frontem, „vel in aures defluunt, palliolum interdum cadit, „ut candidos nudet humeros, & quaſi videri noluerit, celat feſtina, quod volens detexerat. Et „quando in publico quaſi per verecundiam operit „faciem,

„faciem, lupanarium arte id ſolum oſtendit, quod „oſtenſum magis placere poteſt.„

Et *Epiſtola* 10. *nunc* 54. *ad Furiam.* quam præmunire cupit adverſus ſermones in ædibus Nobilium ſeri ſolitos.

„Cave nutrices, & gerulas, & iſtiusmodi „venenata animalia, quæ de corio tuo ſaturari „ventrem ſuum cupiunt. Non ſuadent, quod ti-„bi, ſed quod ſibi profit: & ſæpe illud obganni-„unt: ſolane perpetua mœrens carpere juventa? „nec dulces natos, Veneris nec proemia noris? „Ubi pudicitiæ ſanctitas, ibi frugalitas eſt: ubi „frugalitas, ibi damna ſervulorum. Quidquid non „tulerint, ſibi ablatum putant: nec conſiderant de „quanto, ſed quantum accipiant. Ubicunque vi-„derint chriſtianum, ſtatim illud de trivio ὁ γραικὸς „ἐπιθέτης, vocant impoſtorem, detrahunt. Hi „rumores turpiſſimos ſerunt, & quod ab ipſis egreſ-„ſum eſt, id ab aliis audiſſe ſe ſimulant, iidem „auctores, & exaggeratores. Exit fama de men-„dacio, quæ cum ad matronas pervenerit, & ea-„rum linguis fuerit ventilata, provincias penetrat. „Videas plerasque rabido ore ſævire, & tincta fa-„cie, viperinis orbibus, dentibus pumicatis car-„pere chriſtianos. Hic aliqua, cui circa hume-„ros hiacynthina læna eſt, rancidulum quiddam „balba de nare locuta, perſtrepit, ac tenero ſup-„plantat verba palato: omnis conſonat chorus, & „latrant univerſa ſubſellia. Junguntur noſtri or-„dinis, qui & roduntur, & rodunt, adverſus nos „loquaces, pro ſe muti; quaſi & ipſi aliud ſint, „quam monachi, & non, quidquid in monachos „dicitur, redundet in clericos, qui patres ſunt mo-„nachorum. Detrimentum pecoris paſtoris igno-„minia eſt: ſicut e regione illius monachi vita lau-„danda eſt, qui venerationi habet ſacerdotes Chri-„ſti, & non detrahit gradui, per quem factus eſt „chri-

„chriſtianus. Hæc locutus ſum in Chriſto filia,
„non dubitans de propoſito tuo: nunquam enim
„exhortatorias literas poſtulares, ſi ambigeres de
„bono monogamiæ, ſed ut nequitiam ſervulorum,
„qui te venalem portant, .. intelligeres. „

Laudata *Epiſtola* 22. *ad Euſtochium poſt medium* ita in hypocritas, & vanitati deditos Eccleſiaſticos invehitur:

„Sed ne tantum videar diſputare de fœminis,
„viros quoque fuge, quos videris catenatos, qui-
„bus fœminei contra Apoſtolum crines, hircorum
„barba, nigrum pallium, & nudi in patientia fri-
„goris pedes. Hæc omnia argumenta ſunt dia-
„boli. Talem olim Antymum, talem nuper So-
„phronium Roma congemuit, qui poſtquam no-
„bilium introierunt domos, & deceperunt muli-
„erculas oneratas peccatis, ſemper diſcentes, &
„nunquam ad ſcientiam veritatis pervenientes, tri-
„ſtitiam ſimulant, & quaſi longa jejunia furtivis
„noctium cibis protrahunt. Pudet dicere reliqua,
„ne videar potius invehi, quam monere. Sunt
„alii, (de mei ordinis hominibus loquor) qui ideo
„Presbyterium, & Diaconatum ambiunt, ut muli-
„eres licentius videant. Omnis his cura de veſti-
„bus, ſi bene oleant, ſi pes, laxa pelle, non fol-
„leat. Crines calamiſtri veſtigio rotantur, digiti
„de annulis radiant, & ne plantas humidior via
„ſpargat, vix imprimunt ſumma veſtigia. Tales
„cum videris, ſponſos magis exiſtimato, quam
„clericos. Quidam in hoc omne ſtudium, vi-
„tamque poſuerunt, ut matronarum nomina, do-
„mos, moreſque cognoſcant: ex quibus unum,
„qui hujus artis eſt princeps, breviter, ſtrictimque
„deſcribam, quo facilius, magiſtro cognito, di-
„ſcipulos recognoſcas. Cum ſole feſtinus exur-
„git, ſalutandi ei ordo diſponitur: viarum com-
„pendia requiruntur, & pene uſque ad cubicula
„dor-

„dormientium ſenex importunus ingreditur. Si „pulvillum viderit, ſi mantile elegans, ſi aliquid „domeſticæ ſupellectilis; laudat, miratur, attre„ctat, & ſe his indigere conquerens, non tam „impetrat, quam extorquet; quia ſingulæ metu„unt veredarium urbis offendere. Huic inimica „caſtitas, inimica jejunia: prandium nidoribus „probat, & altili γέρων ὁ πέπων, vulgo pipizo no„minatur, Os barbarum, & procax, & in con„vitia ſemper armatum. Quocunque te verteris, „primus in facie eſt. Quidquid novum inſonue„rit, aut auctor, aut exaggerator eſt famæ. Equi „per horarum momenta mutantur, tam nitidi, „tamque feroces, ut Thracii Regis illum putes „eſſe germanum. Variis callidus hoſtis pugnat „inſidiis. Sapientior erat coluber omnibus beſtiis, „quas creaverat Dominus ſuper terram. Unde „& Apoſtolus, non, inquit, ignoramus ejus aſtu„tias.„

Taceo alia his ſimilia ex eodem Hieronymo, quem ipſe adeo Bourdalueus mundi ſcientiſſimus ob eam rem celebravit *.

Ex reliquis nihil addo, quod præter opinionem longius jam procurrimus. Et ſatis erit quædam ad cognitionem cordis pertinentia adhuc indicaſſe.

Exempla in hoc genere præclara dant Nazianzenus *de vita ſua*, & ceteris ipſummet ſpectantibus carminibus. Augustinus in *Confeſſionibus*, Cassianus in *Collationibus*, & de *Inſtitutis*, Bernardus *de gradibus Humilitatis*, & aſceticis pleriſque.

Popularitas, ſeu ratio verba & ſententias ad populi genium, & morem accommodandi.

Inter

* *Concione prima 2. partis Quadrageſimal.*

Inter prudentiæ oratoriæ præcipua officia eſt, uti orator ſacer, quantum licet, multitudinis ſenſui, atque auribus tribuat. Dicendi enim omnis ratio in medio poſita, communi quodam in uſu, atque in hominum more, & ſermone verſatur; ut in ceteris artibus id maxime excellat, quod longiſſime ſit ab imperitorumi intelligentia, ſenſuque diſtinctum: in dicendo autem vitium vel maximum ſit a vulgari genere orationis, atque a conſuetudine communis ſenſus abhorrere. Quod ſi ita oratores profani * ſtatuunt: quanto magis id Patribus curæ debuit eſſe? Et fuit certe, ſi quid aliud, ac quam maxime fuit, etiam illis, qui doctrinæ, alias, & elegantiæ ſtuduerunt. Nam verba ſeligunt maxime probabilia, quæ animi ſenſus optime promerent, atque in animis populi omnium certiſſime efficerent, quod dicendo propoſitum ſibi habuerunt. Eſt itaque dos ſummorum Patrum, maxime ſuſpicienda, quod popularem illam rationem tenuerint, nec ſolum admirationi fuerint auditoribus, verum etiam ita intellecti ſint, ut ab iis tanquam incorruptis eloquentiæ judicibus oratores haberentur. Quod autem multitudini apud eos placuit, & doctis placere hodieque debet, non contra. Et recte a Cassiodoro ** dictum: *Interdum genus peritiæ eſſe, vitare, quod doctis placet.* Quod ſcilicet uti cauſæ conducibilius, ſic & præceptionibus ipſius artis conformius habetur, ſi uſum quis ante, quam artem ipſam reſpexerit. Ut autem melius intelligas, in quo ſit hæc Patrum popularitas, lege Gisbertum toto *cap.* 12. & 13. item Muratorium *Libr. de dignitate Eloquentiæ popularis*

* Cicero *Libr.* 1. *de Oratore.* Quintilianus *Libr.* 3. *c.* 8. & iterum *Libr.* 8. in *Proœmio*, & *c.* 2.

** In *Præfatione Variarum.*

laris. Hi enim duo tam breviter, & ſolide rem eam pertractarunt, ut occupata ab iis omnia videam, quæ adjicere forſitan ex meo voluiſſem. Unam rationem omittere haudquaquam poſſum, ab ipſis Patribus ſæpe datam, quare adeo populares eſſent. Sic *creditus* Hieronymus *Epiſt. ad Virginem Deo dicatam: Omnibus*, inquit, *in commune neceſſaria communi debent ſermone demonſtrari.* Eadem fere verba habet Sulpitius Severus *epiſt.* 2. *ex recens inventis ad Claudiam Sororem.* Plenius Chrysologus *Serm.* 48. *Populis populariter eſt loquendum, communio compellanda eſt ſermone communi, omnibus neceſſaria dicenda ſunt more omnium.* Additque rationem ſupra a nobis datam; quod hæc naturalis lingua non ſolum cara ſimplicibus, verum doctis quoque ipſis dulcis eſſet. Quod ſi jam quæritur, qui maxime populares habeantur de Patribus, ita reſpondeo. Primus omnium, cujus homilias legimus, Origenes fuit. Hic quam popularis, quam facilis eſt! Erasmus in *Eccleſiaſte* ſcripta hujus Doctoris pleraque ea de cauſa celebrat, addens, ſtudioſe orationes ſuas, *homilias*, id eſt colloquia, appellaſſe. Idipſum de Chrysostomo quoque teſtatur, cujus fere omnia ad imperitæ multitudinis aures, animoſque accommodata forent. Quod teſtimonium quanti ſit faciendum ille intelligit, qui cogitat, quo alias loco elegantia omnis apud Erasmum fuerit, quantamque ipſorum Patrum notitiam perpetua lectione ſibi ille compararit.

Sed & apud alios quilibet non obeſæ naris advertet, quantum populo ſolerent dare. Ubique enim incidit in percunctationes, parœmias, dialogiſmos, & maxime ſimilia, ex uſu quotidiano petita. Augustinum vero & Chrysostomum videt cum populo velut ſermonicari, mox ex nutibus colligere, num rite intellexerit, & quam

alte

alte animo mandarit, quæ dicta eſſent. Quo factum, ut ſic dicentibus avide ſemper auſcultaret, nec minus libenter morem gereret.

Et iſte quidem cum ſpeciem, & ſimulacrum quoddam cœleſtium gaudiorum rudibus ingeniis imprimere vellet, quam præclare omnia ad populi modum ſenſumque accommodat *homil. 6. in ad Hebræos.*

„Omnia ibi ſunt pax, gaudium, lætitia, voluptas, bonitas, manſuetudo, æquitas, charitas. „Non eſt illic æmulatio, & invidia, non morbus, non hæc mors corporis, non illa mors animæ, non ſunt tenebræ, neque nox. Omnia ſunt „dies, omnia lux, omnia quies. Non eſt illic „defatigatio, non ſatietas. Semper erimus in perpetuo bonorum deſiderio. Vultisne dem etiam „aliquam imaginem ejus, qui illic eſt ſtatus? Fieri „non poteſt; verumtamen, quoad ejus fieri poterit, imaginem vobis aliquam tentabo oſtendere. „Suſpiciamus cœlum, quando nulla nube interturbante ſuam oſtendit coronam. Deinde cum „longo tempore immorati fuerimus in pulcritudine „ejus aſpectus, conſideremus, quod ſolum quoque habebimus, non quale ſolemus, ſed quod „eſt tanto pulcrius, quanto tectis luteis eſt aurum „pulcrius, & poſt illud tectum rurſus ſuperius. „Deinde Angelos, Archangelos, infinitos populos incorporearum Poteſtatum, ipſam Dei regiam, thronum paternum. Sed non poteſt, ut dixi, oratio univerſum repræſentare, & explicare. „Opus eſt experientia, & cognitione, quæ eſt per „experientiam. Quomodo dic mihi exiſtimatis „Adamum fuiſſe in paradiſo? Tanto melior, quam „illa eſt hæc vitæ degendæ ratio, quanto cœlum „eſt terra melius. Ceterum aliam quoque inquiramus imaginem. Si contingeret eum, qui nunc „obtinet imperium, totius orbis terræ tenere do-

„minatum, deinde nec bellis vexari, nec ſolicitu-„dinibus, ſed ſolum honorari, & degere in deli-„ciis, & multos quidem habere ſatellites, aurum „autem undique ad eum affluere, & eſſe ſuſpici-„endum, qualem ejus animum futurum eſſe puta-„tis, ſi ubique terrarum videret bella ceſſaſſe? Tale „quidem tunc erit. Imo vero necdum illam aſſe-„cuti ſumus imaginem. Quamobrem oportet ad-„huc aliam inquirere. Itaque cogita mihi infan-„tem Imperatoris: quamdiu quidem fuerit in ute-„ro, nihil ſentit; ſin autem contigerit, illum re-„pente egreſſum, aſcendere thronum imperatorium, „& non paulatim, ſed ſimul, & repente omnia „accipere: ſic erit hic & ille ſtatus: aut ſi quis, „qui fuerit in vinculis, mala paſſus innumerabilia, „repente ad ſedem raptus eſſet regiam. Sed ne-„que ſic imaginem ſum exacte aſſecutus. Nam „hic quidem bonorum, quæ fuerit adeptus, etiamſi „ipſum dixeris regnum, primo die, & ſecundo, „& tertio vigens habet deſiderium: procedente au-„tem tempore manet quidem in voluptate, ſed „non tanta, deſinit vero ſemper ob conſuetudi-„nem, qualiſcunque ſit. Illic autem non ſolum „non minuitur, ſed etiam creſcit. Cogita enim, „quantum ſit, animam, cum illuc abierit, non „amplius expectare finem illorum bonorum, nec „mutationem, ſed incrementum, & vitam, quæ „non habet finem, ab omni quidem periculo, & „ab omni animi ægritudine, & ſolicitudine libe-„ram, plenam animi gaudio, & bonis innumeris. „Si enim in campum exeuntes, ubi videmus mi-„litum tabernacula tapetibus confixa, & lanceas, „& galeas, & clypeorum umbones reſplendentes, „ſtupentes, & ſuſpenſos nos tenet admiratio: ſi „autem contigerit videre Regem in medio curren-„tem, aut etiam cum armis aureis equum agentem, „nihil nobis deeſſe exiſtimamus: quid putas, „quan-

„quando viderimus æterna Sanctorum tabernacula „fixa in cœlis: *Suſcipient* enim, inquit, *vos in* „*æterna tabernacula:* quando videris unumquem„que reſplendentem plus quam radii ſolis, non ex „ære, & ferro, ſed ex illa gloria, cujus fulgo„res non poteſt videre humanus oculus? Et hæc „quidem in hominibus Quid vero dixeris multa „Angelorum millia, Archangelorum, Cherubim, „Seraphim, Thronorum, Dominationum, Princi„patuum, Poteſtatum, quorum pulcritudo omnem „ſuperat intelligentiam? Sed enim quousque non „deſiſtam ea perſequi, quæ non poſſunt compre„hendi? Neque enim oculus vidit, neque auris „audivit, neque in cor hominis aſcenderunt, quæ „Deus præparavit iis, qui ipſum diligunt. Ni„hil eſt ergo miſerabilius iis, qui non aſſequuntur, „neque beatius iis, qui aſſequuntur. Simus ergo „nos ex beatis.„

Idem *homilia in S. M. Julianum*, cum ſciret poſtridie Antiochenos ingenti numero *Daphnen*, locum ſuburbanum, concurſuros, ubi comeſſationes, & tripudia inſtitui ſolebant, ut quamplurimos ab ea re averteret, primum ipſos, qui ituri erant, pluribus alloquitur: dein ad ceteros, a quibus id minime timebat, ita inſtituit dicere:

„Libet autem & ad eos, qui adſunt, nec illuc „abierunt, verba facere, atque his ſalutem illo„rum commendare. Siquidem medicus ad ægro„tum ingreſſus, parum cum jacente colloquitur, „quæ vero pertinent ad medicamenta, & alimenta, „reliquamque curationem, vocatis ejus propinquis, „omnia illis injungit. Cur id tandem? quia ni„mirum æger quidem non protinus admonitionem „admittit: ſanus autem magna cum diligentia iis, „quæ dicuntur, attendit, idcirco & cum iſtis vo„bis etiam colloqui ſtatui. Præoccupemus craſti„no die portas, obſideamus vias, viri viros, fœ-

„minæ fœminas de jumentis detrahamus, reducamus huc, neque erubeſcamus. Ubi ſalus eſt fratris, pudor non eſt. Si illos non pudet ad iniquam illam pompam prodire, multo minus pudere nos debet, illos ad ſacram iſtam ſolennitatem revocare. Cum de ſalute fratris agitur, nihil recuſemus. Quando enim Chriſtus propter nos mortuus eſt, nos propter illos oportet cuncta tolerare. Licet alapas impingant, licet maledictis inceſſant, retineto, nec prius deſiſtito, quam ad ſanctum Martyrem eos reduxeris. Licet ad prætereuntium judicium provocandum ſit, audiant, qui volent, dic: Salvum facere volo fratrem: pereuntem animam cerno, neque cognatione junctos poſſum contemnere. Reprehendat, qui volet, accuſet, qui volet. Imo vero nemo reprehendet, omnes laudabunt, omnes amplectentur. Non enim pecuniarum cauſa, nec ut propter odium privatum me ulciſcar, nec ob aliam rem quampiam ſæcularem contendo, pugnoque, ſed fraternæ ſalutis gratia. Quis hæc non approbabit? quis non laudabit? Nulla carnis cognatione junctos nos propinquorum amantiores, quam patres, cognatio ſpiritualis effecit. Si velitis, etiam Martyrem nobiſcum aſſumamus; non enim erubeſcit venire ad fratrum ſalutem. Objiciamus eum ipſorum oculis, reformident præſentem, revereantur rogantem, & obſecrantem; non enim erubeſcit etiam rogare. Nam ſi Dominus ejus naturam noſtram rogat; *Pro Chriſto*, inquit Paulus, *legatione fungimur, tanquam Deo rogante per nos, reconciliamini Deo:* multo magis ſervus hoc faciet. Unum ipſum contriſtat ſolum perditio noſtra: unum exhilarat, ſalus noſtra. Et idcirco nihil ejus gratia ſuſcipere recuſat. Neque nos igitur erubeſcamus, neque ſupervacaneum eſſe ducamus. Si enim ve-

„nato-

„natores loca prærupta, montes, & barathra, & „invia quæcunque loca pervadunt, ſeu leporem, „ſeu capream, aut aliud quidpiam ejuſmodi, ſeu „volucres etiam iſtas plerumque ſylveſtres venari „velint: tu qui non beſtiam vilem, ſed fratrem „ſpiritualem, propter quem mortuus eſt Chriſtus, „a perditione revocaturus es, non jam montes, „& ſaltus, ſed portam ſolum egredi refugis, & „erubeſcis? quam tandem quæſo veniam obtine„bis? Non audis ſapientem quemdam monentem, „ac dicentem: *Eſt confuſio adducens peccatum?* Sed „ne reprehendat quiſpiam, times? Transfer in me „culpam, qui dixi. Dic ita juſſiſſe Doctorem. „Ego paratus ſum cum illis, qui reprehendent, „diſceptare, ac rationem reddere. Imo vero ne„que vos, neque nos quiſquam reprehendet, tam„etſi valde ſit impudens: ſed laudabunt omnes, ac „nos curæ, ſtudiique nomine commendabunt non „in patria tantum noſtra, ſed & ii, qui vicinas „habitant urbes, quod apud nos ſit tanta vis cha„ritatis, tantus ardor amoris in fratres. Sed quid „ego homines dico? ipſe Angelorum nos Domi„nus collaudabit. Cum itaque propoſitam merce„dem noverimus, ne venationem negligamus, „neque ſoli die craſtino revertamur, ſed unus„quisque prædam ſecum habens adveniat. Si illa „tantum hora veneris, qua quisque domo egreſſus „in viam ſe dat, eumque ad hujus loci viſitationem „traduxeris, nulla deinceps erit difficultas: ſed „poſt lapſum temporis multam ille quoque tibi „gratiam habebit, & vos ceteri omnes laudabunt, „& efferent: quodque omnium maximum eſt, „multa vobis ob iſthæc cœlorumDominus conferet „prœmia, & lucrum iſtud, & laudem augebit. „Quæſtum igitur animo verſantes, quem inde col„ligimus, ante urbem omnes effuſi, comprehen„ſos fratres noſtros huc reducamus, ut craſtino

„etiam die plenum nobis theatrum reddatur, ac
„conventus ſit perfectus, ut propter hoc ſtudium
„noſtrum, ac diligentiam hic adhibitam in æterna
„tabernacula ſanctus Martyr multa cum fiducia nos
„recipiat: quam utinam conſequi nobis omnibus
„contingat per gratiam, & benignitatem Domini
„noſtri Jeſu Chriſti, per quem &c.„

Fuſiora ex eodem ſpecimina GISBERTUS dat *cap.* 12. jam laudato, unum de amore erga pauperes, alterum contra comœdias & ſpectacula.

Modeſtia.

Equidem alias diximus, quam longe Patres ab ambitione, & vana omni gloria abeſſent: verum hic de modeſtia, quam ubique inter dicendum præferre decet, paulo preſſius agendum eſt. *Nihil enim*, inquit CHRYSOSTOMUS *, *tam prodeſt auditori, quam ſi orator nihil magni de ſe dicat, ſed omnem ſuperbiæ ſuſpicionem tollat.* Additque, gloriam hoc loco deſpicientes aliam nihilominus, eamque majorem ſibi parare. Sed & benevolentiam quam maxime hæc virtus parat; quod nihil eſt ad conciliandum gratius verecundia, quemadmodum QUINTILIANUS admonuit. Videatur GISBERTUS *cap.* 17. ſane eleganter in argumento hoc verſatus. Ego ad exempla tranſeo.

S. CHRYSOSTOMUS, *cum Presbyter eſſet deſignatus*, & prima vice ad populum diceret, quam mirabilem, quam ſingularem modeſtiam præferebat!

„Num vera ſunt, exclamat, quæ nobis acciderunt? Num reipſa geſta ſunt, nec falſi ſumus, neque, quæ nunc fiunt, ſunt nox, & ſomnia? An vere dies eſt, & vigilamus omnes? Et quis credat, quod in die, cum ſobrii ſunt, ac vigilant homines, adoleſcens infimæ ſortis, & abjectus ad tantum dignitatis faſtigium ſubvectus ſit? Nam nocte ta-

„lia

* *Homilia* 9. *in Acta.*

„lia accidere, nihil ſit incredibile, Tum enim qui„dam & corpore mutili, & adeo tenues, ut ne ne„ceſſarius quidem ſuppetat victus. in ſomnis ſibi vi„dentur integris membris, & formoſi, & regali „frui menſa: ſed quæ videbantur, ſomnus erant, „& inſomniorum ludibria. Siquidem hæc eſt na„tura ſomniorum, vafra quædam, ac verſuta res „eſt, ac prodigiorum artifex, gaudet novis, & in„credibilibus ſimulacris illudere. At vero nec inter„diu, nec revera quis unquam videat hoc accidere. „Verum omnia nunc contigerunt, facta ſunt, per„fecta ſunt, quemadmodum videtis; hæc, inquam, „ſomniorum viſis incredibiliora: & civitas tantæ „magnitudinis, tam frequentata, populus & mul„tus, & admirandus ad meam inhiat exiguitatem, „tanquam a nobis magnum quiddam, ac præclarum „auditurus. Atqui etiamſi mihi amnium more per„ennium proflueret oratio, ſique verborum fontes „eſſent in ore meo, protinus ex tantæ multitudinis „ad audiendum concurſu, metu ſiſteretur proflu„vium, & retro fluenta reſilirent. Nunc vero cum „tantum abſimus a fluminum ac fontium copia, ut „nec exiguæ pluviolæ mediocritatem obtineamus, „qui fieri poſſit, ut me non deficiat tam exiguus „fluxus, metu arefactus, idemque eveniat, quod „in corporibus ſolet accidere. Quid accidit in cor„poribus? Multa frequenter, quæ manu tenemus, „quæ digitis ſtringimus, præ metu nobis excidunt „omnia, diſſolutis nervis noſtris, corporiſque vi„gore remiſſo. Itidem mihi profecto nunc metus „eſt, ne idem eveniat in animo noſtro, videlicet, „ne quæ multo cum labore excogitavimus, quam„quam & hæc ſane perquam exilia, parvique mo„menti, præ pavore veniant in oblivionem, & eva„neſcant, abeantque, animum noſtrum deſertum „relinquentia. Quapropter pariter omnes, tum „vos, qui cum imperio eſtis, tum vos, qui paretis

„imperio, obſecro, ut quantam nobis anxietatem „injeciſtis veſtro ad audiendum concurſu, tantumdem nobis audaciæ inſpiret precum veſtrarum diligentia, ſi rogetis illum, qui dat ſermonem evangelizantibus virtute multa, ut nobis quoque det „ſermonem in apertione oris noſtri. Nullus omnino vobis tot, ac tantis viris labor erit unius adoleſcentis animum timore diſſolutum, denuo confirmare: quin & par fuerit, ut, quod nunc petimus, præſtetis; quandoquidem tantam aleam „ſubivimus propter vos, veſtramque charitatem, „qua nihil violentius, aut imperioſius, ut quæ nos „non admodum dicendi peritos, ad dicendum pertraxit, effecitque, ut ad doctrinæ ſtudium exiremus, licet antehac hoc palæſtræ genus nunquam „attigerimus, ſed ſemper in auditorum ordine, „quieto ſilentio frui ſoleamus. Verum quis ſit adeo „durus, & intractabilis, ut iſtum veſtrum conventum ſilentio prætereat; & amicos nactus audiendi „ſtudio flagrantes non alloquatur, etiamſi omnium „hominum eſſet loquendi imperitiſſimus.„

Atque hac animi demiſſione modeſtiſſimus orator totam orationem pertexit; in fine vero omnes inſtanter rogat, quo plurimis, atque aſſiduis precibus id efficiant, ne talentum immerito concreditum, ubi ratio Deo judici danda, reddere non poſſit, ejiciaturque in exteriores tenebras, ſed potius in eorum ſit numero, qui qualemcunque eſſent veniam conſecuturi.

Idem eximium modeſtiæ ſpecimen dedit jam Epiſcopus, *homil.* 3. jam ſupra citata *de Nuptiis*, ſeu: *Laus Maximi &c.* Cum enim ipſo abſente Maximus ille concionatus eſſet, ita illius eloquentiam Chryſoſtomus extulit, ut una ſuam inſigni artificio extenuaret. Adde etiam alios ejusmodi ſane quampluri-

plurimos locos, uti *Tom.* 2. *Montfauconi pag.* 455. *Tomo* 3. *pag.* 747. *Serm. novo de Laudibus Diodori Tarſenſis. Tom.* 4. *pag.* 339. *homil.* 2. *de Prophetiarum obſcuritate.* Imo cum tota poteſtate uſus excommunicationem denuntiat, miram præfert temperantiam *homil.* 4. *in ad Hebræos; homil.* 8. *in Acta &c.* Denique *homil.* 4. *in* 2. *ad Theſſalonic.* quam poteſt enixiſſime ſuorum preces flagitat, ut earum vere, & maxime indigus. Et quam raro exemplo *ibid.* admoneri corrigique cupit in epiſcopatu adminiſtrando.

Similia invenies apud TERTULLIANUM *Libro de Patientia, initio*: & *Libro de Pœnitentia* duobus locis. ORIGINEM *homil.* 16. *in Geneſin.* GREGORIUM *Nazianzenum* paſſim in *Orationibus* ſuis. AMBROSIUM *Lib.* 2. *de Pœnitentia c.* 8. de hiſtoria ſuſcitati Lazari, ubi cupit Chriſti lacrymis lavari delicta ſua, & ſe ab operibus mortuis, quibus eſſet ſepultus, excitari ad opera lucis &c. Rurſus *initio Librorum de Officiis &c.* HIERONYMUM, ſæpe & delicta juventutis & imbecillitatem confeſſum. AUGUSTINUM non ſolum in *Confeſſionibus*, ſed & alibi paſſim: nominatim vero *Conc.* 3. *in Pſ.* 36. Carthagini habita, ubi publice peccata ibi admiſſa agnoſcit, atque retractat. GREGORIUM *Magnum* in extremo *Moralium*, & *homil.* 11. *in Ezechielem* ante medium. BERNARDUM, qui *Serm.* 74. *in Cant.* loquens de rebus ſuis inſtar protriti vermis torquet ſeſe, & verſat undique, ne laudare fors cogatur.

Artificium attentionis excitandæ & conſervandæ.

Attentio auditoris præ omnibus neceſſaria. *Doctor* enim, ait GREGORIUS *in Libr.* 1. *Regum c.* 2. ***nihil exhortando proficit, ſi auditor mentem ad ea, quæ loquitur, non intendit.*** Aut cui bono tu ſive doceas, ſive delectes, ſive moveas eum, qui identidem remitteret animum, & vacuas aures negaret?

Nihil

Nihil tamen frequentius, quam ut parum ad dicentem attendatur; propter oſcitantiam videlicet naturalem in omnibus iis, ad quæ non ultro & cupiditate quadam animus fertur. Adde volubilitatem imaginationis, fugacitatem memoriæ, curarum agmina, & tot alios fontes evagationum noſtrarum. Hoc ergo opus, hic labor, uti attentio figatur, præſertim apud Patres, qui vel abſtruſa ſæpe, vel cupiditatibus maxime contraria afferebant ad concionem. Quod ut obtinerent, rationes inierunt varias, & artes omnes cumularunt, quæcunque præter riſum, & ſatyram apud externos reperiuntur. Et primo quidem brevitati ſtudent, quod mallent famelicos, avidosque, quam jam ſaturos, & nauſeabundos dimittere auditores. *Semper enim ſuſpectam habeo ſatietatem*, ait NICETAS SERRONIUS *, *velut moleſtam, ac tædii plenam, rebusque omnibus præclaris adverſantem; atque ea, quæ dicta ſunt, infrugifera reddentem. Nam cum ea ſit animi imbecillitas, ut omnia ſimul complecti, atque arripere nequeat, idem omnino illi accidit, quod ventri, qui propter immodicam ſatietatem transmiſſos cibos concoquere non poteſt.* Legantur etiam ea, quæ GISBERTUS *cap.* 8. huc monet, atque una modernorum libri, ac conciones cum Homiliis, & Tractatibus Patrum conferantur. Satis ſcio horum quinque legendo quis abſolvet, quam unicum illorum. Superi! quid demum eſt abuti patientia, & attentione, ſi hoc non ſit? Jam de antiquiſſimo Origene ERASMUS **: *Apparet ex homiliarum modo, apud populum nunquam ultra horæ ſpatium produxiſſe ſermonem, ſæpe intra ſemihoram abſolviſſe. Non ignorabat, quantum eſſet laicorum faſtidium, quorum plerique vix adduci poterant, ut mallent in templis audire ſacerdotem de rebus cœleſtibus diſſerentem, quam mimum, aut hiſtrionem* in

* *Commentar. in Nazianzeni orat.* 40. *initio.*
** *De Vita, & ſcriptis Origenis.*

in theatro obſcœna, & animæ peſtifera nugantem *. Præter brevitatem, qua plurima contrahebant, jam variant argumenta, jam narrant aliquid, jam animos ſuſpendunt, jam laudant patientiam, jam paradoxa immiſcent, jam dialogos inſtituunt, jam interrogatiunculis familiaribus utuntur, ubi alia dare auditor debet, negare alia, ita quidem, ut concluſio velut arbitrio ejus permittatur. Denique non dubitant honeſto joco oſcitantis labia comprimere; uti Demoſthenis exemplo Machetes apud Cassianum fecit. Atqui his omnibus maxime tenentur animi, tœdium antevertitur, & dormitantes etiam auditores excitantur. Vide Augustinum *Libro de catechizand. rudib. c.* 3. 12. 13. 15. ubi varias in rem noſtram induſtrias cumulat. Item Gisbertum *cap.* 14. & magis etiam *cap.* 7. *ubi de Novitate.* Sed exempla ipſa audiamus.

S. Chrysostomus *hom.* 8. *in ad Epheſios*, cum diutiſſime ſe in carcere Pauli detinuiſſet, non ſine ingenti motu animum illum ſuum, & patiendi deſiderium palam effundens, ita ulteriorem ſibi audientiam depopoſcit, cum adhuc vincula trium puerorum in fornace Babylonis cum vinculis Pauli comparare inſtitueret.

„Quid agam? volo tacere; ſed non poſſum. „Alium inveni carcerem, illo admirabiliorem, & „qui majorem affert ſtuporem. Sed nunc mihi „exurgite, tamquam nunc incipiat oratio, vegetiſ„que & recentibus nunc accedite animis. Volo „cœptam interrumpere orationem: ea vero non „ſinit. Nam ut quis, dum bibit, non paſſus fue„rit interrumpi, quidquid ei renuntietur: ita ego quo-

* Contra tamen nec breviſſimas vult conciones Ambroſius. Ait enim *Libro* 1. *de Officiis cap.* 22. arripiendum tractatum neque nimis prolixum, neque cito interruptum; ne vel faſtidium derelinquat, vel deſidiam prodat, atque incuriam.

„quoque apprehenſo admirabili carceris poculo eo-
„rum, qui vincti ſunt propter Chriſtum, non poſ-
„ſum ceſſare, non poſſum ſilere. Nam ſi ipſe in
„carcere, & nocte non ſiluit, nec in flagellis: ego
„ſilebo, cum ſit dies, & in multo otio loquens,
„& quiete? „ *.

Idem in Pſalmum 41. ad verſ. *Quemadmodum deſiderat cervus.* „Vos quidem, inquit, nos nuper „admirabamini, quando verba fecimus de Melchi-„ſedeco, propter eorum, quæ dicta ſunt, longitu-„dinem: ego autem vos admirabar propter veſtram „in audiendo attentionem, & ſapientiam; & quod, „cum prolixior ſe obtuliſſet oratio, nos ad finem „usque conſecuti eſtis. „

Rurſus præclare *homilia*, quæ inſcribitur: *Adverſus eos, qui dicunt, dæmones gubernare res humanas, initio, Tom.* 2. *Montfauconi.*

„Verebar quidem, ait, ne vobis tractatus aſſi-„duitas verborum meorum faſtidium crearet: ve-„rumtamen contrarium eveniſſe video, nec vobis „aſſiduitatem creaſſe faſtidium, ſed deſiderium au-„xiſſe, nec ſatietatem, ſed voluptatem addidiſſe, „idemque penitus, quod in profanis conviviis ebrio-„ſis hominibus ſolet, accidiſſe. Nam & illi, quo „plus infuderint meri, tanto magis ſitim accen-„dunt: & nos quanto prolixiorem doctrinam vo-„bis inculcamus, tanto majorem cupiditatem ac-„cendimus, majorem appetitum, ac vehementio-„rem amorem excitamus. Quo fit, ut tametſi „mihi ſummæ ſim conſcius paupertatis, liberales „imitari convivatores non deſinam, & aſſiduam „menſam vobis apponam, ac plenum ſtatuam do-

„ctri-

* Equidem hunc locum jam ſupra recitavimus. Verum eundem hic repetere, alio videlicet fine, quo de nunc agimus, volebamus; quod attentionis renovandæ & conſervandæ egregiam omnino formulam contineat.

„ctrinæ craterem. Siquidem video vos, ubi totum „illum exhauſeritis, ſitibundos rurſus diſcedere. „Atque hoc quidem ab omni tempore jam inno- „tuit, præſertim autem a Dominica ſuperiore. „Nunquam enim divina vobis eloquia faſtidium „parere dies ille præſertim indicavit, quo non de- „bere vos mutuo vobis maledicere docebam. Quo „etiam tempore vobis tutiſſimam præbebam occa- „ſionem accuſationis, cum ad propria peccata ma- „ledictis inceſſenda vos cohortarer, non ad aliena „curioſius inveſtiganda &c. Tum nimirum, tum „inexplebilem præ vobis amorem tuliſtis. Nam „quoniam in prolixitatem ſermo noſter eſt produ- „ctus, ac prolixitatem immenſam, & quanta nun- „quam fuit, ſic ut metuerunt nonnulli, ne verbo- „rum multitudine animi veſtri alacritas extingue- „retur, contrarium penitus accidit. Amplius enim „cor veſtrum incaleſcebat, amplius deſiderium „exardeſcebat. Unde id conſtat? Majores qui- „dem certe plauſus ſub finem fuerunt, & clario- „res acclamationes, idemque accidit, quod in for- „nacibus. Ut enim illic initio quidem non adeo „clarum eſt lumen ignis, poſtquam autem ligna „omnia, quæ impoſita fuerant, flamma corripuit, „in magnam tollitur altitudinem: ſic & illo die „tum temporis hoc evenit. Initio quidem non „admodum mihi commovebatur hic cœtus; ubi „vero longius ſermo productus eſt, & omnes ar- „gumenti propoſiti partes invaſit, ampliorque pro- „ſeminata doctrina eſt, tum nimirum ad majorem „audiendi cupiditatem exarſiſtis, ac vehementior „plauſus erupit. Quo factum eſt, ut tametſi me „ad pauciora dicenda comparaveram, tum modum „exceſſerim. Imo vero nunquam ego modum „exceſſi; ſiquidem doctrinæ quantitatem non ex „eorum, quæ dicuntur, multitudine, ſed ex af- „fectu eorum, qui audiunt, ſoleo metiri. Nam „qui

„qui nauſeantes nactus eſt auditores, licet doctri„nam contraxerit, moleſtiam videtur exhibere: „qui vero attentos, ac vigiles, licet produxerit „longius, ne ita quidem explet cupiditatem. Sed „quoniam nonnunquam accidit, ut tanto in po„pulo ſint imbecilles nonnulli, qui ſermonis pro„lixitatem aſſequi minime poſſunt, ad hoc eos ſta„tui cohortari, ut cum audierint, quantum capere „poſſunt, & cum acceptis iis, quæ ſufficiunt, illi „receſſerint (neque quippe vetat, neque cogit, ut „ultra, quam vires ipſorum ferant, hic maneant) „ne nobis ante tempus finiendi ſermonis neceſſita„tem imponant. Nam tu quidem expletus es, „ſed frater tuus adhuc eſurit, & tu eorum, quæ „dicta ſunt, copia ebrius es, ſed frater tuus adhuc „ſitit. Neque tuam imbecillitatem gravet ille, „plura cogendo ſuſcipere, quam tuæ vires ferant, „neque cupiditatem ejus vexes, prohibendo, ne „totum, quod capere poteſt, admittat. Hoc & in „profanis fit menſis; alii citius, alii tardius explen„tur, & neque illos hi reprehendunt, neque hos „illi condemnant. Verum illic quidem cito rece„dere laudabile eſt, hic vero cito recedere non „laudabile eſt, ſed venia dignum. Illic tardius „ceſſare vituperio, ac reprehenſioni obnoxium, „hic vero tardius recedere laudem, & commen„dationem parit maximam. Quid ita? Quod il„lic quidem tarditas ex ingluvie naſcatur, hic vero „ex ſpirituali cupiditate, ſacroque appetitu con„ſtantia concilietur, & patientia.„

Ex quo loco non minus ſancti viri Zelus, quo ad dicendum accedebat, verum etiam propenſiſſima in eum populi ſtudia, ac ſingularis quidam amor elucet, quo ipſe uti in rem ſuam mirifice ſciebat.

Brevius *homil.* 19. *in Geneſin* eaſdem artes exprompſit:

„For-

„Fortaſſis, inquit, multa ſunt, quæ dixi, & „multam corpori moleſtiam attulimus. Sed quid „faciam? Quia video veſtram in audiendo avidi„tatem, & ingens deſiderium, reliqua etiam per„ſequar, & pro viribus meis interpretabor.„ *Et mox, cum nova egeret attentione:* „Sed par eſt, ut „manifeſtius vos doceam, quomodo qui Cain oc„cidit, ſeptem pœnarum reus ſit. Vos precor at„tendite. Nam ſi nunc, ſicut & in ſuperioribus „diebus ſæpe charitati veſtræ diximus, cum jejunii „tempus eſt, & tanta tranquillitate fruimur, & „liberati ſumus a cogitationibus, quæ mentem no„ſtram perturbant, non ſumma diligentia addi„ſcimus, quæ in divinis Scripturis continentur, „quando ea aliis temporibus diſcere poterimus? „Ideo oro, & precor, & ſupplico, & quaſi ge„nua veſtra contingo, intenta mente his, quæ di„cuntur, auſcultemus, ut fructu aliquo nobili, & „præcipuo accepto domum poſtea redeamus.„

Breviſſime vero *homil.* 11. *ex ineditis Tom.* 12. *Montfauc.* cum jam diu de Jobo dixiſſet, & plura ſupereſſent:

„An non, inquit, defatigamini tam frequentes „illas audientes calamitates? At ille patiens non „fatiſcebat. Quamobrem rogo charitatem veſtram, „adhuc paululum expectetis. Nondum enim to„tum diximus, neque alia diximus, quæ exſupe„rant.„

Taceo illud, familiare Chryſoſtomo, quod ſimulat abrupturum ſe cœpta, in pœnam ſocordiæ, quæ tamen velut mutata mente nihilo ſecius proſequitur.

Ex Augustino quoque petendum ſpecimen. Longius ille dicendo provectus *Enarr. in pſalm* 147. multa habebat, quæ abſoluta mallet, quam dilata. Quid ergo cepit conſilii? Optionem ſuis fecit, ſeu pertexendæ, ſeu finiendæ concionis, certus

neminem futurum, qui non ita ad novam, & duplicatam attentionem excitaretur.

„Fratres, inquit, quoniam pax ipſa, de qua „loquimur, nondum eſt in totis nobis, id eſt, in „unoquoque noſtrum tota, adhuc forte ſpiritum „veſtrum delectat audire. Sed ſi nihil reſiſtit, & „rebellat ex corpore, finiemus pſalmum. Fatiga„tos vos nuſquam video, tamen vereor, novit „Deus, ne oneri ſim vobis, aut quibusdam fratri„bus: & video ſtudia multorum, exigentium hunc „laborem de me, & ſudorem, quem credo in „Domino non futurum infructuoſum. Gaudeo „tantam eſſe voluptatem in veritate verbi Dei, ut „ſtudium veſtrum bonum in bono, & de bono „vincat ſtudium inſanorum currentium in amphi„theatrum *. Numquid illi, ſi tam diu ſtarent, „adhuc ſpectarent? Ergo fratres audiamus cetera, „quia hoc vultis. Adſit Dominus, adſit & viri„bus, & mentibus veſtris." Quibus reliquam enarrationem ad dimidiam fere horam proſecutus eſt. Verum quis non libenter, & cum gaudio illi adeſſet ſic laudatus, ſic rogatus, & humanitate ſumma ad audiendum præparatus? O quam temporum noſtrorum arrogantia ab admirabili hac indulgentia deflexit!

Delectus Argumentorum.

In Thematis quoque deligendis magna Patrum cura, & ſapientia fuit. Eſt enim ea res quam maxime auditoribus jucunda & ſalutaris: ſed & neceſſaria; quia, ut Chrysostomus *homil.* 22. *in Joan. initio* admonet, in tanta multitudine auditorum, quemadmodum diverſa conditio, & multiplices morbi, ſic variam quoque medicinam eſſe oportet, & nunc quidem his, poſtea aliis auxilio venire. Et

* Tum forte ludi dabantur populo.

Et quidem ubi Scripturas explicabant populo, per ſe magna erat rerum, & doctrinarum varietas: cum vero libros, atque Tractatus ederent, non niſi illa illuſtranda ſuſcipiebant, quæ loco, quæ tempori, quæ ſibimet ipſis quam accommodatiſſima forent; id quod neſcire ex mea ſententia poteſt nemo, niſi qui Patrum omnia neſcierit. Certe hac ipſa varietate quoties ego legendi laborem ſolatus ſum? Pars quippe magna delectationis in ipſa permutatione ſita eſt, ut ſine qua nec voluptates quidem placere diu, atque afficere poſſint. Et recte TULLIUS *Libr.* 2. *de Inventione* pronuntiavit: *In omnibus rebus ſimilitudinem eſſe ſatietatis matrem.*

S. AMBROSIUS *Libro I. de officiis cap.* 22. *Tractatus quoque*, inquit, *de doctrina fidei, de magiſterio continentiæ de diſceptatione juſtitiæ, de adhortatione diligentiæ non unus ſemper, ſed ut ſe dederit lectio, nobis & arripiendus eſt, & prout poſſumus proſequendus.*

Obſervat autem CHRYSOSTOMUS *hom.* 11 *in ad Roman.* Paulum prius dogmata, dein mores pertractare ſolitum in epiſtolis ſuis. Quod exemplum Sanctus Doctor non ſolum, cum illas interpretatur, verum & in ceteris fere omnibus ſequendum ſibi putavit. Sed alias quoque magnam habuit rationem varietatis: cumque *orationem contra Judæos* 4*tam*, *alias* 1*mam* ordiretur, ita lepide inſtitutum hoc ſuum declaravit.

„Rurſus infelices illi, mortaliumque omnium „miſerrimi Judæi jejunaturi ſunt: rurſus Chriſti „gregem muniamus neceſſe eſt. Quandoquidem „& paſtores quamdiu noxia beſtia moleſta non eſt, „ſub ilicem, aut populum porrecti, fiſtula ca„nunt, ſinentes oves libere pro ſuo arbitratu pa„ſcere. Verum ſimul atque ſenſerint, alicunde „luporum incurſionem imminere, mox abjecta fi-

„ſtula, fundam arripiunt, & omiſſo calamo fuſti-
„bus, & ſaxis obarmant ſeſe, proque ovili con-
„ſiſtentes magno clamore ingentique ululatu voci-
„ferantes, frequenter ipſo clamore feram, prius-
„quam irrumpat, abigunt. Itidem & nos ſupe-
„rioribus diebus in Scriptura, velut in prato lu-
„dentes, choreaſque ducentes, nihil in enarratione
„attigimus contentioſi ſermonis; eoquod nullus
„eſſet, qui nobis obturbaret, aut moleſtiam affer-
„ret. Ceterum quoniam hodie lupis omnibus ſæ-
„viores Judæi oves nobis circumvallaturi ſunt, ad
„pugnos, & pugnam accingamur oportet, ne quid
„nobis ereptum cedat in prædam ferarum.„

Nec multo poſt *homil. in pſalmum* 41. laudatis auditoribus, quod in longo, atque difficili ſermone tantam patientiam, & attentionem exhibuiſſent, reſumit eandem ſimilitudinem, his verbis:

„Age ergo vos pro illo labore remuneremur,
„apertius, & dilucidius hodie vobiſcum colloquen-
„tes. Neque enim eſt ſemper intendendus audi-
„torum animus; Facile enim diſrumpitur: nec rur-
„ſus ſemper remittendus, ac relaxandus; Hinc
„enim rurſus redditur otioſior: Et ideo utendum
„eſt vario docendi genere: & nunc quidem po-
„pulariori, & ad delectandam concionem accommo-
„datiori oratione utendum eſt, nunc autem acrio-
„ri, & ad contendendum aptiori. Quemadmo-
„dum ergo tunc dicebam, quod, dum lupi gre-
„gem invadunt, relicta fiſtula, funda in manum
„eſt ſumenda: ita nunc, dum feſta Judæorum præ-
„terierunt, qui ſunt quibusvis lupis immaniores,
„relicta rurſus funda redeamus ad fiſtulam, & a
„contentioſiore dicendi genere ceſſantes, aliqua
„alia apertiora aggrediamur.„

Lege eundem *initio Homiliæ* 11. *in Geneſin.*

Illud quoque Patres cavebant, ne triſtibus inhærerent diutius, & tragicas, moleſtasque materias perpe-

perpetuo ingererent. Audiamus eundem Chrysostomum, qui *homilia de habenda cura ſalutis proximi*, *& de nomine Abraham Tom.* 4. *Montfauc.* ita loquitur:

„Mentem eorum ſatis acriter perſtrinximus: „nunc vero iterum obſecramus. Sic enim & Pau„lus juſſit. *Argue*, inquit, *increpa*, *obſecra*. Ne„que enim hoc ſemper ſolum agere oportet, ne„que ſemper illud ſolum: ſed utrumque alternis „vicibus, quo major inde ſequatur utilitas. Nam „ſi ſemper arguêremus, impudentiores illi fierent: „ſi ſemper obſecraremus, ignaviores redderentur. „Quapropter & medici non ſolum ſecant, ſed & „vulnera obligant: neque ſemper amara, ſed non„nunquam etiam lenia pharmaca infundunt, ut „per priora illa purificentur ſanies, & putredo, „per poſteriora autem mitigetur inuſtus ab illis „dolor„

Brevius *homilia*, *quod non ſit ad gratiam concionandum Tom.* 2. *Montfauconi.*

„Satis opinor vos nuper increpavimus, ac pro„fundiorem plagam inflixímus. Itaque neceſſe eſt „hodie medeamur, ac mitiora medicamenta quæ„dam apponamus. Hic enim optimus eſt medi„cinæ modus, ut non modo ſecentur vulnera, „verum etiam obligentur: hæc præclara doctrinæ „lex eſt, ut non modo reprehendantur diſcipuli, „verum etiam cohortationibus, & conſolationibus „adjuventur. Ita quoque Paulus fieri juſſit: argue. „increpa, exhortare. Quod ſi ſemper exhorte„tur quiſpiam, negligentiores reddit auditores: „ſi tantum increpet, aſperiores efficit. Cum enim „aſſiduarum onus reprehenſionum ferre non poſ„ſint, confeſtim abſcedunt. „

Nihilominus, ubi uſus aliter poſcebat, ſtudioſe idem ſæpius argumentum vel reſumebant per intervalla, vel continuis ſermonibus proſequebantur,

donec, quod propoſuerant ſibi, denique eviciſſent. Quoties enim CHRYSOSTOMUS de juramentis, de avaritia, de luxu, de ſpectaculis, de gehenna, de eleemoſynis agit? Fixum nempe habebat hæc præ ceteris neceſſaria præ ceteris inculcare, atque in unum idemque vitium tamdiu pertonare, donec ex animis, & moribus id penitus eſſet eliminatum. Medicamentum enim ſi prima die morbum non abſterſerit, ſecunda, tertia, & conſequentibus diebus iterum apponitur, donec æger ſit plene perſanatus. Sed & agricolæ, & lignatores, ubi annoſam quercum, & infrugiferam incidere volunt, repetitis identidem ictibus, alias atque alias eadem ſecuri plagas infligunt. Quæ duo ſimilia ipſius CHRYSOSTOMI ſunt *. Itaque eandem rationem etiam Patres tenuerunt; quod difficilis eſt hominis converſio, nec iisdem paſſibus, quibus ad malum deflexit, ad virtutem reducitur. Atque in hac parte quam maxime oratores ſe illi præbuerunt, tantumque abeſt, ut ea re in eloquentiæ leges peccarint, ut vel ipſos profanos imitati ſint, quos, quoties opus erat, ad eadem argumenta, iterum, iterumque reverſos videmus. Sic DEMOSTHENES in *Philippum* undecies, CICERO in *Catilinam* quater, in *Verrem* ſexies, in *Antonium* vero decies quater inſurrexit. Sed jam formulæ ipſæ expendendæ ſunt, quibus repetitionem illam apud auditores ſuos excuſarunt. Sunt enim tam probabiles, tam ſapientes, tam ingenioſæ, ut nihil ſupra, id quod exempla planum facient.

CHRYSOSTOMUS *hom.* 5. *ad populum*, cum denuo in juramenta extirpanda incumberet, ita ſe eleganter purgavit.

„Primum

* *Homilia* 3. *de pœnitentia paulo poſt initium*, & *homilia* 50. *in Joannem, in fine.*

„Primum igitur ei perſuadeamus, ut a jura„mentorum fuga mutationem incipiat. Etſi enim „heri, & nudiustertius de hac vobis locutus „ſum materia, neque tamen hodie deſiſtam, ne„que cras, neque perendie eadem monere. Et „quid dico craſtinam, aut tertiam diem? Donec „vos correctos videam, non abſiſtam; ſi enim le„ges prævaricantes non erubeſcunt, multo magis „nos jubentes, ne prævaricemini, de frequenti ad„monitione non erubeſcere par eſt. De iisdem „enim continue commonefacere non dicentis, ſed „audientium eſt crimen, diuturna ſuper ſimplici„bus, & facilibus præceptis indigentium diſci„plina.„

Atque hanc agendi rationem, quæ vere prudentis oratoris eſſet, celebrat, doctiſſimus Thomassinus *de Veteri & nova Eccleſiæ diſciplina Parte II. Libr.* 3. *c.* 89. & Carolus Regius *Libr. IX. orat. Chriſt. cap.* 40. Uterque autem hujus ipſius loci mentionem facit.

Homilia item 3. *in* 2. *ad Theſſalonic.* idem Chrysostomus

„Licet, inquit, eadem audire quotidie. Quid „vero? Dic quæſo, in theatris non eadem audis? „In ſtadiis, & equorum curriculis non eadem vi„des? Res autem omnes non ſunt eædem? Non „idem ſol ſemper oritur? Non iisdem utimur ali„mentis? Vellem autem ex te ſciſcitari, quoniam „eadem dicis te audire quotidie. Dic mihi, cu„jus Prophetæ eſt locus, qui fuit lectus? & cujus „Apoſtoli, aut cujus epiſtolæ? Sed non potes di„cere, imo videris audire nova quædam & alie„na. Atque quando vis quidem te dedere otio, „& ſocordiæ, eadem eſſe dicis: quando autem „fueris interrogatus, ita es affectus, ut qui nun„quam audiveris. Si ſunt eadem, oportet eadem „ſcire; tu autem ignoras. Dignæ ſunt res præſen-

„tes, quæ lugeantur, inquam, & defleantur, quod „fruſtra laborat, qui cudit argentum. Hoc ipſo „maxime oporteret attendere, quod ſint eadem; „quoniam nullum vobis laborem exhibemus, ne- „que peregrina aliqua, & immutata dicimus. Quid „vero? quoniam illa eadem eſſe dicitis, noſtra au- „tem non ſunt eadem, ſed ſemper nova dicimus, „& peregrina, eisne attenditis! Nequaquam. Sed „ſi dixerimus, cur ne hæc quidem retinetis? Se- „mel, inquit, audimus, & quomodo fieri poteſt, „ut retineamus? Si dixerimus cur illa non atten- „ditis? Dicitis: ſemper dicuntur eadem: & un- „dique ſunt hæc verba ſocordiæ, & prætextus. At „non perpetuo procedent; ſed tempus erit, quan- „do temere, & fruſtra lamentabimur. Quod ab- „ſit: ſed potius fiat, ut cum pœnitentiam egeri- „mus, cum prudentia, pietateque iis, quæ dicun- „tur, attenderimus, ad bona opera agenda pro- „peremus, & exactiſſime vitam noſtram corriga- „mus, ut poſſimus aſſequi bona promiſſa iis, qui „ipſum diligunt &c.„

Homilia vero 13. *nunc* 14. *in Joan.* cum blan- dius ante auditores laudaſſet:

„Attamen, inquit, licet tali inſtructi fiducia, „non ceſſamus vos frequenter de iisdem ipſis mo- „nere. Nam & in externis illis certaminibus non „proſtratos, non ſupinos jacentes, ſed ſtrenuos, „currentes hortantur ſpectatores omnes. Illos „enim ſemel a victoria excluſos, qui nullo poſ- „ſint hortatu moniti ſurgere, ne vane laborent, „ſinunt decuſſos jacere. Hic autem non de vobis „modo, qui vigilatis, ſed etiam de iis, qui col- „lapſi ſunt, eſt aliquid ſperandum, ſi reſpicere ve- „lint. Quamobrem nihil non agimus rogantes, „hortantes, exprobrantes, increpantes, laudantes, „ut veſtram ſalutem operemur. Ne itaque fre- „quentiorem ad probam vitam hortationem ægre „feratis;

„feratis; non enim ita loquimur, ut vos in deſi-„diæ crimen vocemus, ſed bona ſpe fulti mone-„mus. Neque ad vos ſolum, ſed ad nos etiam „ſpectant & hæc, & quæ poſtea dicentur. Etenim „nos quoque hac egemus doctrina. Etiamſi enim „a nobis dicantur, nihil tamen vetat, quo minus „hæc nos etiam attingant. Sermo namque pecca-„tis obnoxium corrigit, probum vero, ac ſcelere „vacuum ab eo longius abducit &c.„

Et *homil.* 6. *in* 1. *ad Timotheum.*

„De his millies diſſeruimus, & diſſerendi finem „non facimus, modo aliquis ſaltem profectus eve-„niat. Nos non torpeſcimus, nec defatigamur, „nec moleſtia dicendo afficimur: vos ſaltem au-„diendo ne moleſtia affici videamini. Videtur au-„tem quis moleſtia affici, cum dicta non exequi-„tur. Qui enim exequitur, libenter, & ſæpe vult „illa audire, ut qui non moleſtia afficiatur, ſed „laudetur. Itaque non aliunde moleſtia accidit, „quam quod dicta ad opus non exeant. Hinc ef-„ficitur, ut orator oneri ſit. Si quis verbi gratia, „eleemoſynam faciat, deindeque alius de eleemo-„ſyna loquatur, non modo non torpeſct audiens, „ſed lætatur, cum audit opera ſua prædicari, & „celebrari. Ita nos quoque, quia nihil commu-„ne habemus cum injuriarum oblivione, neque „illud bonum opus exequimur, ideo verba hujus-„modi videmur moleſte ferre: Si autem rem exe-„queremur, verba illa moleſtiam non crearent. „Si ergo vultis nos non moleſtos vobis eſſe, ſic „facite: operibus rem exhibete. Nunquam ceſſa-„bimus de his vos alloqui, donec illa exequa-„mini.„

Similia apud eundem ſæpius legi.

Ut autem ipſe concionator faſtidium non concipiat eadem ſemper inculcando, admirabili loco Augustinus præcavet *Libro de catechizand. rudib.*

cap. 12. ſimilitudine ab iis petita, qui peregrinis ſeu ædificia, ſeu plateas toties ſibi viſas, uſuque perpetuo cognitas nova ſemper voluptate commonſtrant, his verbis:

„Jam vero, ſi uſitata, & parvulis congruentia „repetere faſtidimus, congruamus eis per fraternum, „paternum, maternumque amorem, & copulatis „cordi eorum etiam nobis nova videbuntur. Tan„tum enim valet animi compatientis affectus, ut „cum illi afficiuntur nobis loquentibus, & nos „illis diſcentibus: habitemus in invicem, atque „ita & illi, quæ audiunt, quaſi loquantur in no„bis, & nos in illis diſcamus quodammodo, quæ „docemus. Nonne accidere hoc ſolet, cum loca „quædam ampla, & pulcra, vel urbium, vel agro„rum, quæ jam nos ſæpe videndo ſine aliqua vo„luptate præteribamus, oſtendimus eis, qui nun„quam viderunt, ut noſtra delectatio in eorum „novitatis delectatione renovetur? Et tanto magis, „quanto illi ſunt amiciores; quia per amoris vin„culum in quantum in illis ſumus, in tantum & „nobis nova fiunt, quæ vetera fuerunt„ *Et mox:* „Huc accedit ad comparandam lætitiam, quod co„gitamus, & conſideramus, de qua erroris morte „in vitam fidei tranſeat homo: & ſi vicos civitatis „uſitatiſſimos cum benefica hilaritate tranſimus, „quando alicui forte, qui errando laboraverat, de„monſtramus viam, quanto alacrius, & cum gau„dio majore in doctrina ſalutari etiam illa, quæ „propter nos retexere non opus eſt, perambulare „debemus, cum animam miſerandam, & errori„bus ſæculi fatigatam per itinera pacis ipſo, qui „nobis eam præſtitit, jubente deducimus?„

Reverentia, & honor auditoribus exhibendus.

Hæ tam neceſſaria eſt, ac benevolentia, quæ ſecus facillime amittitur. Quod ſi externi quoque

que in ea re tam delicati fuere, ſi voluerunt, ſapientem revereri occurſum hominum, etſi non reformidaret: ſi in vitæ ſanctitate ſumma comitatem parem exegerunt, ſi inſectari nos vitia, non homines, nec caſtigare errantes, ſed emendare voluerunt *: quanto magis Patribus id faciendum fuit, qui exempla Domini propoſita habebant, neque ignorabant, tanto magis percelli peccatorem, quanto pauciores videt ex præſentibus ſui ſimiles a nobis exiſtimari. Et ſane egregie prorſus id ab eis præſtitum. Nam & ſuſpiciones malas ab auditore arcent, ſpem de illo optimam concipiunt, gratulantur fructum, & emendationem, preces adeo implorant, omnia, quibus merito offendi poſſet, prætermittunt, & quæ ſunt alia ejus generis obſervantiæ teſtimonia.

Quam inſignis illa non amoris ſolum, ſed & honoris ſignificatio eſt, quam apud Chrysostomum *homil.* 3. *in Acta ad calcem* legimus?

„At nullus talis eſt? Utinam non ſit. Cuperem ſane horum nihil ad vos pertinere. Nunc „autem ex verborum ſerie in hos incidimus ſermones. Neque enim quando avaritiam inſectamur, contra vos loquimur: ſed neque contra „unum quidem. Utinam vero hæc pharmaca à „nobis fruſtra parentur. Hæc ſunt Medicorum vota, nihil aliud poſtulantium, quam ut poſt multum laborem, remedia fruſtra parata projiciantur. Hæc & nos optamus, ut verba noſtra fruſtra & in aërem abeant, & verba tantum ſint. „Equidem paratus ſum ad omnia ſuſtinenda, ut „non ſit opus hæc dicere. Quin ſi vultis tacebimus, dum ſilentium ſit ſine periculo. Neque „enim puto quempiam, quantumvis vanæ gloriæ „cupidum, niſi vocet neceſſitas, velle fruſtra ſe „efferre

* Plinius *Libro I. epiſt.* 10.

„efferre (*ad prædicandum*). Concedemus vobis „doctrinam. Hæc quippe major doctrina, quæ fa„ctis docet. Quandoquidem & optimi Medici, „etiamſi ægrorum morbi mercedem ipſis pariant, „malint tamen amicos ſuos bene valere: & nos „cupimus omnes bene valere. Non enim cupi„mus nos probatos eſſe, vos autem reprobos. „Vellem, ſi fieri poſſet, meam erga vos charita„tem ipſis oculis exhibere. Nullus enim poſtea „me redargueret, etiamſi aſpero ſermone uterer. „*Nam fide digniora ſunt vulnera amici, quam ſpon„tanea oſcula inimici.* Nihil mihi carius vobis, „ne ipſa quidem lux. Optarim enim vel millies „excæcari, ſi ſic animas veſtras convertere poſſem. „Sic mihi ſalus veſtra ipſa luce dulcior eſt. Quid „enim proſunt mihi ſolares radii, ſi dolor propter „vos ortus tenebras offundat? Tunc lux bona „eſt, quando cum lætitia prodit: mœrenti quip„pe animæ moleſta eſt. Quod vero non mentiar, „utinam nunquam contingat experimento diſcere. „Ceterum ſi quando contigerit quempiam veſtrum „peccare, dormienti mihi adeſte; pereant ſi non „paralyticis, aut mente captis ſimilis ſim ſecundum „propheticum dictum, *& lumen oculorum meorum „& ipſum non eſt mecum.* Quæ enim nobis ſpes „vobis non proficientibus: quis mœror eſſe poſſit „vobis præclare agentibus? Ceu alis inſtructus vi„deor, cum boni quidpiam de vobis audio. *im„plete gaudium meum.* Hoc ſolum in voto habeo, „quod deſiderem profectum veſtrum: in hoc vero „cum omnibus decerto, quod vos amem, quod „complectar; quia vos mihi omnia eſtis, & pa„ter & mater & fratres, & filii. Ne putetis eo„rum quidpiam, quæ a me dicuntur, ex odio „proficiſci; ſed ad emendationem loquor. Nam „*frater*, inquit, *qui adjuvatur a fratre, quaſi civitas „firma.* Ne igitur indignemini: neque enim ego

„ſer-

„ſermonem veſtrum contemno: ſed vellem a vobis „emendari, vellem diſcere. Omnes enim fratres „ſumus. Unus eſt autem magiſter noſter. Inter „fratres vero par eſt, ut unus præcipiat, alii obtem„perent. Ne igitur indignemini, ſed omnia faci„amus ad gloriam Dei, quia ipſi gloria in ſæcula „ſæculorum amen.„

Idem rurſus admirabile exemplum dat *ad calcem hom.* 4. *in* 2 *ad Theſſalonicenſes* & *homilia* 1. *de Lazaro.* Aliud etiam affert Gisbertus *cap.* 20. ubi ſanctus Doctor erga fœminas, cum maxime reprehendere eas deberet, nihilominus officioſiſſimum ſe oſtendit, atque etiam honoris earum plurimam habet rationem.

Mirifica etiam in eo genere Hieronymi humanitas eſt, cum ſuos inſtruit, & cohortatur, periculum illis oſtentans quidem, ſed ſuſpicionem ne leviſſimam quidem præferens. Sic *epiſt.* 2. *nunc* 52. *ad Nepotianum.*

„Hoſpitiolum tuum aut raro, aut nunquam mu„lierum pedes terant. Omnes puellas, & virgi„nes Chriſti aut æqualiter ignora, aut æqualiter „dilige. Ne ſub eodem tecto manſites, nec in præ„terita caſtitate confidas. Nec ſanctior Davide, „nec Samſone fortior, nec Salomone potes eſſe ſa„pientior. Memento ſemper, quod paradiſi colo„rum de poſſeſſione ſua mulier ejecerit. Ægrotanti „tibi quilibet ſanctus frater aſſiſtat, vel germana, „vel mater, aut probatæ quælibet apud omnes fi„dei. Quod ſi hujusmodi non fuerint conſangui„nitatis, caſtimoniæque perſonæ: multas anus nu„trit Eccleſia, quæ & officium præbeant, & be„neficium accipiant miniſtrando, ut infirmitas quo„que tua fructum habeat eleemoſynæ. Scio quoſ„dam convaluiſſe corpore, & animo ægrotare cœ„piſſe. Periculoſe tibi miniſtrat, cujus vultum frequen-

„quenter attendis. Si propter officium clericatus „aut vidua viſitatur, aut virgo, nunquam domum „ſolus introeas. Tales habeto ſocios, quorum „contubernio non infameris. Si lector, ſi acoly„thus, ſi pſaltes te ſequitur, non ornentur veſte, „ſed moribus: nec calamiſtro criſpent comas, ſed „pudicitiam habitu polliceantur. Solus cum ſola „ſecreto & abſque arbitro vel teſte non ſedeas. „Si familiarius eſt aliquid loquendum: habet nu„tricem, majorem domus, virginem, viduam, vel „maritatam; non eſt tam inhumana, ut nullum „præter te habeat, cui ſe audeat credere. Cave„to omnes ſuſpiciones, & quidquid probabiliter „fingi poteſt, ne fingatur, ante devita. Crebra „munuſcula, & ſudariola, & faſciolas, & veſtes „ori applicitas, & oblatos, ac deguſtatos cibos, „blandasque, ac dulces literulas ſanctus amor non „habet. Mel meum, lumen meum, meum de„ſiderium, omnes delicias, & lepores, & riſu „dignas urbanitates, & ceteras ineptias amatorum „in comœdiis erubeſcimus, in ſæculi hominibus de„teſtamur: quanto magis in monachis, & in cle„ricis, quorum & ſacerdotium propoſito, & pro„poſitum ornatur ſacerdotio? Nec hoc dico, quod „aut in te, aut in ſanctis viris iſta formidem: ſed „quod in omni propoſito, in omni gradu, & „ſexu, & boni, & mali reperiantur, malorum„que condemnatio laus bonorum ſit.„

Et *ad Salvinam epiſt.* 9. *nunc* 79.

„Quæſo te, ne generalia monita, & conveni„ens puellari ſermo perſonæ ſuſpicionem tibi in„juriæ moveant, & arbitreris me objurgantis ani„mo ſcribere, non timentis: cujus votum eſt te „neſcire, quæ metuo. Tenera res in fœminis fa„ma pudicitiæ eſt, quaſi flos pulcherrimus cito ad „levem marceſcit auram, levique flatu corrumpitur, „maxime ubi & ætas conſentit ad vitium, & ma-

„rita-

„ritalis deeſt auctoritas, cujus umbra tutamen uxo„ris eſt.„

Moderatio, & dexteritas in reprehendendo.

Reprehenſione frequenter opus eſſe negarit nemo; quam & externi oratores adhibent, & ſcriptura innumeris locis non ſuadet tantum, verum etiam præſcribit. Ut enim apud ægros, cum cetera non proficiunt, ferrum & ignes arripiunt Medici, ita & hic fieri ab iis oportet, quibus curatio animorum incumbit; hæc enim. Clementis Alexandrini ſimilitudo eſt *, a pluribus deinceps aſſumpta. Injuria ergo de illa homines queruntur. Ut enim alios taceam, præclare Hieronymus *epiſt.* 147 *nunc* 55. dixit: *Putridæ carnes ferro indigent, & cauterio; nec eſt medicinæ culpa, ſed vulneris, cum clementi crudelitate non parcit medicus, ut parcat: ſævit, ut miſereatur.* Porro iſtuc nunc agitur, uti recte, & prudenter id fiat. Fiet autem, ſi primo moderate, ſecundo ſi dextere reprehendas.

Moderate reprehendendum eſt; quod ex tragicis illis clamoribus non ſolum minor fructus, ſed majus ſæpe damnum exiſtat, atque ab irritato ſemel animo nihil fere boni ſperari poſſit. Ut iterum in vulneribus, & morbis ſolet uſuvenire, ubi ſi acria nimis, & vehementia adhibentur, exulcerant magis, quam ſanent læſas partes. Adhæc major eſt oratoris evangelici gravitas, quam ut ſtomachum effundere continenter debeat, id quod tabulis omnibus, imo mulierculis quoque ac pueris ubique in promptu eſt. Ex inſtituto id non profani ſolum, ſed Chrysostomus quoque noſter in *Libro contra gentiles de S. Babyla* pertractat. Item S. Isidorus *Peluſiota L.* 3. *epiſt.* 121. 397. & *Libr.*

* In *Pædagogo cap.* 8.

Libr. 4. *epiſt.* 139. 145. S. Gregorius *Magnus hom.* 11. *in Ezechielem*: item in *Paſtorali*, & in *Libris Moralium* paſſim, aliique complures. *

Quod ſi etiam moderate reprehenduntur peccatores, nihilominus ſemper ſunt nonnulli, qui modum tenuiſſe te negent, & graviſſime læſos ſeſe conquerantur. Ita, ut alios taceam, divo Paciano antiquiſſimo illi, atque facundiſſimo Doctori contigit, qui *initio Parœneſis* ita de talibus loquitur: *Dei refugæ, aut extra Eccleſiam conſtituti etiam exaſperati ſunt caſtigationis injuria, indignati ſcilicet, mores ſuos ab aliquo poſſe reprehendi. Atque ut cœnum ſolet tum maxime fœtere, cum moveas, & incendium tum magis ardere, ſi vertas, & rabies tum vehementius ſævire, ſi provoces; ita illi objurgationis neceſſariæ ſtimulos contrario calce fregerunt, non ſine ſuo quidem malo, & vulnere repugnantes.* Verum ubi iſtuc acciderit divina præcepta nihilo ſegnius exequenda ſunt, & docilium potius ingeniorum, quam contumacium, atque rebellium ratio habenda. Itaque illud ipſum reponas licet, quod idem Pacianus verbis paulo ante laudatis ſubjunxit. *Vos tamen dilectiſſimi! a Domino mementote poſitum: argue ſapientem, & amabit te, argue ſtultum, & odio te habebit. Et iterum: Ego, quos diligo, redarguo, & caſtigo. Atque ideo blandam hujus mei operis, ac ſolicitam diligentiam, & ſecundum Domini voluntatem a me ipſo fratre veſtro, ac ſacerdote ſuſceptam, amorem potius credite, quam rigorem, ſequendo amabiliter, non pertinaciter repugnando.*

Verum

* His adde Giſbertum, qui *cap.* 22. moderatione non contentus ipſam opinionem ſeveritatis amotam cupit, & indulgere nos jubet, quantumque licet, obſecundare, & de ipſo etiam jure aliquid concedere.

Verum ne in communem hunc locum longius exſpatiemur, ſatius fuerit ad exempla ipſa tranſire.

S. Chysostomus ſiquis alius vehemens, & concitatus, plerumque tamen mirabili artificio acorem illum oleo temperat, & ſeveritatem cum lenitate permiſcet. Sic *homilia* 57. *nunc* 56. *in Matthæum*, ſciens plures offendi, ſi de uſuris dicere inciperet, ita rem aggreditur:

„Ne igitur alienas calamitates negotiemur, ne „in lucrum vertamus illa, quæ ad miſericordiam „ſpectant. Scio quidem, multos hæc non liben„ter audire. Sed quid ex ſilentio lucri accederet? „Si taceam, & nemini moleſtiam verbis inferam, „non potero per ſilentium vos a ſupplicio eruere. „Imo hinc omnia contraria eveniunt, ſupplicia au„gentur, atque hujusmodi ſilentii non vos tantum, „ſed ego etiam pœnas darem. Ad quid igitur „verborum adulatio, quando illa ad operandum „nihil juvat, imo etiam nocet? Quod lucrum ver„bo lætitiam, re dolores afferre? aures demulcere, „& animam ſupplicio addicere? Ideo neceſſe eſt „hic dolore, ne illic pœnas demus.„

Brevius, ſed longe etiam ſuavius eſt illud ejusdem Chrysostomi *Tom. III. Montfauconi pag.* 257. Cum enim præmiſiſſet, non perquirendos pauperum mores, ut eleemoſyna erogetur, inducit aliquem, objicientem ſibi locum Apoſtoli, quo hanc legem ferret, ut ſi quis non velit laborare, nec manducet. Ad quod cum acerrimam paraſſet reſponſionem, vide, quomodo rem aggrediatur.

„Cur itaque Paulus, dicet aliquis, Theſſaloni„cenſibus hanc legem ferebat, ſi quis non vult „laborare, nec manducet? Ut & tu hæc audias, „& non ipſum tantum, ſed te quoque his Pauli „verbis compelles. Pauli quippe leges non pau„peribus tantum, ſed etiam nobis poſitæ ſunt. Di„cam aliquid onerosum, & moleſtum: ſcio fore,

„ut vos ſuccenſeatis: attamen dicam: non enim „ut offendam, ſed ut emendem, dico. Illis otium „objicimus, rem ſæpe venia dignam: nos autem „ea perpetramus, quæ otio longe graviora ſint. „. . . Tu quidem ſæpe diem in theatris tranſigens, „vel in conſeſſibus, colloquiisque, ex quibus ni„hil accedit lucri, multis obloqueris, nihilque mali „te facere, nec otioſum eſſe putas: hunc vero „miſerum & ærumnoſum, qui in precibus, lacri„mis, milleque ærumnis toto die verſatur, damnas, „ad tribunal trahis, de eoque rationes expoſcis? „Hæccine quæſo humani ſunt animi? Igitur quando „dicis: quid dicemus Paulo: tu ea ipſa tibi, non „pauperibus dicito. Alioquin vero ne minas ejus „tantum legas, ſed & veniam quoque. Nam qui „dicit: Si quis non laborat, nec manducet, ad„jecit: Vos autem fratres, nolite deficere bene „facientes.„

Et *Homil.* I. *in ad Philœm. in Morali*, cum oſtendiſſet nos magis homines, quam Deum revereri.

„Viden, ut nos Deo homines anteferamus: Gra„ve dictum eſt, & moleſtum: ſed oſtendite, quod „moleſtum ſit; ab ipſo opere fugite. Quod ſi „opus illud non timetis, quomodo vobis credam „dicentibus: verba hujusmodi metuimus, nosque „aggravas? Imo ipſi vos opere aggravatis, & ni„hil curatis. Atque ſi verbis dicam, quæ vos ope„re facitis, indignamini: id vero quomodo non „abſurdum fuerit? Utinam mendacium eſſent illa, „quæ nunc dico! Mallem ego in illa die mihi di„cam impingi, quod vos temere & fruſtra crimi„natus ſim, quam vos videre his de rebus accuſa„tos. Non modo autem homines Deo præfertis, „ſed etiam alios id facere cogitis. Plurimi pluri„mos ſervos, etiamque filios coëgerunt. Alii ad

„nupti-

„nuptias traxerunt invitos: alii ad miniſteria turpiſſima, & ad amorem execrandum, rapinas, violentos actus; ita ut duplex ſit crimen; ut non jam ex neceſſitate poſſit illis venia concedi. Nam etſi invitus mala operaris, & ex principis juſſu, hæc ſane non idonea eſt excuſatio, imo gravius ſit peccatum, cum cogas illos in eadem incidere. Quæ enim hujusmodi homini ſperanda venia eſt? Hæc dixi, non vos condemnare volens, ſed ut oſtenderem, quantum Deo debitores ſimus. Nam ſi, cum hominem pari honore proſequimur, atque Deum, Deo contumeliam facimus, multo magis cum homines ipſi præferimus. Si vero peccata contra homines admiſſa, ſi contra Deum fiant, longe majora ſunt, quanto magis cum peccati illius genus & majus, & gravius eſt? Examinet quiſpiam ſe ipſum, & videbit, ſe omnia propter homines facere. Beati admodum eſſemus, ſi ea propter Deum faceremus, quæ propter homines, & ad hominum gloriam nobis conciliandam, quæ ex metu, quæ ad honorem facimus. Si tot ergo ſimul malis obnoxii, debemus cum omni animi alacritate veniam largiri iis, qui nos injuſte lædunt, & noſtra rapiunt; nec injuriarum recordari. Hæc namque via eſt ad peccatorum remiſſionem, quæ nec laboribus, nec pecuniæ expenſis eget, neque alio quopiam, niſi ſolum arbitrii voluntate. Non opus eſt peregrinationem ſuſcipere, neque in remotiſſimam regionem ire, non pericula & ſudores ſubire, ſed velle tantum. Quam ergo quæſo te, veniam habituri ſumus in rebus difficilibus, quando leve opus, & tanti lucri atque utilitatis, nulliusque laboris, tamen non facimus? &c.„ Quibus ſane quam amanter temperat reprehenſionem, tam ſcite ad propoſitum de danda venia convertit.

Elegans etiam eſt illud HIERONYMI *epiſt.* 4. *nunc* 125. *ad Ruſticum.*

„Scio me offenſurum eſſe quam plurimos, qui „generalem de vitiis diſputationem in ſuam referunt contumeliam, & dum mihi iraſcuntur, ſuam „indicant conſcientiam, multoque pejus de ſe, „quam de me judicant. Ego enim neminem no„minabo, nec veteris comœdiæ licentia certas per„ſonas eligam, atque perſtringam. Prudentis viri „eſt, ac prudentium fœminarum diſſimulare, imo „emendare, quod in ſe intelligant, & indignari „ſibi magis, quam mihi, nec in monitorem ma„ledicta congerere, qui etſi iisdem teneatur crimi„nibus, certe in eo melior eſt, quod ſua ei ma„la non placent„

Quæſo te, quisquis hæc legis, num præmiſſo ejusmodi exordio ſuccenſere potes, ſi ad reprehenſionem tuam acrius aliquid ſubjiciatur?

Innumera vero alia apud CYPRIANUM quoque, LACTANTIUM, ATHANASIUM, PACIANUM, NAZIANZENUM, AMBROSIUM, ISIDORUM PELUSIOTAM, SALVIANUM, BERNARDUM reperire eſt, qui cum in reprehendendo paſſim verſentur, evangelicam tamen lenitatem, & prudentiam ubique retinent. Ipſe HIERONYMUS, ex quo paulo ante exemplum dedimus, alias omnium acerrimus, cum maxime quosdam perfricuit, habet tamen non pauca, quæ reverſos ad ſe delinire rurſum poſſint. Porro omnes hac in parte AUGUSTINUS ſuperat, vel inter pugnandum ſuavitatis ſuæ retinentiſſimus, nec raro pro ipſis injuriis non niſi blanditias, atque illecebras reponens.

Poſtquam de *moderata* reprehenſione diximus, ſupereſt, ut de *dextra* quoque tantiſper dicamus. Hanc autem intelligo, quæ præter ipſam moderationem, ac veluti temperamentum quoddam ingenium quoque, & artes norit adhibere, nihil di-

verſas ab iis, queis benevolentiam debere conciliari, ſupra oſtendimus. Ad duo autem capita revocari illæ poſſunt. Primum eſt, ut tempus ac locus obſerventur; clarius dicam, ut opportunitatis quam maxima ratio habeatur in reprehendendo. Atque iſtuc cum alii Patres ſæpiſſime, tum inſigniter divus GREGORIUS obſervavit, exemplo Apoſtoli adducto, per judicium & regnum Chriſti teſtificantis, ut prædicemus verbum, & inſtemus opportune, importune. Quibus ille verbis hæc ſubjungit *Paſtoral. part. II. c. 4. Dicturus importune, præmiſit opportune; quia ſcilicet apud auditoris mentem ipſa lux utilitate ſe deſtruit, ſi habere importunitas opportunitatem neſcit.* Quia vero de opportunitate, quam Patres obſervarunt, jam pluribus eſt actum, nunc iſtuc unice hoc loco repetimus, ut cum eam ſemper ſpectari oporteat, hic præcipue cura ſumma attendatur.

Alterum, quod dexteritatem in reprehenſione attinet, ingenium ſcilicet, & artes quædam, rurſum luculenter GREGORIUS explicavit, illud admonens: ut palpentur nonnihil, & laudibus, aliisque, quorum mentio delectet, præmiſſis velut delinientur auditores *. „Conſiderandum vero eſt, inquit, „quod plerumque elatos utilius corripimus, ſi eorum correptionibus quædam laudum fomenta „miſceamus. Inferenda namque ſunt illis aut talia „bona, quæ in ipſis ſunt, aut dicendum, certe „quæ poterant eſſe, ſi non ſunt: & tunc demum „referanda ſunt mala, quæ nobis diſplicent, cum „prius ad audiendum eorum placabilem mentem „fecerint præmiſſa bona, quæ placent. Nam & „equos indomitos blanda prius manu tangimus, „ut eos nobis plenius poſtmodum etiam per flagella ſubigamus: & amaro pigmentorum poculo

 „mel-

* Ibidem *part. II. cap. 1. admonit. 18.*

„mellis dulcedo adjungitur, ne ea, quæ ſaluti „profutura eſt, in ipſo guſtu aſpera amaritudo ſen„tiatur. Et dum guſtus per dulcedinem fallitur, „humor mortiferus per amaritudinem vacuatur. „Ipſa ergo in elatis invectionis exordia permixta „ſunt laude temperanda, ut dum admittunt favo„res, quos diligunt, etiam correptiones recipiant, „quas oderunt &c. „ *Quod exemplo Apoſtoli eleganter declarat his verbis* *: „Ecce Paulus Corinthios „docens, eosque in culpa diviſionis aſpiciens exor„ſus eſt dicens: Gratias ago Deo meo ſemper pro „vobis, in gratia Dei, quæ data eſt vobis in Chri„ſto Jeſu, quia in omnibus divites facti eſtis in illo. „Multum profecto laudavit, quos in Chriſto divi„tes in omnibus dixit. Et ecce adhuc blandimenta „multiplicat, dicens: In omni verbo, & in omni „ſcientia, ſicut teſtimonium Chriſti confirmatum „eſt in vobis. Teſtimonium Chriſti confirmatum „eſt in vobis, dixit, ac ſi opere peregiſſent, quod „doctrina didicerant. Et mox in laudis conſum„matione ſubjunxit: Ita ut nihil vobis deſit in ulla „gratia, expectantibus revelationem Domini noſtri „Jeſu Chriſti. Quæſo te Paule, iſtis tot favoribus „jam quo tendas, inſinues. Et ecce paulo poſt ſe„quitur: Obſecro vos autem fratres per miſericor„diam Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut idipſum di„catis omnes, & non ſint in vobis ſchismata. Si„gnificatum eſt enim mihi de vobis fratres mei, ab „his, qui ſunt cloës, quia contentiones inter vos „ſunt. De quibus contentionibus paulo poſt ſub„didit, dicens: Cum enim ſit inter vos zelus, & „contentio, nonne carnales eſtis, & ſecundum „hominem ambulatis. Ecce quibus laudibus ad „aperta correptionis verba deſcendit! Ecce in cor„de audientium quam blanda favoris manu viam „diſtri-

* *Libro XXIV. Moral. c. 9.*

„diſtrictæ increpationis aperuit! Prius namque ſu„perborum brachia ſtuduit per blandimentorum „vincula religare, ut poſtmodum potuiſſet vulnus „ſuperbiæ ferro correptionis incidere. Erant pro„fecto in Corinthiis,& quæ laudari debuiſſent, erant, „& quæ argui. Peritus itaque medicus prius ſana „membra, quæ circa vulnus erant, laudando pal„pavit, & poſtmodum putridum ſinum vulneris „feriendo transfixit.„ Ita Gregorius, cui addere alios quam plurimos liceret Græcos, atque Latinos, verum ego omiſſis illis ſpecimina potius adſcribo.

Illud Chrysostomi *hom.* 44. *in Acta* tam eſt excellens, ut aliud in contentionem cum eo venire vix poſſit, Sic autem habet.

„Nocte, & die non ceſſavi, inquit, cum lacri„mis monens. Hæc nobis jure dicantur. Vide„turque proprie ſermo doctores ſpectare: eſt autem „& diſcipulis communis. Ad quid enim ego lo„quor, moneo, lacrimor die, ac nocte, ſi diſci„pulus non obtemperat? Ne putet enim quis, id ſa„tis eſſe ad defenſionem, quod ſit diſcipulus, licet „non pareat, ideo poſtquam dixit, *teſtificor*, per„git, *non enim ſubterfugi*, *quo minus annuntiarem* „*vobis*. Igitur hoc ſolum doctoris eſt annuntiare, „prædicare, docere, non ſubterfugere, nocte, & „die annuntiare. Cum autem his peractis, nihil „plus agitur, ſcitis, quid reliquum ſit. Deinde „alia ſequitur defenſio: *Purus ſum a ſanguine om*„*nium*. Ne putetis vero hæc nobis tantum dici; „nam vos etiam hic ſermo ſpectat, ut dictis atten„datis, ut ne a concione recedatis. Quid faciam? „Ecce quotidie clamando dirumpor: *Abſcedite a thea*„*tris*, & multi nos irrident. *Abſtinete a juramen*„*tis*, *ab avaritia*. Innumera monemus, & nemo „audit. At noctu hoc non ago? Vellem etiam „noctu hoc facere, & ad menſas veſtras, ſiquidem „liceret, & dum a plurimis diviſim detineor, ad-

„eſſe, & vos alloqui. Sed ſi vel ſemel in hebdo-„mada vos vocemus, ſegnes eſtis. Et alii quidem „non venitis: alii vero nihil lucri referentes abitis. „Quid non faceretis, ſi frequentius hoc ageremus? „Quid faciemus? Multi, ut bene novi, nos irri-„dent, quod de iisdem ſemper ſermonem habea-„mus: ita ſumus in faſtidio. Hujus autem rei non „nos in cauſa ſumus, ſed auditores. Nam qui be-„ne agit, ſemper gaudet, eadem ipſa audiens, ac „ſi laudes ſuas audiret: qui vero non vult recte „agere, moleſtia ſe impeti putat, & ſi bis ſolum „audiat, ſæpius audiſſe ſibi videtur. *Mundus ſum,* „inquit, *a ſanguine omnium.* Hoc dicere Paulo „competebat; nos autem id proferre non audemus, „quod multorum nobis conſcii ſimus. Ille quippe, „qui ſemper vigilabat, & adſtabat, qui omnia pro „ſalute diſcipulorum ſuſtinebat, id congruenter „dicere poterat: nos autem illud Moyſis dicemus: „*Iratus eſt mihi Dominus propter vos; quia in multa* „*peccata adducitis etiam nos.* Cum autem animo „deficimus, videntes, vos nihil proficere, an non „major pars virium noſtrarum concidit? Quid „enim, quæſo factum eſt? Ecce per gratiam Dei „nos triennium jam habemus, non quidem nocte, „& die hortantes, ſed poſt tres ſæpe dies, aliquan-„do poſt ſeptem hoc facientes. Quid amplius fa-„ctum eſt? Objurgamus, increpamus, lacrima-„mur, dolemus, etſi non palam, at in corde. „Illæ autem lacrimæ his multo leviores ſunt. Illæ „namque aliquem dolentibus afferunt conſolatio-„nem, hæ vero dolorem augent, & conſtringunt. „Sic quando quis in mœrore degit, nec poteſt do-„lorem efferre, ne videatur vanam gloriam appe-„tere, majora patitur, quam ſi illum efferret. Niſi „quis me putaret popularem auram captare, quoti-„die me videres fontes lacrimarum emittere. Ha-„rum vero conſciæ ſunt domuncula, & ſolitudo.

„Cre-

„Credite namque mihi, de ſalute mea deſperavi;
„& dum veſtra lugeo, non ceſſo etiam mala mea
„plangere. Sic vos mihi omnia eſtis. Si ſentiam
„virtutem veſtram augeri, præ voluptate mala mea
„non ſentio: ſin nihil proficere videam, præ mœ-
„rore rurſum mea miſſa facio. Lætus quidem ſum
„de bonis veſtris, licet mille malis onuſtus: mœ-
„ſtus de triſtibus, quæ vobis accidunt, etſi innu-
„mera eſſent præclare geſta mihi. Quæ ſpes enim
„Doctori grege corrupto? qualis vita? qualis ex-
„pectatio? cum qua fiducia ſtabit ante Deum? quid
„dicet? Ponamus enim ipſum non reprehendi,
„neque pœnas dare, ſed eſſe mundum a ſanguine
„omnium: ita quoque incurabilia patietur. Quia
„licet patres pro filiis non incuſandi ſint, tamen
„dolent, & cruciantur. Nihilne, inquies, ipſis
„prodeſt, vel patrocinatur, quod ipſi vigilent pro
„animabus noſtris? Sed vigilant ut rationem red-
„dituri, quod quibusdam videtur eſſe terribile:
„mihi autem hoc curæ non eſt: ſi vos pereatis.
„Dem, non dem rationem de vobis, id me non ju-
„vat. Utinam vobis ſalutem nactis dem ego de vo-
„bis rationem, & accuſer, quod officium meum
„non impleverim. Non enim ita curo, ut per
„me vos ſervemini, ſicut curo, ut a quocunque
„ſervemini. Non noſtis ſpiritualium patrum tyran-
„nidem, quomodo is, qui ita parturit, millies in
„fruſta concidi peroptat potius, quam unum ex
„genitis perire, vel corrumpi videat. Undenam
„id vobis perſuadebimus? Non alio certe modo,
„quam ex iis, quæ vobis contingunt, abſolvemur.
„Poſſumus & nos dicere, nos nihil ſubterfugiſſe:
„attamen dolemus; & quod doleamus, hinc pa-
„lam eſt, quanta moliamur, & excogitemus.
„Etſi potuiſſemus dicere, quid mihi curæ eſt, ego,
„quod meum erat, feci, ego mundus ſum a ſangui-
„ne: at hoc non ſufficit ad conſolationem. Si poſ-

„ſet cor noſtrum diſcindi, & patere, videretis vos „omnes illic eſſe in magna latitudine, mulieres, fi„lios, viros, Tanta quippe eſt charitatis virtus, „animam cælo latiorem reddit: *Capite nos*, inquit „Paulus, *neminem læſimus, non anguſte in nobis eſtis.* „Sed hoc ego dicere non poſſum. Nam bene no„vi, quod vos me diligatis, & capiatis. Sed quid „lucri, vel ex mea, vel ex veſtra charitate, quan„do ea, quæ Dei ſunt, in vobis non recte proce„dunt? Hinc majoris cauſa doloris, majoris perni„ciei occaſio. In nullo poſſum vos incuſare. *Te„ſtor enim vobis, quia ſi fieri potuiſſet, oculos veſtros „eruiſſetis, & dediſſetis mihi.* Viciſſim daremus non „modo Evangelium, ſed etiam animas noſtras. „Amamur, & redamamus: at non hoc quæritur. „Amemus ergo Chriſtum primo. Primum quippe „mandatum eſt: *Diliges Dominum Deum tuum; ſe„cundum autem huic ſimile: & proximum tuum ſicut „te ipſum.* Secundum tenemus, primo nobis eſt „opus. Primo admodum opus eſſet mihi, & vo„bis. Habemus illud, ſed non, ut oporteret. Di„ligamus illum; ſcitis, quanta repoſita ſit merces „iis, qui Chriſtum diligunt. Amemus illum cum „fervore animi, ut ejus benevolentia fruentes præ„ſentis vitæ tempeſtatem fugiamus, & promiſſa di„ligentibus eum bona conſequi dignemur gratia, „& miſericordia unigeniti ejus Filii, quicum Patri, „& Spiritui Sancto ſit gloria &c.„

Huic exemplo neſcio quid addi elegantius poſſit. Sic reprehende, ſic vitia, & errores infectare, & ſatis ſcio, libentius multo es audiendus, quam ſi laudares, ac palpum obtruderes. Et tamen plura ejusmodi reperias apud hunc noſtrum, eaque nove ſemper concepta, & mirabili varietate propoſita. Tale eſt *hom.* 8. *in Acta*, ubi cum ab Eccleſiæ communione repellere eos propoſuiſſet, qui intra menſem illum jurandi conſuetudinem non deponerent,

hanc iniit rationem, uti minus graviter aſperitatem ſuam admitterent.

„Ponamus itaque nobis quotidianas leges, & „a facilibus incipiamus. Juramentorum frequen- „tiam abſcindamus, frœnum imponamus linguæ, „nemo per Deum juret. Nullus hic ſumptus eſt, „labor nullus, non diuturna meditatio; ſufficit „velle, & totum eſt perfectum. Nam conſuetudi- „nis res eſt. Etiam oro, & obſecro, talem curam „adhibeamus. Dic, quæſo, mihi, ſi pecunias in- „ferre juberem, an non ſinguli pro viribus alacriter „conferretis? Si me in extremis periculis videretis, „an non de carne veſtra exciſam partem, ſi fieri „poſſet, daretis? In magno nunc ſum periculo, „ita, ut ſi in carcere eſſem, ſi mille plagas excepiſ- „ſem, ſi in metallis agerem, non magis dolerem. „Manum ergo porrigite: cogitate, quantum ſit „periculum, quod ne vel hoc minimum (minimum „vero dico, quantum ad laborem) poſſitis perfi- „cere. Quid dicam tunc accuſatus? Cur non hor- „tatus es? Cur non præcepiſti? Cur non legem „poſuiſti? Cur non obtemperantes non cohibuiſti? „Non ſatis erit mihi dixiſſe: admonui. At, in- „quiet, vehementiore opus erat increpatione; nam „Heli quoque admonebat (verum abſit, ut vos cum „filiis ejus comparem) ille admonebat, & dicebat: „*Ne filii, ne ſic facitote; malum rumorem ego audio* „*de vobis.* Sed pergens Scriptura dicit, ipſum non „admonuiſſe filios ſuos. Hoc vero dicit; quia non „acriter, non cum increpatione monebat. Quo- „modo enim abſurdum non fuerit, in Synagogis „Judæorum ita ſeveras leges eſſe, etſi, qui docet, „imperet omnia fieri: hic vero nos ita deſpectos „& abjectos eſſe.„

His ubi viam ſibi paulatim præſtruxerat, ita denique ad auſteritatem aſſurgit:

„Non

„Non gloriam meam curo (gloria quippe mea „eſt veſtra probata vita) ſed ſalutem veſtram quæ„ro. Quotidie clamamus, inſonamus in aures ve„ſtras, & nemo eſt, qui audiat; etſi nihil vehe„mentius proferamus. Timeo, ne intempeſtivæ, „ac nimiæ indulgentiæ in futuro illo die rationem „reddamus. Ideo magna, & clara voce omnibus „prædico, & teſtificor, ut qui ſic prævaricantur, „quique ea, quæ Maligni ſunt, loquuntur (hoc „eſt enim juramentum) ne limina eccleſiaſtica „aſcendant. Præſtitutum vero tempus ſit vobis hic „menſis, ut corrigamini.„ Et cætera, quæ iam alibi laudavimus, ſane gravia, ejuſque aſperitatis, qualem vix ſit apud ullum alium reperire. Solum ea, quæ ibi omiſſa ſunt, ſubjicio; clauſulam videlicet inſignis hujus, & celeberrimi loci.

„Ecce, inquit, iterum denuntio, & clara voce „clamo; nemo jocum eſſe putet. Excludam, & „arcebo non obtemperantes: & donec in hoc thro„no ſedebo, nihil illius juſtificationibus præferam. „Si quis me dejecerit, jam non obnoxius ero: do„nec vero obnoxius ſum, non poſſum negligere; „non tam metu ſupplicii, quam propter veſtram „ſalutem, quam admodum cupio. Pro illa cru„cior, & doleo. Sed obtemperate, ut & hic, & „in futuro multam accipiatis mercedem, & ſimul „bonis fruamur æternis gratia, & benignitate uni„geniti Filii, quicum Patri, unaque Spiritui Sancto „gloria, imperium, honor nunc, & ſemper, & in „ſæcula ſæculorum: amen.„

Magis etiam placet, quod *Homilia* 23. *in ad Hebræos* dicit, ſed oppido fuſum eſt. Breve illud *homilia* 11. *in Joannem ſtatim initio*, & iterum *homilia non eſſe ad gratiam concionandum Tomo II. novo pag.* 658.

Ex

Ex Auguſtino admirabile exemplum dedimus libro noſtro ſecundo, ubi de cauſa *epularum Leontinarum.*

S. Bernardus *Sermone* 52. *in Cantica*, cum de quiete Sponſæ inſtituiſſet dicere, orationem eleganter ad ſe deflexit, increpans eos, qui continuis interpellationibus turbarent quietem ſuam, hominemque alias occupatum ab oratione avocarent. Quam vero ſuaviter id facit? qua manſuetudine, & charitate retractat, quo artificio corrigit hæc ipſa, quæ ante conqueſtus fuerat?

„Sunt tamen, ait, de hic ſedentibus, qui utinam præſens capitulum attentius obſervarent! cogitarent certe, quanta præpoſitis reverentia debeatur, quos temere inquietando cœli quoque civibus ſe reddunt infeſtos. & nobis forte pluſculum ſolito parcere demum inciperent; nec tam irreverenter, leviterque ſe ingererent, cum vacamus. „Rara ſatis mihi ad feriandum a ſupervenientibus, „ut bene norunt, conceditur hora, etiam cum ipſi „me in omni patientia ſuſtinebunt. Verum ego „ſcrupuloſius moveo iſtiusmodi querelam; ne quis „forte puſillanimis ſupra vires propriæ patientiæ „diſſimulet a neceſſitatibus ſuis, dum me inquietare veretur. Superſedeo igitur, & ne magis impatientiæ exemplum videar dare infirmis. Puſilli „domini ſunt credentes in eum; non patior, ut „ex me ſcandalum patiantur. Non utar hac poteſtate: magis autem ipſi me utantur, ut libet, „tantum ut ſalvi fiant. Parcent mihi, ſi non pepercerint: & in eo potius requieſcam, ſi non me „inquietare timuerint pro neceſſitatibus ſuis. Geram eis morem, quoad potuero, & in ipſis ſerviam Deo meo, quamdiu fuero, in charitate non „ficta. Non quæram, quæ mea ſunt, nec quod „mihi eſt utile, ſed quod multis, id mihi utile judicabo. Hoc ſolum deprecor, ut fiat acceptum

„eis,

„eis, fructuoſumque miniſterium meum, ſi forte „vel ex hoc inveniam in die mala miſericordiam in „oculis patris eorum ſimul & Sponſi Eccleſiæ J. C. „D. N. qui cum eo eſt ſuper omnia Deus benedi„ctus in ſæcula, amen. „

Quod ſpectat opportunitatem in reprehendendo, exempla ſupra dedimus. Paradigma moderationis etiam in eos, a quibus provocati & peſſime proſciſſi ſumus vide apud Gregorios Nazianzenum *orat.* 14. & Nyssenum *orat.* 4. *adverſus Eunomium.*

Cautio in lubricis, & turpibus.

Sunt quædam argumenta, in quibus non poſſit ſatis ſtudii adhiberi, ne impingamus. Sunt autem potiſſimum illa, quæ pudorem lædunt, quæ veriſimilitudinem non habent, aut atrox aliquid, & abſurdum. In his, & ſimilibus conſilio utitur omnis orator, adhibet cautionem, & providet ante, ne temere in cauſam irrumpat, excidantque ipſi quædam, quæ ut maxime dein velit, non poſſit tamen retractare. Monet Cicero, & ſapienter monet, auditorum animos gravius interdum commoveri in eos, qui turpia facta manifeſte recitant, quam in eos, qui ea commiſerunt. Atque iſtuc de ceteris quoque dici aliqua ratione poteſt, quamquam & propius & frequentius periculum ex fœditate exiſtit. Ibi enim & delicati quidam offenduntur facillime, vel offendi ſe ſimulant, & orator magis indicare videtur, quid poſſint auditores facere, quam quid debeant omittere. Veniunt certe in cognitionem multorum, quæ ignorare ſatius eſſet, ſicque velut dormientes exſuſcitantur, imprudenter depulſo ſopore illo tam ſalutari. Atque iſtuc Patres ſæpe admonent. Quos inter Hieronymus *epiſt.* 22. *ad Euſtochium: Melius eſt*, inquit, *aliquid neſcire ſecure, quam cum periculo diſcere.*

S. Pa-

S. Pacianus laudatiſſimum opus ediderat, quod *Cervulum* dixit, ludi genus quoddam peſtilens, & ſcandalis pluribus conjunctum. Verum tantum non pœnituit ſcriptionis ejus, metuentem ſcilicet, ne plures ex integris illa ſauciaret, quam ſanaret ex ægris. Quare proxima parænesi de peccatis, & pœnitentia dicturus, ita præcavit. *Unum illud vereor dilectiſſimi, ne ſolitæ contrarietatis adverſis, inculcando, quæ fiunt, admoneam magis peccata, quam reprimam: meliusque fuerit attici Solonis exemplo tacere de magnis ſceleribus, quam cavere; eo usque progreſſis noſtratium moribus, ut admonitos ſe exiſtiment, cum vetantur. Hoc enim puto proxime* Cervulus *ille profecit, ut eo diligentius fieret, quo impreſſius notabatur: & tota illa reprehenſio dedecoris expreſſi, ac ſæpe repetiti non compreſſiſſe videatur, ſed erudiiſſe luxuriam. Me miſerum! quid ego facinoris admiſi! Puto, neſcierant* Cervulum *facere, niſi illis reprehendendo monſtraſſem.*

Cum ergo tale quid occurrit, magna ſane Patrum proviſio, ac ſapientia eluxit tegendo quædam, quæ magis irritarent, eas adhibendo voces, quas ii, quorum intererat, ſoli intelligerent, quædam vero omnino non dicendo, ſed ſuſpicione injecta illico veluti pedem retrahendo. Id quod ſcilicet profani ipſi faciendum admonuere. Vide Quintilianum *Libr. IX. c.* 2. ubi in delicatioribus ejusmodi cauſis operam dare jubet, ut per quamdam ſuſpicionem, quod non dicimus, accipiatur. Et iterum, ut rebus ipſis perducamus auditorem ad ſuſpicionem, & amoliamur cetera, ut hoc ſolum ſuperſit. In quo, addit, multum etiam affectus juvant, & interrupta ſilentio dictio, & cunctationes. Sic enim fiet, ut auditor quærat illud neſcio quid, quod ipſe fortaſſe non crederet, ſi audiret, & ei, quod a ſe inventum exiſtimat, credat. Sed rem iſtam melius ſpecimina declarabunt.

S. Am-

S. Ambrosius cum *Libro* 1. *de Virginibus cap.* 6. incommoda mulierum cum commodis virginum compararet, ne apud maritos, quod pronifſimum erat, forte impingeret, ſic loquitur:

„Quid ergo famulatus graves, & addicta viris „ſervitia replicem fœminarum, quas ante juſſit „Deus ſervire, quam ſervos? Quæ eo proſequor, „ut indulgentius obſequantur: quibus hoc, ſi pro„bæ ſunt, merces eſt charitatis: ſi improbæ, pœ„na delicti. „

Idem *epiſtola nunc* 18. *alias* 31. *&* 12. *ad Valentinianum Imperatorem*, oſtendens iniquiſſimam petitionem Gentilium, qui Sacrificulis ſuis privilegia vendicare vellent, cum ipſorum Chriſti Sacerdotum ex nuperis Imperii legibus longe deterior conditio eſſet, idque aſtute, & curſim exprobrans, ut ne Imperatori, cujus tum gratia erat opus, bilem moveret, ita concludit:

„Quod ego non, ut querar, ſed ut ſciant, „quid non querar, comprehendi. Malo enim, „nos pecunia minores eſſe, quam gratia. „

S. Chrysostomus *homil.* 16. *in* 1. *ad Theſſalonic.* comparatione inſtituta inter id, quod nobis ſervi præſtare debent, & quod nos Domino Deo præſtamus, eadem cautione utitur, ne dominos, dominasve offenderet:

„Hæc dico, non ut domeſticos ſupinos reddam, „ſed ut ſupinum animum convertam, ut negligen„tiam excitem, ut vel ſic ſerviamus Domino, ſicut „famuli nobis ſerviunt, ſic illi, qui nos efforma„vit, ut nobis, qui ejusdem ſunt ſubſtantiæ, & „cum nihil tale a nobis acceperint &c.„

S. Hieronymus *Dialogo adverſ. Luciferian. verſus finem*, cum ſermonem de Lucifero Calaritano, ſchismatis auctore, evitare non poſſet, ita ſapientiſſime ſuper rebus ejus reſpondet:

„Ven-

„Ventum eſt ad aſperrimum locum, in quo ad„verſum voluntatem, & propoſitum meum cogor „de beato Lucifero ſecus quidquam, quam ut illius „meritum, & mea humanitas poſcit, exiſtimare. „Sed quid faciam? Veritas os reſerat, & invitam „linguam conſcium ad eloquendum pectus impel„lit. In tali articulo Eccleſiæ, in tanta rabie lupo„rum ſegregatis paucis ovibus, reliquum gregem „deſeruit, bonus quidem ipſe paſtor, ſed multam „prædam beſtiis relinquens. Prætereo illa, quæ „quidam ex maledicis, quaſi ſatis firma defendunt, „hoc illum amore gloriæ, & nominis in poſteros „transmittendi feciſſe, nec non & pro ſimultate, „quam adverſus Euſebium propter Antiochenam „diſſenſionem ſuſceperat. Nihil iſtorum de tali viro „credo; unum eſt, quod etiam in præſenti con„ſtanter loquar, verbis eum a nobis diſſentire, non „rebus.„ Hiſtoriæ ejus periti me non admonente per ſe ipſi vident, quam ſingulari cautione, quam oratorio ingenio in lubrica, & invidioſa cauſa verſatus ſit Hieronymus.

Quod ſi ad ſpurcitias quoque tranſeundum nobis, & lutum calcandum ſit, habemus exempla admiranda ſummorum oratorum Ambrosii, Chrysostomi, Hieronymi, Augustini, Salviani & aliorum, qui ſane inſigniter oſtenderunt, quantum hac in parte delicatis auribus dandum, negandumve eſſet.

Et Ambrosius quidem *Libro II. de Virginib. cap.* 4.

„Jam dudum verecundatur oratio mea, & „quaſi adire geſtorum ſeriem criminoſam, atque ex„planare formidat. Claudite aurem Virgines! Du„citur puella Dei ad lupanar. Sed aperite aurem „Virgines! Chriſti Virgo proſtitui poteſt, adulte„rari non poteſt. Ubicunque virgo Dei eſt, tem-

„plum Dei eſt: nec lupanaria infamant caſtitatem; „ſed caſtitas etiam loci abolet infamiam. „

Item *de Lapſu Virgin. conſecrat. cap.* 3.

„Horret, horret animus, mens tabeſcit, cum „ad aditum ſceleris pervenitur. Nam & medicus, „quamvis fortis ſit animo, cum altius tamen ſecat „vulnus, puto ex parte aliqua ſuſtinebit horro„rem. „

Chrysostomus *hom.* 37. *in* 1. *ad Corinthios*, docens, quam parum ſit in venere voluptatis, ſic ſuæ dicendi licentiæ cautum voluit.

„Hæc ſi dicta ſunt apertius, quam par ſit, ne„mo me reprehendat. Nolo enim dicendi gravi„tate ornare orationem, ſed graves, & honeſtos „facere auditores. Propterea Prophetæ quoque „nulli hujuſmodi verbo parcunt, volentes Judæo„rum exſcindere libidinem, & intemperantiam: „ſed eos quoque tangunt apertius, quam nos nunc „in iis, quæ diximus. Medicus enim volens eji„cere putredinem non eo ſpectat, ut mundas con„ſervet manus, ſed ut ægrum liberet a putredine: „& is, qui humilem vult excelſum reddere, ipſe „prius fit humilis: & qui ſtudium ponit, ut occi„dat inſidiatorem, ſe quoque cum illo cruentat; & „hoc ipſum reddit clariorem. Nam ſi a bello re„verſum militem viderit quiſpiam ſanie, ſanguine, „& cerebro reſperſum, & pollutum, non ideo odio „habebit, neque averſabitur, ſed magis etiam ad„mirabitur. Ita nos quoque faciamus, cum vide„rimus quempiam, poſtquam mactarit cupiditatem, „cruentum revertentem, eum magis admiremur, „ſimusque ſocii, ac participes ejus pugnæ, & vi„ctoriæ. „

Idem *Libro III. adverſus oppugnatores vitæ monaſticæ*, cum aperte rem effari deberet, neque tum ſermo ad concionem ſibi eſſet, quam præclare in ſcelus, quod tegere haud poterat, præfatur?

„Sed

„Sed nondum malorum colophonem dixi, nec „calamitatis caput detexi; quod ſæpe dicere aggreſ-„ſus erubui. ſæpe præ pudore deſtiti. Ecquid il-„lud eſt? Audendum enim jam, & dicendum eſt. „Magnæ quippe ignaviæ id eſſet, ſi quid mali reſe-„care cupientes, ne mutire quidem ſuper illo au-„deremus, ac ſi ſilentium ægritudinem ultro ſana-„turum eſſet. Ne taceamus igitur, etiamſi millies „erubeſcendum ſit. Neque enim medicus, cum ab-„ſtergenda putredo fuerit, ferrum arripere dubita-„bit, & ad ipſum vulneris fundum digitos immit-„tere. Nec nos igitur de hiſce verba facere recuſa-„bimus, quantumcunque moleſtior ſit putredo. „Quod ergo tandem iſtud malum eſt? Amor qui-„dam novus, ac nequiſſimus in noſtrum ſæculum „irrupit, morbus irruit graviſſimus, & incurabilis, „peſtis omnium peſtium teterrima, novum & into-„lerandum ſcelus excogitatum eſt. Non enim ſcri-„ptæ modo, ſed naturales ipſæ leges evertuntur. „Parva res jam eſt ad impudicitiæ rationem fornica-„tio: ac quemadmodum in doloribus, qui violen-„tior ſupervenit, prioris ſenſum obruit, ſic & hu-„jus contumeliæ magnitudo non permittit, ut quod „vere intolerabile eſt, jam intolerabile videatur, „obſcœna nempe cum mulieribus libido. Optan-„dum enim videtur poſſe hujusmodi retia effugere, „periculumque eſt, ne ſexus muliebris jam ſuper-„fluus efficiatur, adoleſcentibus vices ejus omnes „implentibus. Quod graviſſimum ſane eſt; ſed „longe atrocius, quod res tam execranda ingenti „cum audacia perpetretur, ita ut facinus adeo ille-„gitimum in legem tranſierit. Nemo jam metuit, „nemo perhorreſcit, nemo veretur, aut erubeſcit; „ſed quaſi de re bene geſta ridetur: ipſi temperan-„tes inſanire videntur, & monitores furere; qui ſi „imbecilliores fuerint, verberibus afficiuntur; ſin „potentiores, irridentur, illuduntur, ac probris

„reſperguntur innumeris. Nihil jam tribunalia, „nihil leges valent, non pædagogi, non patres non „aſſeclæ, non magiſtri. Alii enim pecuniis corru-„pti ſunt, alii id ſolum curant, ut merces ſolvatur. „Ex iis vero, qui frugi ſunt, & ſibi concreditorum „ſaluti proſpiciunt, alii facile circumveniuntur, ac „decipiuntur, alii impudicorum potentiam refor-„midant. Facilius enim elabatur, qui in affectatæ „tyrannidis ſuſpicionem venerit, quam ipſorum „manus effugiat, qui pueros ab execrandis illis ho-„minibus abducere tentaverit. Sic mediis in urbi-„bus, quaſi in vaſta ſolitudine maſculi in maſculos „turpitudinem exercent.„

S. Hieronymus *Libro* I. *adverſus Jovinianum* coactus a ſpurciſſimo hæreſiarcha ad argumentum ſatis lubricum reſpondere, ita rem aggreditur:

„Et cur, inquies, creata ſunt genitalia, & ſic „a conditore ſapientiſſimo fabricati ſumus, ut mu-„tuum noſtri patiamur ardorem, & geſtiamus in „naturalem copulam? Periclitamur reſponſionis ve-„recundia, & quaſi inter duos ſcopulos, & quaſ-„dam neceſſitatis, & pudicitiæ συμπλήγαδας hinc, „atque inde vel pudoris, vel cauſæ naufragium ſu-„ſtinemus. Si ad propoſita reſpondeamus, pudore „ſuffundimur: ſi pudor imperavit ſilentium, quaſi „de loco videbimur cedere, & adverſario feriendi „occaſionem dare. Melius eſt tamen clauſis, quod „dicitur, oculis Andabatarum more pugnare, quam „directa ſpicula clypeo non repellere veritatis.„ Quo præmiſſo, demum ad odioſam eam cauſam accedit.

S. Augustinus *Libro XIV. de Civit. cap.* 23. cum adactus eſſet dicere, unde impotentia mentis, & œſtrum, quo agitantur omnes, quicunque libe-ris dant operam; atque etiam admonuiſſet, in ſta-tu innocentiæ nihil inhoneſti in eo opere fuiſſe fu-turum; luculentum ſane paradigma dat, ad cujus

imita-

imitationem argumenta hæc tractemus, quoties illud ſeu neceſſitas aliqua, ſeu utilitas imperarit:

„Quod modo, inquit, de hac re nobis volen„tibus diligentius diſputare, verecundia reſiſtit, & „compellit, veniam honore præfato a pudicis auri„bus poſcere, cur id fieret, nulla cauſa eſſet: ſed „in omnia, quæ de hujusmodi membris ſenſum „cogitantis attingerent, ſine ullo timore obſcœni„tatis liber ſermo ferretur, nec ipſa verba eſſent, „quæ vocarentur, obſcœna: ſed quidquid inde di„ceretur, tam honeſtum eſſet, quam de aliis cum „loquimur corporis partibus. Quisquis ad has „literas impudicus accedit, culpam refugiat, non „naturam: facta denotet ſuæ turpitudinis, non ver„ba noſtræ neceſſitatis, in quibus mihi facillime pu„dicus, & religioſus lector, vel auditor ignoſcet, „donec infidelitatem refellam, non de fide rerum „inexpertarum, ſed de ſenſu expertarum argumen„tantem. Legit enim hæc ſine offenſione, qui „non exhorret Apoſtolum horrenda fœminarum fla„gitia reprehendentem, quæ *immutaverunt natura„lem uſum in eum uſum, qui eſt contra naturam*; „præcipue quia non damnabilem obſcœnitatem „nunc, ſicut ille commemoramus, atque reprehen„dimus, ſed in explicandis, quantum poſſumus, „humanæ generationis affectibus, verba tamen, „ſicut ille, obſcœna devitamus.„

Salvianus *Libro VI. de gubernatione* ad theatri ſpurcitias delapſus, ita dexteritate ſingulari commemorationem earum declinavit:

„Explicare vero ea quispiam, atque eloqui ſal„vo pudore non valeat. Quis enim integro ve„recundiæ ſtatu dicere queat illas vocum, ac ver„borum obſcœnitates, illas motuum turpitudines, „illas geſtuum fœditates, quæ quanti ſint criminis „vel hinc intelligi poteſt, quod & relationem ſui „interdicunt. Nonnulla quippe etiam maxima ſce-

„bera incolumi honeſtate referentis & nominari „& argui poſſunt, ut homicidium, latrocinium, „adulterium, ſacrilegium, ceteraque in hunc mo- „dum: ſolæ theatrorum impuritates ſunt, quæ ho- „neſte non poſſunt vel accuſari. Ita nova in co- „arguenda harum turpitudinum probroſitate res „evenit arguenti, ut cum abſque dubio honeſtus „ſit, qui accuſare ea velit, honeſtate tamen inte- „gra ea loqui, & accuſare non poſſit.„

RADULPHUS quoque FLAVIACENSIS, *Niger* dictus, eos, qui turpibus in *Levitico* expreſſis offenderentur, ita nervoſe, & eleganter incuſat:

„Nos temeraria præſumptione arguimus lumen, „quod nos ipſos nobis oſtendit. Arguimus verbum „Dei, quod ſine ſuo vitio noſtra vitia reprehendit. „Quid agis humana ſuperbia? Tantæ ſunt ſordes „tuæ! in hac fœces devoluta es, ut ſermo Dei, „qui curam tui ſuſcepit, non aliter ſubvenire ti- „bi poſſet, niſi in ſtercora tua quodammodo ma- „nus mitteret, & ut tibi ſordes detrahat (ſi di- „ci fas eſt) ipſe contraheret. Sicut tamen radius „ſolis incontaminatus cloacas penetrat, ſic ſtylus „Spiritus Sancti propter ſuam munditiam ubique „attingit, & nihil inquinatum in illum incurrit. „Quod autem ſordeſcere viſus eſt, tibi adſcribe; „tui enim cauſa factum eſt.„

PETRUS BLESENSIS *Libro de Confeſſ. ſacramental. ſub medium:*

„Turpe, exclamat, reputas de tam turpi ma- „teria loqui: ſed turpior eſt infernus. Si fœdus „eſt ſermo, fœdius eſt putreſcere in peccato. „Numquid audebis facere, & ego illud dicere „non audebo? Teſtis in cœlis Deus, etiam con- „ſcius in excelſis, quod zelo, & ſitio ſalutem „animæ tuæ, & tota hæc exhortatio mea proce- „dit ex medullis animæ, & adipe charitatis.„

Addi poſſunt, quæ S Epiphanius fuſo, ſed inſigni loco de plusquam brutis libidinibus infamium Gnoſticorum *hæreſi* 26. S. Chrysostomus *homil.* 5. *in* 1. *ad Theſſalon:* S. Bernardus *in Epiſtolis* quibusdam, & iis, quæ ad emendationem Clericorum pertinent: Joannes Saresberiensis *epiſt.* 291 commemorarunt. Maxime vero, quæ nos ipſi in Figura Reticentiæ infra afferemus.

Ratio agendi apud infrequentem Auditorem.

Illud quoque oratoris prudentia, & mores requirunt, ut ubi ad paucos dicendum, nihil ea rè turbari ſe ſinat; quando & externi, atque Gentiles in Curia, & coram Judicibus non ſegnius dixerunt, quam ad populum, undique immenſis agminibus confluentem. Jam primo libro dictum eſt, Patres vel infrequenti in concione nihil de fortitudine, nihil de zelo ſuo remiſiſſe. Nunc iſtuc non agimus; ſed id ſpectamus hoc loco, quod illis cum profanis Rhetoribus commune eſt; quam ſcilicet vel hac in parte moratos ſe illi præbuerint, quam nihil contra prudentiam dixerint, fecerintque: ſed hoc ipſum incommodum in rem adeo ſuam converterint. In quo ſane peccant quam plurimi, etſi probi alioquin, & diligentes etiam concionatores. Cum enim vel raros nacti ſunt, qui accedant ad audiendum, vel ipſimet ſolitudinem ex frequentia fecerunt, expoſtulant cum præſentibus, quaſi vero ipſi in cauſa eſſent, qui vel recedentibus ceteris conſtantes manſerunt: dein culpam amoliuntur a ſe, confutant rumuſculos, & ne quid gravius dicam, nihil non agunt eorum, quo iſtos quoque avertant. His itaque exempla Patrum proponimus, ex quibus colligant licet, quæ ſibi ratio tenenda, cum minor, quam vellent, eſt numerus concurſusque Auditorum.

S. CHRYSOSTOMUS *hom. 7. ex 11 ineditis apud Montfauc. Tom. 12.* nihil conqueritur de paucitate ſuorum; ait enim:

„Modicus eſt præſentium conventus; ſed magnum deſiderium; quapropter nec modicus conventus eſt. Neque enim multitudinem corporum quærimus, ſed animum præparatum, mentem alis inſtructam, auditorem terrenis omnibus ſublimiorem. Si vel unus talis ſit, id concionanti ſatis eſſe poſſit.„

Dein allato exemplo Domini, qui dimiſſis diſcipulis & turbis Judæorum ad unam muliерculam exteram, & ſordidiſſimam habuit ſermonem, ſic pergit:

„Si illic una mulier ſufficiens fuit theatrum, multo magis nos tot viros, tot mulieres cernentes, cum alacritate tanta, non ſegnes erimus, ſed conſueta utemur doctrina. Si namque Angelorum Dominus, quem cum honore tremunt Cherubim, non recuſavit meretricem mulierem ſolam alloqui, quam excuſationem, quam veniam aſſequamur, ſi tantum conventum prætercurramus?„

Sed nec alias, cum juſtam haberet indignandi cauſam, auditoribus vel ad ſpectacula dilapſis, vel ex ignavia, atque avaritia domi ſe continentibus, non in præſentes inſurgit, ſed omnibus modis ſtudet, ut horum ope & eos, qui aberant, ad ſe alliciat. Quam belle *homil. 3. ex ineditis*] *Tomo XII. Montfauc.* agit perſonam hanc ſuam?

„Quanto pauciores ſunt ii, qui convenire ſolebant, tanto majore nos utemur alacritate; neque enim æquum fuerit abſentium ignaviam ſtudium noſtrum labefactare, ſed propterea lautiorem apponemus menſam, ut quantum damni paſſi ſint, experimento diſcentes, ſtudioſiores poſtea ſint circa conventus hujusmodi. Ideo charitatem veſtram rogo, dictis attendatis. Sic enim

O „duplex

„duplex vobis lucrum proveniet; abſentibus enim „dicta referentes, ſtudioſiores illos efficietis, animamque veſtram philoſophiæ magis deditam „reddetis.„

Et *homil.* 4. *de Anna.*

„Haud ſcio, quibus verbis debeam uti hodie. „Cum enim videam collectas parum frequentari, „Prophetas affici contumelia, Apoſtolos deſpici, „Patres contemni, eamque contumeliam, qua Ser„vi appetuntur, ad ipſum eorum Dominum pertran„ſire, libet quidem accuſare: ſed eos, qui accu„ſationem hanc audire deberent, non hic video. „Vos ſoli adeſtis, quibus hac admonitione nihil „opus eſt. Verumtamen ne ſic quidem ſilendum „eſt nobis; nam & indignationem, quam nobis mo„verunt, mitigabimus, unaque cum verbis ejicie„mus, & illos ipſos ad ruborem, ac verecundiam „compellemus, tot in eos accuſatoribus immiſſis, „quot nunc auditores eſtis. Si enim veniſſent, no„ſtras ſolum objurgationes audirent, nunc fugitan„tes noſtram increpationem, eadem hæc a vobis au„dituri ſunt omnia &c.„ Cumque præclara multa ad eorum correctionem interjeciſſet, ita ſapientiſſime concludit.

„Equidem poteram hoc exordium ſermonis „diutius extendere; verum quoniam ſcio vos citra „noſtram monitionem, ut vobis dignum eſt, faci„entes, plura etiam dicturos, quam dicta ſint, ne „moleſtus ſim illorum objurgationibus immorando, „reliqua vobis omnia committens ad ſolitam do„ctrinam, & ad hiſtoriam de Anna revertor.„

Pulcrius, ſed & fuſum magis eſt initium *Homil.* 4. *de mutat. nominum Tom. III. Montfauc. pag.* 128. *& ſeq.*

Illud quoque hic revocandum in memoriam, quod ſupra, ubi *de artificio attentionis excitandæ, & conſervandæ,* ex eodem adduximus, facultatem

dediſſe infirmioribus, ut cum longior evaſiſſet oratio, & delaſſatos ſe ſentirent, concione excederent, & domum ſua maxima pace reverterentur.

Denique *Homilia* 8. *in Acta* quam fortiter, & ſapienter oſtendit, modicam ſe multitudinis & frequentiæ rationem habere, ſi non major inde, quam a paucis profectus exiſtat?

„Sed multi, inquies, id non ferentes reſilient? „At melior eſt unus, qui facit voluntatem Domini, quam mille iniqui. Hinc omnia ſubverſa „ſunt; omnia ſus, deque facta ſunt, quia ſicut in „theatris multitudinem deſideramus, non multitudinem probatam. Quid quæſo turba prodeſſe „poterit? Vis diſcere, quod Sancti turbam faciant, „non vero multitudo vulgi? Educite ad bellum „centum myriadas, & Sanctum unum: videamus, „quis plura operetur. Exiit Jeſus Nave ad bel„lum & ſolus omnia perfecit, & alii nihil profuerunt. Multitudo, dilecte, quando voluntatem „Dei non facit, nihil differt ab iis, qui non ſunt. „Precor itaque, & opto, imo libenter me diſcin„di paterer, ut multitudine ornaretur Eccleſia, ſed „multitudine probata. Si autem hoc fieri nequeat: „ut ſaltem pauci probati ſint. An non videtis „melius eſſe unum lapidem pretioſum habere, „quam innumeros obolos? An non videtis melius „eſſe ovem unam ſanam habere, quam millenas „ſcabie plenas? An non videtis melius eſſe, pau„cos habere bonos filios, quam multos improbos? „An neſcitis paucos in regno fore, multos in ge„henna? Quid mihi cum multitudine? Quæ ex „ea utilitas? Nulla: imo potius aliis eſt pernicies. „Idem ipſum eſt, ac ſi cui liceat decem ſanos „habere, vel mille infirmos, & ille iſtis decem „innumeros illos adjiciat. Illi ſane multi, nihil „bene operantes, nihil aliud nobis conferent, quam „ſupplicium, & in præſenti tempore ignominiam.

„Nemo enim, quod multi ſimus, dicet, ſed quod „inutiles ſimus, redarguet. Hoc itaque nobis „ſemper objiciunt, quando dicimus, *Multi ſumus:* „ſed mali, inquiunt„

Brevius, ſed ſane eleganter *homil.* 7. *contra Anomœos*, quæ *de conſubſtantiali* nomen habet.

„Iterum Circenſia; iterumque nobis imminutus „eſt conventus! imo vero, quamdiu vos adeſtis, „fieri nequit, ut imminuatur. Nam ſicut agrico„la, ſi fruges adultas viderit, & maturas, quod „cadant folia, non admodum curat. Sic nimirum „&, cum fructus nobis adſit, non ita doleo, dum „folia nobis abripi cerno. Mihi quidem propter „illorum negligentiam dolet, veruntamen conce„ptum ob illos dolorem mitigat veſtræ alacritas „charitatis. Enimvero illi, quantumvis advene„rint aliquando, ne tum quidem adſunt, ſed hic „quidem corpus eorum eſt ſitum, mens autem fo„ris vagatur: at vos licet abſitis aliquando, tunc „etiam adeſtis, corpus enim veſtrum foris, mens „autem hic veſtra verſatur. Statueram equidem „prolixam in illos orationem habere; ſed ne, dum „minime præſentes, nec audientes increpo, cum „umbra videar depugnare, his ſermonibus in illo„rum adventum reſervatis, ad conſuetum Scriptu„ræ pratum, ac pelagus charitatem veſtram dedu„cere Deo favente conabor. Sed attendite ani„mum, atque vigilate &c.„

Accommodatio, quam dicunt, & praxis.

Ultimo loco reſervamus Praxin; non quod ultima ejus ſit cura, ſed ut ob ipſam rei gravitatem tanto firmius, faciliusque retineri a Lectoribus poſſit. Conſiſtit autem in eo, ut generali doctrina non contenti, eandem extendamus ad ſingularia ac *theſin* omnem, ut ajunt, ad *hypotheſin* revocemus. Quod tum recte fiet, ſi ad genium, captum,

captum, conditionem, ſenſa, & actiones tuorum intentus, immineas in omnem occaſionem, cui ſervire argumentum poſſit: ſi ſpeciatim moneas, quid hoc, quid illo loco cavendum, agendum, dicendum: ſi jam media ſuggeras, jam velut digito intento viam modumque perficiendi oſtendas: ſi pro variis ſtatibus varies orationem *: ſi ſuam cuilibet morbo medicinam non indices modo, verum miſceas etiam, & per te ipſe porrigas **.

Tantum vero abeſt, ut quid inde decedat gravitati orationis, ut eandem ornet, atque commendet magis. Eſt enim hic proximus finis, quem dicendo ſpectamus, & ubi propoſitus non eſt, arida, jejuna, exſuccaque omnia ſint oportet, certe præcipuo fructu apud quam plurimos deſtituta; ut qui putent dicta potius ad quoſcunque alios, quam ad ſe ipſos pertinere. Quod ſi nobis non creditur, ſaltem profanis eſt fides adhibenda, ex quibus ſummi quique præceptores idem omnes inculcant, & quam plurimum referre dicunt, an ſummatim tantum, an particulatim aliqua pertractentur. Aristoteles enim, qui oratoriæ altetam partem in uſu vitæ ponit, tanto meliorem vocat orationem, quanto magis particularem. Ecqua autem re ſive Tullius, ſive Demosthenes plus promoverunt, quam quod ex uſu rerum, ex civilibus negotiis, & moribus omnia ad praxin referrent, neque ſolum, cur, ſed etiam quando, & quomodo aliquid fieri oportebat, demonſtrarent? Et Demosthenes quidem haud contentus fuit ſuadere bellum in Macedonas, niſi & præſidia

* De varianda oratione jam ſupra quædam diximus in *Delectu argumentorum*, & infra libro ſequente plura dicentur.

** Ad praxin ergo, quam hic docemus, valde juverint, quæ itidem hoc capite de *Notitia mundi* diſputata ſunt.

ſidia ejus rei ſingula, & ſumptus, & apparatum, & occaſionem rei bene gerendæ minutatim explicaſſet. Tullius autem, ut ea in arte parem nullum habuit, ita optatos ſucceſſus ipſemet in acceptis illi ferebat. Id quod ex locis non tot, quin pluribus poſſem demonſtrare.

Itaque Patres, qui magis dicendo valebant, quod fructum ante omnia ſpectarent, & cum iſta, tum Scripturæ etiam exempla ante oculos haberent, in id ſummo ſtudio incubuerunt, ut quidquid docuiſſent, eſſet cuilibet ſtatui, negotio, & actioni hominum quam maxime accommodatum, ſicque fructum & utilitatem non qualemcunque, ſed propriam, atque præſentem haberet. Nominatim vero Chrysostomus id præſtitit, qui hac in parte omnes & Græcos & Latinos multis paſſibus eſt ſupergreſſus. Neque ſolum exemplo id ille docet, ſed præceptis quoque. Sic *hom.* 17. *in Joan.* diſerte monet, hac ratione plures ad ſectandum Chriſtum adduci, idque exemplo Joannis Baptiſtæ confirmat, cujus prædicatio accommodatiſſima, totaque ad praxin erat. Dum enim ille vel digito Agnum monſtrabat, is inde fructus extitit, ut e veſtigio Chriſtum accederent, & cum ante ex agris & oppidis concurſus ad ſe ingentes facti eſſent, omnes paulatim velut ſigno dato ad Servatorem tranſirent. Porro huc quam maxime conducunt, quæ Gisbertus *Eloquent. chriſt. cap.* 14. fuſe inculcat. Itaque auctor ſum, uti caput illud ſtudioſe apud ſe lectores expendant; præterquam enim, quod inſignem et publicum habet uſum, ipſa etiam, quæ ſequuntur Specimina egregie profecto poterit illuſtrare.

Primum dat Chrysostomus *homil.* 5. *ad populum*, ubi conſuetudinem jurandi inſectatus, ita ad praxin deſcendit.

„Quid

„Quid enim facilius, quam non jurare? Con„ſuetudinis tantum opus eſt, non eſt corporis „labor, non eſt pecuniarum impendium. Vis di„ſcere, quomodo vitium ſuperari poſſit? quo„modo ab improba conſuetudine liberari li„ceat? Ego te rationem quamdam docebo, „quam ſi tenueris, ſuperabis omninò. Cum „videris teipſum, vel alium quemque vel „ſervum, vel filium, vel uxorem hoc malo „captos, & continue commonefactos, neque cor„rectos, jube non cœnatos cubare, & hanc tibi„que & illis damnationem impone, damnationem, „non damnum, ſed lucrum ferentem. Talia enim „ſunt ſpiritualia: & lucrum ferunt, & celerrimam „correctionem. Lingua enim aſſidue cruciata, „vel nemine commonente ſufficientem capit ad„monitionem, a ſiti compreſſa, a fame anguſtiata, „& licet omnium ſimus ſtolidiſſimi, tota die hu„jus tormenti magnitudine commoniti, alio con„ſilio, & admonitione non indigebimus, Lauda„ſtis dicta: verum & factis laudem demonſtrate. „Quod enim alioqui hujus concionis emolumen„tum? Si quotidie puerulus ad ſcholam pergat, „poſtea nihil diſcat: num ad excuſationem ſuffici„at nobis, ipſum illuc quotidie pergere? Non „hoc ipſum maximum ducemus crimen, quod per „ſingulos dies illuc pergens, hoc fruſtra faciat? „Hoc & in nobis ipſis cogitemus, & intra nos „ipſos dicamus: Tantum temporis ad Eccleſiam „occurrentes, terribiliſſima fruentes Synaxi *, ip„ſaque multum lucrum habente, ſi tales rurſum „diſcedamus, quales advenimus, nullum defectuum „noſtrorum corrigentes, quæ nobis erit hujus pro„fectionis utilitas? Etenim multa non propter ſe

„fiunt

* *Editio Belleri Antwerp.* 1614. **habet: concione fruentes perquam mirabili.**

„fiunt, ſed propter ea, quæ ex ipſis eveniunt. „Quale illud eſt: Seminans non ideo ſeminat, ut „tantum ſeminet, ſed ut & metat. Quod niſi hoc „fieret, & damnum ſementis pateretur, ſemini- „bus incaſſum putrefactis. Mercator non propter „hoc navigat, ut tantum naviget, ſed ut peregri- „nando auctiorem faciat rem. Quod niſi hoc adſit, „& damnum accidet extremum, & damnoſa mer- „catorum peregrinatio. Hoc idem & in nobis „ipſis ratiocinemur. Etenim & nos in Eccleſiam „convenimus, non propter hoc ipſum ſolum, ut „hic immoremur, ſed ut aliquid magnum, & „ſpirituale lucrati diſcedamus. Si igitur inanes & „nihil adepti abeamus, condemnationem nobis „hoc ſtudium accerſet. Quod ne fiat, utque tan- „tum damnum evitemus, abeuntes hinc inter ſeſe „amici, cum filiis patres, cum ſervis domini me- „ditamini, & laborate, quomodo imperatum ex- „pediatis, ut poſtquam iterum reverſi fueritis, & „de eisdem nos ſuadentes audieritis, non pudo- „re afficiamini, mordente vos conſcientia, ſed gau- „deatis; & lætemini, admonitionis majorem vobis „partem expletam conſpicientes. Hæc non tan- „tum hic philoſophemur; non enim hæc momen- „tanea admonitio totum eradicare poteſt: verum „& domi vir ab uxore hæc audiat, & uxor a „conjuge, & æmulatio quædam fiat omnibus ad „hujus legis impletionem pervenire ſtudentibus, „& qui prius impleverit, deficienti exprobret, ut „ipſum magis excitet: qui deficit, & nondum „implevit, prævenientem ſpectet, & ad ipſum ce- „leriter pervenire contendat. Si hæc meditemur, „ſi hæc curemus, brevi nobis & alia proſpere ne- „gotia dirigentur. Tu, quæ Dei ſunt, meditare, „& ipſe tuis providebit. Nec mihi dicas: Quid „vero, ſi quis jurandi neceſſitatem nobis impo- „nat? Quid ſi non credat? Sane vero, ubi lex „violan-

„violanda, neceſſitatis meminiſſe non oportet. „Una eſt enim inevitabilis neceſſitas, Deum non „offendere. Verumtamen interim illud præſta, „ſuperflua recide juramenta, temere, & ſine ne-„ceſſitate, domi cum amicis, cum ſervis prolata: „ſi hæc ſuſtuleris, in illis mei nihil amplius in-„digebis; ipſum enim os in hoc exercitatum, ut „jurandi frequentiam timeat, & fugiat, neque ſi „quis millies coëgerit, in illam amplius cadere „conſuetudinem admittet: ſed ut nunc multo la-„bore, & infinita interturbatione terrentes, mi-„nantes, admonentes, conſulentes vix potuimus „in aliam ipſum conſuetudinem tranſmutare: ſic „& tunc quidem, licet infinitam quis inferat ne-„ceſſitatem, hanc transgredi legem non poterit „perſuadere. Sed ſicut venenum quodpiam nun-„quam guſtare quis vellet, etiam inſtante neceſſi-„tate: ſic neque juramenta admittere. Hoc au-„tem ſi fiat, vobis ſolamen erit, & hortamentum „ad reliquas virtutis partes attingendas. Qui „enim nihil præſtitit, torpeſcit, & cito concidit „animo: qui vero ſibi conſcius eſt, quod vel unum „expleverit mandatum, ex hoc bene ſperare do-„ctus, majori cum ſtudio ad reliqua procedet. „Poſtea aliud capiens ad aliud celeriter veniet, „nec prius deſiſtet, quam ad ipſum culmen per-„veniat. Si enim in pecuniis quanto quis plures „comparaverit, tanto plures cupit: multo magis „in officiis ſpiritualibus hoc contingere videas. „Propterea feſtino, & urgeo, ut res principium „capiat, & in animis veſtris virtutis fundamen-„tum jaciatur: & precamur, & ſupplicamus, ut „non tantum hora præſenti horum ſitis verborum „memores, verum & domi, & in foro, & ubi-„cunque commoremini, Utinam mihi dari poſſet, „ut vobiscum converſarer, non hoc longo mihi „ſermone fuiſſet opus. Nunc vero cum hoc non

„liceat,

„liceat, vos me abſente verborum memores eſtote „meorum, & ad menſam ſedentes ingredi me putate, & adſtare, & omnia, quæ nunc vobis hic „dico, inſonare, & ubicunque vobis de me habebitur ſermo, præ omnibus hujus mementote man„dati, & hanc mihi amoris in vos mei retributio„nem reddite: ſi hoc vos impleſſe videro, totum „recepi, dignam laborum cepi mercedem. Ut igi„tur & nos reddatis promptiores, & vos bonæ ſpei „efficiamini, & majorem ad reliqua exequenda „mandata facilitatem paretis, multo hanc legem „ſtudio in animis veſtris reponite, & tunc admo„nitionis utilitatem ſcietis. Quoniam & aureum „veſtimentum ex ſe pulcrum videtur, multo pul„crius autem nobis videbitur noſtro circumpoſitum „corpori: ſic & Dei mandata pulcra quidem ſunt, „etiam cum laudantur, multo autem pulcriora, „cum & explentur, apparent. Etenim nunc bre„vi temporis momento dicta noſtra laudatis: ſi „vero res impleatis, per omnem diem, & per „omne tempus & nos, & vos ipſos laudabitis. „Nec hoc eſt magnum, quod invicem nos lauda„bimus, ſed quod & Deus nos ſuſcipiet, nec „tantum ſuſcipiet, ſed & magnis illis remunerabi„tur, & ineffabilibus donis: quæ nos omnes aſ„ſequi contingat gratia Domini noſtri Jeſu Chri„ſti, per quem &c. „

Hoc exemplar, ut primum expendere cœpi, tam præſtans, tam admirabile eſt viſum, ut verba deficiant, quibus extollere ſatis, atque ut decet, commendare lectoribus poſſim.

Sed aliud ex eodem afferendum eſt. *Homilia* **26.** *in* 1. *ad Corinthios*, loquens de pace domeſtica, deque charitate inter conjuges, ita habet.

„Ne itaque viri virtutem exſpectet uxor, ut „tunc illa ſuam exhibeat; hoc enim nihil magnum „eſſet, neque rurſus vir uxoris modeſtiam, ut

„tunc philoſophetur; neque enim tunc recte factum illud ipſius eſſet. Sed unusquisque, ut „dixi, quæ ſua ſunt, prius præbeat. Si enim ex„ternis, dexteram maxillam percutientibus, oportet „præbere alteram, multo magis virum ferocem „ferre oportet. Sed non hæc dico, ut verberetur „mulier: abſit; nam hæc extrema contumelia eſt, „non verberatæ, ſed verberanti. Sed ſi caſu ali„quo talem conjugem ſortita fueris, o mulier, ne „indigne feras, cogitans repoſitam tibi mercedem, „& in hac vita laudem. Vobis quoque viris hoc „dico. Nihil tale ſit peccatum, quo cogamini „uxorem verberare. Et quid dico uxorem? Ne„que ancillam verberare, aut ei manus inferre vi„ro ingenuo fuerit tolerandum. Quod ſi ancil„lam verberare magnum infert viro probrum, „multo magis contra liberam manum intendere. „Et hoc in externis etiam legiſlatoribus videre eſt, „qui eam, quæ ita percuſſa fuit, non cogunt ha„bitare cum percuſſore, utpote qui illius con„ſortio indignus ſit. Etenim extremæ eſt iniqui„tatis, vitæ conſortem, quæ tibi in rebus neceſſa„riis jam diu operam præſtabat, ut mancipium „ignominia afficere. Ideoque talem virum, ſi vi„rum tamen licet appellare, non feram, parrici„dæ, & matricidæ parem eſſe dixerim. Nam ſi „propter illam & patrem, & matrem relinquere „juſſi ſumus, non illis injuriam facientes, ſed di„vinam legem implentes, ipſis parentibus adeo „deſiderabilem, ut & ipſi, qui relinquuntur, gra„tiam habeant, & hoc cum ſtudio magno effici„ant: quomodo non extremæ dementiæ fuerit, „eam contumelia afficere, propter quam parentes „Deus juſſit dimittere? Num hoc inſania ſolum eſt? „Dedecus & ignominiam autem hujusmodi quis fe„rat? Quis ſermo poſſit eam explicare, quando „ululatus, & gemitus per compita feruntur, &

„con-

„concurſus eſt in domum ejus, qui tam indecore „ſe gerit, & vicinorum, & prætereuntium, ac ſi „fera quæpiam, quæ intus ſunt, labefactet, & „perdat? Optabilius eſſet terram dehiſcere ei, qui „tam furioſe ſe gerat, quam ut poſtea in foro ap„pareat. Sed mulier, inquiet, audax, & aſpera „eſt. Sed cogita, illam eſſe mulierem, vas infir„mum, te autem virum. Propterea enim princeps „conſtitutus es, & inſtar capitis datus es, ut fe„ras ejus, quæ tibi parere debet, imbecillitatem. „Fac itaque, ut imperium tuum ſit ſplendidum: „ſplendidum autem erit, cum eam, cui imperas, „non dedecore affeceris. Ac ſicut is, qui regnat, „tunc præclarior apparebit, cum ſibi inferiorem „præfectum præclariorem reddiderit; ſi autem il„lud tantum munus dedecore, & ignominia af„fecerit, tunc a gloria ſua non parum demitur: „ſic & tu, ſi eam, quæ poſt te imperat, dedecore „& ignominia affeceris, non levi damno affe„ceris principatus tui honorem. Hæc igitur om„nia tecum reputans, temperanter age, & cum „his etiam veſperam illam cogita, qua te advo„cato pater filiam ſuam quaſi depoſitum quoddam „tradidit, & illam ab omnibus ſeparans a matre, „ab ſe, a domo, totam tibi illius curam dextera „ſua tradidit. Cogita te ab illa poſt Deum filios „ſuſcepiſſe, & patrem effectum eſſe, & inde erga „illam mitis eſto. Non vides agricolas, quomodo „terram, quæ ſemel ſemina excepit, colant omni „culturæ genere, etiamſi innumera habeat incom„moda, etiamſi ſit arida, ſi malas ferat herbas, ſi „ex ſitus ratione imbribus inundetur? Hoc & tu „facito. Ita enim prior frueris & fructibus, & „tranquillitate. Nam portus eſt uxor, & phar„macum lætitiæ maximum. Si ergo portum a „ventis & fluctibus tutum reddas, multa frueris „ſecuritate, cum a foro reverteris; ſi autem tu-

„multu, & perturbatione repleas, tibi gravius pa„ries naufragium. Ne hoc ergo eveniat, id, quod „dico, fiat. Cum quid moleſtum domi accide„rit, illa peccante, conſolare illam, & ne dolo„rem augeas. Etiamſi enim omnia amiſeris, nihil „triſtius eſt, quam domi uxorem habere, quæ ſine „benevolentia cum viro degat. Quodcunque pec„catum dixeris, nullum dicere poſſis, quod ma„jorem inferat dolorem, quam cum uxore litiga„re. Itaque propter hæc omnia ejus dilectio om„nium tibi pretioſiſſima ſit. Nam ſi oportet alte„rum alterius onera portare, multo magis uxoris. „Etiamſi pauper ſit, ne id exprobres: etiamſi ſtul„ta, ne inſultes, ſed potius illam moderare. Nam „membrum tuum eſt, & caro una facti eſtis. Sed „garrula eſt, ebrioſa, & iracunda. At magis ea „propter dolere potius, quam iraſci oportet. De„umque rogare, illamque monitis, & conſilio ad„juvare, nihilque non agere, ut vitium amputes. „Si autem verberes, & atteras, morbus non cu„ratur, feritas enim manſuetudine ſolvitur, non „alia feritate. Cum his & mercedem a Deo expe„ctatam cogita. Etſi enim eam tibi licet exſcin„dere, non hoc facias propter Dei timorem, ſed „tot ejus vitia feras, metuens legem, hac de re „poſitam, quæ uxorem ejicere prohibet, quocun„que tandem morbo laboret, ineffabilem merce„dem recipies, & ante mercedem maxima lucraberis, „ipſam tibi magis obtemperantem reddens, teque er„ga illam manſuetiorem exhibens *. Narratur quiſ„piam externorum Philoſophorum, qui malam habe„ret uxorem, & nugacem, & convitiantem, interro„gan-

* Verſio *editionis Antwerp.* ita legit: & ante mercedem maximum lucrum facies, & illam efficiens obedientiorem, ipſe quoque ea ratione effectus lenior, & clementior.

„gantibus, qua de cauſa, cum talem haberet, illam ferret: reſpondiſſe, ſe quaſi gymnaſium, & palæſtram „philoſophiæ domi habere: ero enim, ajebat, aliis „manſuetior, in hac quotidie inſtitutus. Magna „voce exclamaſtis! Sed ego valde nunc ingemo, „cum videam Græcos magis philoſophos eſſe, „quam nos, qui jubemur Angelos imitari, imo „qui jubemur ipſum æmulari Deum in manſuetudinis ratione. Philoſophus ergo ille dicitur ideo „malam illam uxorem non ejeciſſe: quidam autem dicunt, ipſum ideo illam duxiſſe. Ego vero, „quia multi homines contra, quam ratio ferat, „affecti ſunt, hortor, ut ab initio nihil non agant „viri, ut bene moratam ducant uxorem, & omni plenam virtute: ſi vero contigerit, ut a propoſito aberrent, & nec bonam, nec tolerabilem „ſponſam in domum induxerint, tunc philoſophum „illum imitentur, & his nihil adjiciant *. Nam „mercator, antequam cum ſocio pacta ineat, quæ „poſſint pacem conciliare, non prius navim in „mare trahet, neque aliam attinget negotiationem. „Et nos itaque nihil non agamus, ut negotiationis „noſtræ ſociam in hac navi cum omni pace intus „teneamus. Ita enim & alia omnia nobis tranquilla „erunt, & cum ſecuritate vitæ præſentis pelagus „trajiciemus. Hoc pluris faciamus, quam domum, „mancipia, pecunias, agros, & ipſas res civiles: „idque maxime omnium in pretio habeamus, ut „illa, quæ nobiſcum in ædibus reſidet, non tumultum moveat, neve a nobis diffideat. Ita enim „& cetera nobis ſecundo curſu venient, & in ſpiritualibus multam habebimus facilitatem, hoc „jugum cum concordia trahentes: omnibusque

 „probe

* Aliter iterum *editio Antwerp.* Suadeo . . tum eum Philoſophum æmulari, & eam omni ex parte componere, & nihil eorum objicere.

„probe geſtis repoſita conſequemur bona, quæ „nos omnes acquirere contingat gratia, & benigni„tate Domini noſtri Jeſu Chriſti, quicum Pa„tri &c. „

Idem Libro 3. adverſus *oppugnatores vitæ monaſticæ* quam ſingillatim, quam practice, quam accommode ad uſum, præpoſteram illam inſtitutionem declarat, qua tot parentes liberos ſuos a teneris ad mala potius omnia, quam bonum aliquod formare, atque imbuere ſolent! Quam item accommodate, quam gnaviter inſtruit ad correctionem fratribus adhibendam *homilia* 30. *in ad Hebræos*! Nec raro verba ſingula ſuggerit auditori, quæ uſurpare certis in cauſis debet, uti officio ſuo, & curæ ſalutis faciat ſatis. Sic v. g. *homilia* 20. *in ad Epheſios* fuſe docet, quibus ſermonibus alloqui novam nuptam is debeat, qui felix, fauſtumque matrimonium exoptet. Recte ergo eloquentiſſimus Aſcetarum Joannes Croiset in *Exercitiis pietatis*, nullum dari affirmat ex Eccleſiæ Patribus, cujus ſcripta tam plena eſſent doctrinæ moralis ad praxin reductæ, vel quæ plus documentorum, ac facundiæ haberent, ſed & plenius uberiusque diducerentur.

Finis Libri IV. *de Eloquentia Patrum.*

DE ELOQUENTIA PATRUM
LIBER V.

Dat Specimina Eloquentiæ Patrum circa Genera dicendi.

PROOEMIUM.

Librum hunc de generibus dicendi non ſine conſilio ſumus aggreſſi. Sed neque exemplo carebamus, Auguſtinum videlicet ducem ſecuti, *qui Libro IV. de doctrina chriſtiana cap.* 20, & 21. cum ex Scripturis, tum ex Cypriano, & Ambroſio diverſi generis ſpecimina proponit Lectoribus. Et ſane utilitatem hæc res multo majorem habet, quam prima facie videri quibusdam poſſit. Sic enim *primo* dignoſcuntur clarius ipſa genera dicendi, non tantum tria illa pervulgata, ſed & reliqua iisdem contenta, & cognitu non minus neceſſaria, ſed quæ vix ſupremis digitis attingi ſolent ab eloquentiæ præceptoribus *. Ex quo *alterum* exiſtit commodum, ut cognitione hac imbuti caveamus extrema, nec, quod pronum eſt, pro planis repentes, pro ornatis fucati, pro ſublimibus turgidi, pro numeroſis conſtricti, pro denſis craſſi, pro argutis frigidi, pro brevibus obſcuri, pro rapidis effrenes, pro gravibus auſteri, pro floridis laſcivi, pro dulcibus molles, denique pro jocoſis ſcurriles evadamus. *Tertius* tractationis fructus eſt,

* Niſi fors Quintilianum *Libro XII. cap.* 10. volumus excipere. Item Julium Cæſarem Scaligerum *Poëtices Libro IV. toto*, etſi ibi Poëtam inſtituit magis, quam Oratorem.

eſt, quod docet, quid cuique argumento ſit aptius, ut cum locus tempusque poſtulat, uſurpari præ ceteris poſſit. In quo ſane permulti peccant, permutantes dictionem præpoſtere, atque in parvis magnitudinem, in triſtibus effuſionem, lenitatem in aſperis, concitationem in exiguis adhibentes. Non ſufficio dicere, quam id ineptum, abſurdumque ſit, & quam tollat omne decorum. Certe non minus dedecet, quam ſi viris mundum muliebrem, vel fœminis loricam, & arma, vel ut proverbio ſolet dici, infanti Herculis cothurnos aptare quis velit. Iſtis enim impedimentum afferunt ea ſubſidia, & illi munditiis non ornantur, ſed deformantur. Quare Auguſtinus *l. c. cap.* 18. 19. & 23. non contentus dicere, genus ſubmiſſum ad docendum, temperatum ad delectandum, grande ad permovendum adhiberi debere, iſtuc præterea admonet, in poteſtate eſſe eloquentis, ut dicantur nonnulla ſubmiſſe, etiam quæ poſſent granditer dici, certis nempe, & neceſſariis locis, uti in grandi genere, in quo ſemper, aut pene ſemper temperata eſſe deberent principia: in quæſtionibus acumine, in laudibus, vel vituperio opus eſſe ornatu, in arduis & inveteratis nihil agi, niſi granditer dicatur. Sed nos omnia, ut de quolibet genere mentio fiet, diſtinctius, & ſingillatim perſequemur. *Quarto* ſic varietati paulatim aſſueſcitur, cujus utique in dicendo quam maximam oportet curam eſſe, ut doctrinam temperet amœnitas, & amœnitati robur adjungatur. Ut enim alias ex Tullio dixi, in omnibus rebus ſimilitudo eſt ſatietatis mater, & experientia quisque novit, facilitate oſcitantem reddi auditorem, ornamentis avocari a propoſito, argutis, & grandibus fatigari, ut primum redeunt frequentius, & ultra quam par ſit, protrahuntur. Quod ſi vero jam ad hoc, jam ad illud genus recurritur, ipſa orationis varietate iſtuc etiam orator

conſe-

conſequetur, ut quæ judicio diggeſſit ornamenta, emineant magis, atque intuentium oculos fortiſſime perſtringant. Etſi vero de una, eademque re varie dici debet, tamen, ut ſapienter Auguſtinus *ibid. c.* 22. admonet, ei generi dictio tota tribuitur, cujus copia prævaluerit, id eſt, varietatem minime obſtare, quo minus magna potiſſimam partem granditer, mediocria temperate, parva ſubmiſſe proferantur. Quod ſi quærit aliquis, cui tandem generi orator ſacer præ reliquis ſe debeat addicere? Reſpondeo illi, ad quod natura maxime fertur; neque enim in ullo alio plus promovebit. Porro quanti judicii, & cujus ſolertiæ ſit moderari facultatem eam, ita ut quoties materia aliud poſtulat, vertatur continuo ſtylus, & veluti novus aſſumatur, dicetur infra Libro IX, ubi *de imitatione Patrum* paulo fuſior tractatio erit. Certe *aſſidua lectione vel auditione, admixta etiam exercitatione*, ut iterum Auguſtinus præcipit *, ſenſim hoc oportet conſequi; quando ſtudii, & conſuetudinis res eſt, non ingenii, non cognatæ facultatis. Quemcunque autem ſtylum ſibi quis proprium reddiderit, curam præcipuam perſpicuitatis habere ſemper debet. S. Iſidorus Peluſiota, dicendi ſummus artifex, *Libro IV. epiſt.* 91. ita ad Harpocram Sophiſtam ſcribit. „Varia, ac multiplicia ſunt hominum ſtudia etiam circa dicendi genera. Nam alii quidem adamarunt „atticiſmum veterem, alii vero perſpicuam orationem atticiſmo potiorem ducunt. Ajunt enim: „quid utilitatis affert attice loquendi ſtudium, quando ea, quæ dicuntur velut tenebris occultantur, „aliiſque indigent, qui ea in lucem proferant? *Et „mox:* Sunt, qui ſublimitatem Platonis amplectuntur, ſunt, qui Thucydidis gravitatem, ſunt, qui „Iſocratis tenuitatem, ſunt, qui Demoſthenis vehe-

* *Ibidem cap.* 21.

„mentiam præferunt. Sic enim exiſtimant, omnes „dicendi artes ipſum depaſtum eſſe, & gravitate, „acerbitate, & vehementia, & contentione certa„minis omnes, quotquot unquam extiterunt, ſu„peraſſe. Rurſum alii quidem Lyſiæ genus dicen„di apertum, & protritum amant, alii contra Iſæi „orationem, quæ Iſocratis quidem dictione conve„nientior eſt judiciis, ſublimior autem, quam Ly„ſiæ. Alii denique Æſchinis perſpicuum, & candi„dum dicendi genus probant. Cum igitur tam va„riæ ſint, ac diſſentientes hominum opiniones, „equidem non habeo dicere, quomodo fieri poſſit, „ut ſcriptor aliquis omnibus placeat. Itaque illi, „ut qui ad gloriam reſpiciant, ſcribant, ut ipſis lu„bet. At ſacra, & cœleſtia oracula, quoniam ad „univerſi generis humani utilitatem pronuntiata, „ſcriptaque ſunt, perſpicuitate ſunt temperata. Ex „hac enim & illi, qui aliis virtutibus orationum „delectantur (ſunt autem hi perquam rari) nihil „quidquam detrimenti patiuntur, ſemel intelligen„tes ea, quæ oraculis illis continentur: & omnes, „qui agriculturæ dant operam, & artificiis, & ce„teris occupationibus vitæ diſtinentur, perſpicuita„te plurimum juvantur, dum & quid deceat, & „quid juſtum, quid utile ſit, in momento temporis „diſcunt.„ Cumque exemplis id declaraſſet, collationemque inter Scripturarum ſimpliciſſimam brevitatem, & profanorum verbóſam dicacitatem inſtituiſſet, ita concludit: „Comparent igitur cum „iis, qui ſapientes perhibentur, divinorum oraculo„rum perſpicuitatem, & deſinant nugari, divinam„que oraculorum dictionem amplectantur, quæ non „ad ambitionem, ſed ad utilitatem audientium re„ſpexit.„ Quæ ego eodem jure de Patribus uſurpem, iis certe, quorum claritas ante alios eſt ſuperiore libro a nobis commendata.

CAPUT

CAPUT I.

Specimina circa genus dicendi planum *&* ſummiſſum.

Hoc genus, quod *dictionem ſummiſſam*, *& humilem* Cicero appellat, apud Sanctos præ aliis in uſu fuit. Et habemus de eo præcepta Augustini *Libro IV. de Doctrin. Chriſtian. cap.* 17. 18. 23. *&* 26. Miram vero ſimplicitatem præfert, & neque novas ſublimesve cogitationes, neque audaces metaphoras, neque phraſin delicatiorem admittit; ſed naturalem ſolum pulchritudinem amat, minimeque fucatam, munditias parabiles, verba, & ſententias, quæ ultro oblatæ potius, quam ſtudio accerſitæ videantur. Verum utut neglectim ita ſcribere quis videtur, nihil minus quam negligentiam ibi deprehendas, & qui hoc genere utuntur, ab indiſertis plus re, quam opinione differunt. Neque enim tam facile eſt, ut quidam putant, ita rebus ipſis ſtylum attemperare, ſtatque multo labore, & ſapientiam haud vulgarem requirit ea imitatio naturæ; quod præter alios profanos ipſe Cicero in *Oratore*, & Quintilianus in *Inſtitutionibus* * agnoverunt. Recte igitur ex noſtris S. Ennodius, qui ſi in alia tempora incidiſſet, dicendi magiſter inſignis erat futurus, dictionem hanc vocat *ſermonem naturali*, *& artifici ſimplicitate conditum:* ac ſi diceret, quantum in ea naturæ, tantum & artificii eſſe, ut quæ ex utroque veluti commiſceretur tota, & temperaretur. Ergo ſimplicitas iſta & velut ſecuritas inaffectatæ orationis Patrum quam pluribus valde familiaris extitit. Loquuntur cum populo, ſed non ſicut populus: & cum iisdem fere verbis utantur, ea tamen ratione id faciunt, ſic

* Vide hunc *Libro XI. cap.* 1. & *Libro XII. cap.* 10.

ſic illa componunt, ut omnia ſupra vulgus ſint. Quod uti indoctis amœnum eſt, ita diſertos etiam homines mirifice afficit, neque ad legendum tantum, verum ad reguſtandum quoque invitat; quod me præſente accidit non ſemel, ubi ejusmodi aliquid forte recitabatur. Mihi vero videtur Patrum occúltatio, qua eloquentiam diſſimulant, in eo magnam partem conſiſtere, multum ſane a temporum noſtrorum cothurno, cincinnis, & jactatione diverſa, quæ neſcio quorum culpa in omnes pene cauſas ita irrupit, ut nihil ſit difficilius, quam planitiem eam, ac ſimplicitatem demiſſi generis nunc reperire. Ita autem imperitis quibusdam, & ſtupidis evenire ſolet, cum ſtatuas inſignes, & alia fabrefacta vel tingunt coloribus, vel auro ſic illudunt, ut quod maxime nativum eſt, deperdant, planeque detrahendus ornatus ſit, quo gratia illis ſua reſtituatur.

Nunc quando dictionis hujus conditionem, laudemque ſingularem audivimus, ſupereſt, ut illud quoque, cui argumento conveniat, & ubi ſedem maxime figat, conſideremus. Juxta Augustinum, qui quidem, quantum poteſt, profanorum præceptis inhæret, præcipue decet cauſas tenuiores. Orator enim, ut alias rebus, & adjunctis ſe debet accommodare, ita hic quoque valde id curet, neceſſe eſt. Hoc nempe proprium Rhetoricæ inſtitutum, in quo differt a ceteris artibus fere omnibus, ut ubicunque licuerit, non recedat longius ab uſu, & conſuetudine vulgari; ſed ſic communia ſectetur, uti perficiat tamen, atque attollat magis. Scio, negat S. Doctor, argumenta parva apud noſtros inveniri; quod in Religione omnia, etiam quæ minima videri poſſint, ad res ſummas, & ſalutem ipſam referantur. Verum id facile concedit, etiam hac acceptione, argumentorum alia eſſe aliis grandiora, imo quæ grandiſſima ſunt, non debere ſemper granditer

diter dici; præſertim ubi docendum eſt aliquid, aut plenius declarandum. Ergo ex ejusdem ſententia ad ſubmiſſum genus quæſtiones pertinent, omnes quidem, ſed maxime illæ, in quibus enodandis ingenio, & ſubtilitate ſit opus. Id quod meo judicio cuivis patere primo aſpectu debet. Quid enim dictione ſubmiſſa ſpectatur aliud, quam, ut intelligat auditor, perſuadeaturque vera, & genuina eſſe, quæ proponimus? Ut ergo ab hoc officio dicentis vehementiam, & ſublimitatem, & pompam omnem abeſſe oportet, ſic claritas, atque facilitas in eo ſummopere requiruntur. Diſſolvuntur autem hoc genere difficillimæ quæſtiones, & inopina luce veritates abditiſſimæ velut e cavernis quibusdam, ubi latebant, educuntur. Neque officit illud, eſſe in iis argumentis cum adverſario ſæpiſſime confligendum. Nam & ſummiſſa dictio, quamdiu ſiſtit in probationibus, paulatim quidem, ſed fortiſſime ſtringit; pulchreque dictum eſt ab Auguſtino: *Non enim, quia neque incedit ornata, atque armata, ſed tanquam nuda congreditur, ideo non adverſarium nervis, lacertisque collidit, & obſiſtentem ſubruit, ac deſtruit membris fortiſſimis falſitatem.* Suavitas ergo, & lenitas juxta Auguſtinum nihil incommodat quæſtionibus, verum easdem mire juvat, quoties adeſt ſtylo quoddam decus non appetitum, & quodammodo naturale; qua ipſe de cauſa nec numeroſitatem clauſularum, nec faciliores periodos excludit.

Rurſum ex Augustini præcepto ſummiſſum genus in principiis dicendi valet. Hæc enim etiam magnis, etiam graviſſimis in cauſis plerumque expedit eſſe verecundiora. Et profecto in Patrum diſertiſſimis videre eſt, quod pudore quodam amabili exordia aſpergant, ſicque leni & æquabili tractu tantiſper fundant orationem. Quo ipſo continuo oſtenditur, nihil aſtute agere eos, nihil gloriæ, nihil humanis rationibus dare inter dicendum; quan-

quando ceteri, qui ſecus faciant, offendunt faciliſime, & expectationem fallunt. In limine enim ſuſpecta ſunt oratoris omnia, obſervaturque a ſingulis; quod in cor nondum intromiſſus eſt, & fere ſe potius, quam cauſam, & auditorem reſpicere exiſtimatur. Ergo non jactantiæ tantum, ſed artificii etiam ſuſpicione oportet carere; id quod re nulla magis, atque ſummiſſa hac, planaque, & facili dictione quis conſequetur. Accedit autem & illud commodi, minime ſpernendum, quod ſic a plano paulatim, atque hoc ipſo etiam facile aſſurgitur, & magis magiſque placent, quæ poſt ſequuntur ſplendidiora. Neque hoc ſatis inculcari poteſt Tyronibus, ut qui initio effervеſcere ſolent, & irruere in cauſam; quod ubi pauliſper fecerunt, cum deferbuerit æſtus, ſparſique ignes ſunt, deníque fulgor omnis in fumum abit. Certe lepidum eſt videre, cum magno promiſſor hiatu deſcendere iisdem gradibus debet, quibus orator cautus, & prudens aſcendere ſolet, atque ita demum cauſæ, quod dicunt, arcem obtinere.

Porro quæ diximus, ut *praxin* ſingula ſpectant, & lucem rebus magnam inferunt, nondum tamen omnes cauſas oſtendunt, ubi locum habet, atque adhibitum a Patribus fuit ſummiſſum genus, id quod nunc a nobis ſtudioſe ſupplendum eſt. Et primo quidem quam maxime convenit narrationibus, in quibus plus leporis, quam gravitatis inſit, uti fere in hiſtoriis delectis, & brevibus, quibus dicta, factaque Sanctorum quædam continentur. Hic enimvero, uti exempla profanorum præſtantiſſima habemus, cum ſua illi narrant, ſic Patres non minus feliciter in hoc genere verſati ſunt; quod Severus Sulpitius, & Theodoretus ex inſtituto, ceteri pro oblata occaſione fecerunt. Maxime autem, imo unice hic ſtylus viget in expoſitionibus Scripturarum, quamdiu quidem Patres, ut

non

non pauci ſolent, ſectantur literam, nec niſi obiter ad mores digrediuntur. Tum enim & Hieronymus & Chrysostomus, qui ſunt ceteris ferventiores, leniſſime incedunt, niſi quod, uti natura ferebat, ſemper ſcintillæ quædam intermicant, atque a dicentium ore vel abſiſtunt, vel erumpere ſaltem geſtiunt. Laudantur vero in hoc genere præ omnibus Origenes, Basilius, & Theodoretus, qui nitide, clare, & leniter ſolvunt dubia, & literam interpretantur. Damascenus quoque planitiem altiſſimis in quæſtionibus miram habet, & cum brevis eſſe laboret, minime tamen obſcurus fit. Idem de iis dicas, qui capita vel præcepta morum breviora conſcripſerunt, quo in genere SS. Nilus & Theodorus Studita facile ceteros antecellunt. Denique & epiſtolæ Patrum, cum familiares, tum aliæ hoc ſunt ſtylo exaratæ, ut quæ magnam partem inſtar ſedati, & pellucidi amnis feruntur absque ſtrepitu, ſicque perpetuo filo texuntur, ut licet aſſurgant rariſſime, nunquam tamen jaceant.

Sed jam ad ſpecimina ipſa accedendum eſt, quorum non multa quidem, ſed varia danda ſunt, quod ſcilicet ubique occurrant iis, qui legere per ſe ipſi poſſunt, & facere delectum aliquem didicerunt.

Lactantius *Libro VI. divinar. Inſtitut. cap.* 4. agens de duabus viis ad cœlum, & inferos ita loquitur.

„Hæ ſunt viæ, quas Deus humanæ vitæ aſſigna„vit, in quibus ſingulis & bona oſtendit, & mala, „ſed ordine præpoſtero, atque converſo. In una „enim monſtravit temporalia prius mala cum æter„nis bonis, qui eſt ordo melior: in altera tempo„ralia prius bona cum æternis malis, qui eſt ordo „deterior; ut quicunque præſentia mala cum juſti„tia delegerit, majora, & certiora conſequatur „bona

„bona, quam fuerunt illa, quæ ſprevit: quisquis „autem præſentia bona præpoſuerit juſtitiæ, in ma„jora & longiora incidat mala, quam fuerunt illa, „quæ fugit. Hæc enim vita corporalis, quia bre„vis eſt, idcirco & bona ejus, & mala brevia ſunt, „neceſſe eſt. Illa vero ſpiritalis, quæ huic terrenæ „contraria eſt, quoniam ſempiterna eſt, idcirco & „bona ejus & mala ſempiterna ſunt. Ita fit, ut & „bonis brevibus mala æterna, & malis brevibus „bona æterna ſuccedant. Itaque cum ſimul pro„poſita ſint homini bona, & mala, conſiderare „unumquemque ſecum decet, quanto ſatius ſit, „perpetuis bonis mala brevia penſare, quam pro „brevibus, & caducis bonis mala perpetua ſuſtine„re. Nam ſicut in hoc ſæculo, cum eſt propoſi„tum cum hoſte certamen, prius laborandum eſt, „ut ſis poſtmodum in otio: eſuriendum, ſitien„dum, æſtus, frigora perferenda, humi quieſcen„dum, vigilandum, periclitandum eſt, ut ſalvis „pignoribus, & domo, & re familiari, omnibus „pacis ac victoriæ bonis perfrui poſſis: ſin autem „præſens otium malueris, quam laborem, malum „tibi maximum facias, neceſſe eſt. Præoccupabit „enim adverſarius non reſiſtentem, vaſtabuntur „agri, diripietur domus, in prædam uxor, ac li„beri venient, & tu ipſe interficiere, aut capiere: „quæ omnia ne accidant, præſens commodum dif„ferendum eſt, ut majus, longiusque pariatur: ſic „in omni hac vita, quia nobis adverſarium Deus „reſervavit, ut poſſemus capere virtutem, omit„tenda eſt præſens voluptas, ne hoſtis opprimat, „vigilandum, ſtationes agendæ, militares expedi„tiones obeundæ, fundendus ad ultimum cruor, „omnia denique amara, & gravia patienter feren„da, eo quidem promptius, quo nobis Imperator „noſter Deus præmia pro laboribus æterna conſti„tuit. Et cum in hac terrena militia tantum homi-

„nes

„nes laboris exhauriant, ut ea ſibi pariant, quæ „poſſunt eodem modo perire, quo parta ſunt; „certe nobis nullus labor eſt recuſandus, quibus id „acquiritur, quod nullo modo poſſit amitti.„

S. Basilius *in Regul. fuſius tractatis Interrogat.* 20. ita præclare de modo, quo Monachi homines ſæculares excipere ad menſam debent.

„Vana gloria, & ſtudium placendi hominibus, & „quælibet res ad oſtentationem geſta prorſus in „omni negotio Chriſtianis interdicta ſunt; quando-„quidem qui & ipſum ideo perficit, ut ſpectetur ab „hominibus, & gloria afficiatur, mercedem ob „ipſum ſperandam amittit. Itaque iis, qui omnem „humilitatis ſpeciem propter Domini præceptum „amplexi ſunt, fugiendus admodum eſt omnis va-„næ gloriæ modus. Quoniam autem videmus „mundanos homines, qui cum pudore ferant pau-„pertatis humilitatem, & ubi aliquis ipſis ſuſcipien-„dus eſt hoſpes, omnem ciborum copiam, ac ma-„gnificentiam ſtudioſius apparent, timeo, ne nos „quoque clanculum eidem vitio fiamus obnoxii, „atque de paupertate, quæ a Chriſto beata prædi-„cata eſt, erubeſcere deprehendamur. Quem-„admodum igitur vaſa argentea, aut vela pur-„purea, aut ſtratum molle, aut veſtimenta pelluci-„da extrinſecus comparare nobis non convenit: „ſic fuerit indecorum excogitare epulas a noſtra vi-„vendi ratione multum abhorrentes. Nam circum-„curſare nos, ac inveſtigare ea, quæ non ad neceſ-„ſarium uſum requiruntur, ſed quæ ad miſeram „voluptatem, & ad inanem, exitioſamque gloriam „adinventa fuerunt, non turpe modo, & a ſcopo „nobis propoſito alienum; ſed detrimentum etiam „affert non leve, cum ſcilicet, qui in deliciis vi-„vunt, & ventris voluptatibus metiuntur beatitudi-„nem, nos quoque eisdem curis, quibus ipſi cum „admiratione, & ſtupore incumbunt, diſtentos vi-

„dent. Etenim ſi malæ ſunt deliciæ, & fugiendæ, „nunquam eas amplecti debemus. Nihil enim eo- „rum, quæ reprobata ſunt, poteſt ullo tempore „opportunum eſſe. Qui laute, & delicate vivunt, „præſtantiſſimisque illinuntur unguentis, & vinum „percolatum bibunt, eos incuſat Scriptura. Et ob „delicias vidua, quæ viva erat, dicitur mortua. „Dives ob hujus vitæ delicias privatus eſt paradiſo. „Quid igitur nobis cum apparatibus ſumptuoſis? „Acceſſit hoſpes aliquis? Si frater ſit, & idem vitæ „inſtitutum ſequatur, ſuam ipſius menſam agnoſcet. „Quæ enim reliquit domi, ea inventurus eſt apud „nos. At fatigatus eſt ex itinere? Tantum afferi- „mus levamenti, quantum requiritur ad laſſitudi- „nem ſublevandam. Advenit alius ſæculo huic ad- „dictus? Ex factis diſcat, quæ ei ſermo non perſua- „ſit, & frugalitatis in eſcis ſervandæ formam, & „exemplar accipiat. Maneant in ipſo monumenta „menſæ Chriſtianorum, & ejus paupertatis, quæ „Chriſti cauſa citra verecundiam perferenda eſt. „Quod ſi his ille minime commovebitur, ac potius „deridebit, rurſum nobis non exhibiturus eſt mo- „leſtiam. Nos autem cum divites quoſdam vide- „mus, qui deliciarum uſum ponunt in præcipuis „bonis, eorum vicem valde dolemus; quod vita „omni in vanitate inſumpta, & voluptatibus ſuis „pro Deo habitis, neſcientes in vita hac recipiunt „bonorum partem, ac per præſentes delicias in pa- „ratum ignem præcipitantur, & in illius ardorem: „imo ſi quando ſeſe nobis obtulerit occaſio, ne „ipſis quidem hæc dicere dubitemus. Quod ſi futu- „rum eſt, ut ipſi quoque ſimus eorumdem rei, & „quoad licet nobis, inquiramus etiam ea, quæ per- „tinent ad voluptatem, & ipſa ad oſtentationem „apparemus, vereor, ne quæ deſtruimus, ea ædi- „ficare videamur, & per quæ ceteros judicamus, „noſmetipſos condemnemus, qui ſimulate vita uta-

„mur,

„mur, modo in hanc, modo in illam formam mu-„tati; niſi forte immutemus etiam veſtimenta noſtra „tum, cum in viros claros, & ſuperbos inciderimus? Quod ſi id turpe eſt, longe turpius eſt menſam noſtram ob delicatos commutare. Æquabi-„lis, & conſtans eſt chriſtiani vita, & unicum ſco-„pum habet Dei gloriam: *Sive enim manducatis*, „*ſive bibitis*, *ſive quid facitis*, *omnia in gloriam Dei* „*facite*, ait Paulus, qui in Chriſto loquebatur. „

S. Nilus *de octo vitiis cap.* 2.

„Fuge, inquit, conſortium mulierum, ſiqui-„dem pudice vivere velis, neque permitte, ut li-„center tecum agant. Modeſtiam namque, & ve-„recundiam aut habent initio, aut ſimulant: at „paulo poſt quidvis audent impudenter. Primo „congreſſu oculos humi defixos tenent, ſummiſſe „loquuntur, lacrymantur miſeranter, totas ſe ad „gravitatem componunt, acerbeque ingemiſcunt. „De caſtitate quærunt, & audiunt ſtudioſe. Se-„cunda vice vidiſti? Jam pauliſper tollunt oculos. „Tertio congreſſu ſine pudore dicentem attendunt: „ſi ſubriſiſti, illæ cachinnos edunt. Tum vero ex-„ornant ſeſe, ſuaque oſtentant tibi: oculos ita effin-„gunt, ut facile traluceat affectus, quem habent in „animo: erigunt ſupercilia, & volvunt palpebras, „denudant collum, totoque corpore delicias agunt: „ſermones ſerunt, qui cor emolliant, ſonoque „blandiori demulcent aures, dum denique omnino „animum expugnent. „

Quam nobilis in his omnibus candor? quam facile, quam naturale, atque adeo elegans genus dicendi? Faciat quis rei periculum, qui quidem voluerit: mox videbit, oppido difficilem hanc facilitatem eſſe. Demas enim quid certi modi, certæque menſuræ ſenſuum, & ſignificationum, utut rei nihil omiſeris, carebit lenociniis ſuis oratio, & denique tota in ſiccum degenerabit.

Sed narratiunculas quoque audiamus, in quibus multo magis ea ſimplicitas afficit, & reſplendet.

S. Hieronymus in *Vita S. Pauli primi Eremitæ cap.* 9. Sanctum hunc cum hoſpite Antonio cœnantem hunc in modum deſcribit.

„Inter has ſermocinationes ſuſpiciunt alitem cor„vum in ramo arboris conſediſſe. Qui inde leniter „ſubvolans, integrum panem ante mirantium ora „depoſuit. Poſt ejus diſceſſum: Eja, inquit Pau„lus, Dominus nobis prandium miſit, vere pius, „vere miſericors. Sexaginta jam anni ſunt, quod „accipio dimidii ſemper panis fragmentum; verum „ad adventum tuum militibus ſuis Chriſtus dupli„cavit annonam. Igitur Domino gratiarum actio„ne celebrata, ſuper vitrei fontis marginem uter„que conſedit. Hic vero quis frangeret panem ob„orta contentio pene diem duxit in veſperum. Pau„lus more cogebat hoſpitii, Antonius jure refelle„bat ætatis. Tandem conſilii fuit, ut apprehenſo „e regione pane, dum ad ſe quisque nititur, pars „cuique ſua remaneret in manibus. Dehinc pau„lulum aquæ in fonte prono ore libarunt; & im„molantes Deo ſacrificium laudis, noctem transege„re vigiliis.„

Theodoretus in *Philotheo*, ſeu Religioſa hiſtoria *Tomo III. operum edit. Sirmondianæ* de S. Jacobo Niſibenorum Antiſtite hæc narrat.

„Venerat autem ille per id tempus in Perſidem, „viſurus plantas veræ religionis, & congruentem „eis curam exhibiturus. Cumque fontem quem„dam forte transmitteret, puellæ, quæ in eo pan„nos lavabant, & veſtes pedibus emundabant, no„vum, & decentem ejus habitum * nihil reveritæ, „exuto pudore, & perfricta fronte, impudentibus„que

* **Ut enim ſupra Theodoretus, aſperrimis caprarum vilis conſtabat.**

„que oculis divinum hominem conſpiciebant, nec „capita operientes, nec veſtes, quas ſuccinxerant, „demittentes. Quod ægre ferens homo Dei, op„portunum ratus Dei virtutem oſtendere, ut illu„ſtri miraculo ab impietate liberaret, fontem eſt „execratus, & fluentum confeſtim evanuit. Puel„las quoque execratus eſt, & impudentem earum „juventam immatura canitie caſtigavit. Ac verba „confeſtim factum eſt conſecutum, mutatusque eſt „niger color pilorum, & ſimiles evaſerunt arbori„bus, quæ vere opertæ ſunt foliis autumnalibus. „Ita ſenſu tactæ ſupplicii (nam & fontis fluenta ef„fugerant, & ſua invicem capita intuentes repenti„nam illam mutationem videbant) curſim ad ur„bem contenderunt, renuntiaturæ, quod acciderat. „Qui mox accurrentes, ut ad magnum Jacobum ve„nerunt, rogaverunt, ut iram compeſceret, & „pœnam remitteret. Ille vero nihil cunctatus Do„mino preces obtulit, & fluenta rurſus ſcatere juſ„ſit. Tum illa denuo e ſuis penetralibus Juſti nu„tibus derivata eruperunt. Hoc impetrato pete„bant, ut etiam filiarum crinibus priſtinus color „redderetur. Ferunt autem, illum hoc quoque „conceſſiſſe, & puellas requiſiiſſe, quæ plexæ hac „pœna fuerant, & quoniam non venerunt, ſuppli„cium reliquiſſe, quod documentum foret tempe„rantiæ, & argumentum honoris, divinæque vir„tutis perpetuum, & evidens monimentum.„

In narratiunculis iſtis omnes non dico ſententiæ, ſed verba adeo ſingula ad vulgarem uſum accommodata ſunt; gratiam tamen habent ſingularem, acceduntque ad vivum. Pone eorum loco, quidquid habes cupediarum, ornatum adde, quemcunque potes; planitie hac, & ſimplicitate ſublata amœnitatem omnem, imo naturam ipſam ſuſtuliſti. Sic enim, non aliter natura loquitur, aut ut rectius

dicam, ſic ii & ſoli quidem, qui naturam intime, & penitiſſime cognoverunt.

Sed illud quoque audiamus, quod Joannes Moschus Sæculi VII. auctor *cap.* 107. *Prati* de S. Geraſimo narrat.

„Uno fere milliario diſtat a Jordane monaſte-„rium, quod Abbatis Geraſimi dicitur. In hoc „monaſterium advenientibus nobis narraverunt, „qui illic morabantur ſenes, de Abbate Geraſimo, „quod die quadam ambulans ſuper Jordanis ripam, „obvium habuit leonem valde rugientem, ſuſpen-„ſo pede, cui infixus erat ex calamo aculeus, „adeo ut ex hoc pes ipſe intumuiſſet, & ſanie ple-„nus effectus eſſet. Cum igitur videſſet Leo ſe-„nem, oſtendebat illi vulneratum ex infixo acu-„leo pedem, flens quodammodo, & obſecrans, „ut illi curam adhiberet. Cum ergo vidiſſet eum „ſenex tali neceſſitate conſtrictum, ſedens appre-„hendit ejus pedem, aperiensque vulnus, edu-„xit aculeum infixum, cum magna putredinis co-„pia, diligenterque depurgato vulnere, & panno „alligato, dimiſit eum. Leo autem cum ſe cu-„ratum vidiſſet, noluit ſenem deſerere, ſed ut cha-„rus diſcipulus, quocunque pergeret, magiſtrum „ſequebatur: ita ut admiraretur ſenex tantam fe-„ræ gratitudinem. Igitur & tunc ſenex nutriebat „eum, projiciens ante illum panem, & inſulſa le-„gumina. Habebat autem ipſum monaſterium „aſinum unum ad ferendam aquam pro neceſſitate „fratrum de Jordane. Conſuetudinem autem fe-„cerat ſenex, ut curam paſcendi aſini Leo habe-„ret. Itaque abiens cum illo juxta Jordanis ripas, „paſcentem obſervabat. Quadam autem die, dum „paſceretur aſinus, Leo ſe ab illo longiuſcule aver-„tit; cum ecce camelarius ex Arabia veniens in-„ventum Aſinum accepit, & ſecum duxit. Leo „vero amiſſo aſino rediit in monaſterium triſtis val-

de,

„de, & dejecta facie, ac cervice ad Abbatem ſuum.
„Abbas igitur Geraſimus putavit, quod aſinum co-
„mediſſet Leo, & ait illi: ubi eſt aſinus? Ille ve-
„ro quaſi homo ſtabat tacens, & deorſum aſpici-
„ens. Dicit ei ſenex. Comediſti eum. Benedi-
„ctus Dominus; quidquid faciebat aſinus, amodo
„facies tu. Ex tunc igitur Leo jubente ſene por-
„tabat ſportam capientem amphoras quatuor, fe-
„rebatque aquam in monaſterium. Die vero
„quadem venit miles quidam ad ſenem benedictio-
„nis gratia. Qui cum videret Leonem bajulantem
„aquam, didiciſſetque cauſam, miſertus eſt ejus,
„proferensque tria numiſmata dedit ſenibus, ut
„emerent aſinum ad ipſius aquæ miniſterium, &
„liberarent ea neceſſitate Leonem. Brevi autem
„transacto tempore, poſtquam liberatus a labore
„fuerat, camelarius ille, qui aſinum abſtulerat,
„veniebat ferens triticum, ut venumdaret illud in
„ſancta Civitate, habens & aſinum ſecum. Et cum
„tranſiſſent Jordanem, accidit, ut occurreret Leo-
„ni. Quo viſo dimiſit camelos, & fugit. Leo
„autem cognito aſino cucurrit ad eum, & ore,
„ut ſolebat, ejus capiſtrum mordens, traxit eum
„cum tribus camelis, & gaudens ſimul ac rugiens
„quod perditum aſellum reperiſſet, venit ad ſe-
„nem. Senex autem putabat, quod aſinum Leo
„comediſſet; tunc vero didicit, quia inſidias paſ-
„ſus fuiſſet Leo. Impoſuit autem nomen Leoni
„*Jordanem*. Egit itaque Leo in monaſterio cum
„fratribus plus quam quinque annos, nunquam
„recedens a ſene. Cum autem migraſſet ad Do-
„minum Abbas Geraſimus, & a patribus ſepultus
„eſſet, per diſpenſationem Dei Leo tunc in mo-
„naſterio inventus non eſt. Poſt modicum vero
„venit Leo in monaſterium, & quærebat ſenem
„ſuum. Abbas autem Sabbatius Cilix, qui & di-
„ſcipulus fuerat Abbatis Geraſimi viſo illo, dixit

 „ei:

„ei: Jordane! ſenex noſter dimiſit nos orphanos, „& migravit ad Dominum: ſed accipe, & co- „mede. Leo autem comedere nolebat, ſed jugi- „ter huc, atque illuc ſe vertens circumſpiciebat, „quærens videre ſenem ſuum, ac rugitu magno „ipſius abſentiam ſe ferre non poſſe ſignificans. „Abbas autem Sabbatius, & ſenes reliqui fricantes „ejus cervicem, dicebant ei: Migravit ſenex ad „Dominum, & dimiſit nos. Sed iſta dicentes non „poterant tamen illius voces, & ejulatus mitigare; „ſed quanto amplius ipſum verbis fovere, ac ſolari „ſe exiſtimabant, tanto ipſe magis ejulabat, ma- „jorique rugitu utebatur, & lamenta adjiciebat, „oſtendens ex voce, facie & oculis mœrorem, quem „habebat, non videns Senem. Tunc ait illi Ab- „bas Sabbatius: Veni mecum, ex quo non cre- „dis nobis, & oſtendam tibi, ubi poſitus eſt ſe- „nex noſter. Sumensque eum duxit, ubi illum „ſepelierant. Diſtabat autem ab Eccleſia quaſi paſ- „ſibus quinque & ſtans Sabbatius ſupra ſepulcrum „Abbatis Geraſimi, dixit Leoni: Ecce hic ſenex „noſter ſepultus eſt. Et inclinavit genua ſua Ab- „bas Sabbatius ſupra ſepulcrum ſenis. Cum ergo „id Leo audiſſet, & vidiſſet proſtratum ſuper tu- „mulum Abbatem Sabbatium, & flentem, tunc „& ipſe proſtravit ſe, percutiens in terram caput „ſuum vehementer, & rugiens, atque ita conti- „nuo defunctus eſt ſuper ſepulcrum ſenis. Hoc „autem totum factum eſt, non quia animam rati- „onalem habuiſſe Leo putandus eſt, ſed quod Deus „voluerit glorificantes ſe glorificare, non ſolum „in vita hac, ſed etiam poſt mortem, & monſtrare „nobis, qualem primo homini habuerint ſubje- „ctionem beſtiæ, priuſquam inobediens eſſet man- „dato, & antequam excideret e paradiſo delicia- „rum.„

Aut

Aut nihil ego video, luſciofus inter ſcribendum factus, aut hoc inſignis pictura eſt, imo non pictura, vel imago, ſed ipſa res; ita illi apices ductusque calami omnes attemperati ſunt. Imo perſuaſi mihi, omnes, quicunque legerint, deprehenſuros elegantiam haud vulgarem. In quo vero illa ſita eſt? Forte in cogitationibus inuſitatis, phraſibus ſplendidis, certo genere figurarum, atque affectuum? Nihil minus. Contra totius operis dictio teſte Photio *codice* 199. ad humiliorem, atque adeo rudiorem vergit ſtylum. Qui vero interpretatus eſt Ambroſius Camaldulenſis, latiniſſimus cetera ſcriptor, ſtudioſe exemplaris ſimplicitatem omnem retinendam putavit. Quod ſi dicas, ipſam per ſe narrationem gratiæ quam plurimum habere: veriſſime id quidem; at hanc ipſam ſtylus ita exequitur, ac repræſentat, ut multo etiam magis afficiat. Tam naturalis eſt pulchritudo, tam ingenioſa ſimplicitas, quam ubique præfert. Ipſe neglectus verborum indicat non ingratam negligentiam hominis de re magis, quam de verbis laborantis. Quod ſi mihi non creditur, age, ipſum ergo ſtylum muta, neſcio quid grande, luminoſum, acutum inſere, videbis quam plurimum amœnitatis deperire. Ut primum haberet lemniſcos oratio, & attolleretur tantiſper, deſiperet continuo. Quoniam vero his caret, quoniam arti in ea nihil prorſus licuiſſe videtur, placet, atque arridet omnibus. Adeo nihil eſt ad admirandæ ſimplicitatis comparationem, quidquid dicitur, ut quæ velut humi jacentia tollit e medio, & loco ſuo tam apte reponit, ut ſingulis pene verſibus detineat, rapiatque Lectorem, ſed & ipſi hiſtoriæ haud parum fidei, atque auctoritatis addat.

Criticus recens, isque oppido eruditus, miris laudibus extollit Claudii Fleurii narrationem de di-

ſciplina religioſa Claravellenſium *. Elegans, fateor, ſi quis alius eſt Fleurius; verum narratio ea GUILIELMI *Abbatis* eſt, non Fleurii, qui ex hujus *cap.* 7. *nunc* 4. *num.* 35. *nunc* 40. non niſi gallice eam reddidit. Quod ſi verbis quidpiam acceſſit, rei nihil; imo forte ſimplicitas ipſa Guilielmi leporem auget, non minuit. Sic autem Scriptor hic vitæ divi Bernardi, amici ſui loquitur:

„Manſi autem indignus ego cum eo paucis die„bus, quocunque oculos vertebam, mirans quaſi „cœlos me videre novos, & terram novam, & an„tiquorum Ægyptiorum monachorum, patrum „noſtrorum, antiquas ſemitas, & in eis noſtri tempo„ris hominum recentia veſtigia. Erat enim tunc „temporis videre Clarævallis aurea ſæcula; cum viri „virtutis, olim divites in ſæculo, & honorati, „tunc in paupertate Chriſti gloriantes, Eccleſiam „Dei plantarent in ſanguine ſuo, in labore, & „ærumna, in fame & ſiti, in frigore, & nuditate, „in perſecutionibus, & contumeliis, & anguſtiis „multis, præparantes Clarævalli eam, quam hodie „habet, ſufficientiam, & pacem. Neque enim ſe „tam ſibi, quam Chriſto, & fratribus inibi Deo ſer„vituris vivere æſtimantes, pro nihilo habebant, „quidquid ſibi deeſſet; dum relinquerent poſt ſe, „quod illis ſufficeret & ad ſubſidium neceſſitatis, „& ad aliquam conſcientiam voluntariæ pro Chri„ſto paupertatis. Primaque facie ab introeuntibus „in Claramvallem per deſcenſum montis Deus in „domibus ejus cognoſcebatur, cum in ſimplicitate, „& humilitate ædificiorum ſimplicitatem, & humi„litatem inhabitantium pauperum Chriſti vallis mu„ta loqueretur. Denique in valle illa plena ho„minum, in qua nemini otioſum eſſe licebat, om„nibus laborantibus, & ſingulis circa injuncta oc„cupa-

* *Tom.* 16. *Hiſtor. Eccleſiaſt. pag. mihi* 321.

„cupatis, media die mediæ noctis ſilentium a ſu„pervenientibus inveniebatur, præter laborum ſo„nitus, vel ſi fratres in laudibus Dei occuparentur.
„Porro ſilentii ipſius ordo & fama tantam etiam „apud ſæculares homines ſupervenientes ſui facie„bat reverentiam, ut & ipſi non dicam prava, vel „otioſa, ſed aliquid etiam, quod ad rem non atti„neret, ibi loqui vererentur. Loci vero ipſius ſo„litudo inter opaca ſylvarum, & vicinorum hinc „inde montium anguſtias, in quo ſervi Dei late„bant, ſpeluncam illam Sancti Benedicti, patris „noſtri, quodammodo repræſentabat, in qua ali„quando a paſtoribus inventus eſt; ut cujus imita„bantur vitam, habitationis etiam ejus ac ſolitudi„nis formam aliquam habere viderentur. Omnes „quippe etiam in multitudine ſolitarii ibi erant.
„Vallem namque illam, plenam hominibus, ordi„nis ratione charitas ordinata ſingulis ſolitariam fa„ciebat. Quia ſicut unus homo inordinatus, etiam „cum ſolus eſt, ipſe ſibi turba eſt; ſic ibi unitate „ſpiritus, & regularis lege ſilentii in multitudine „hominum ordinata ſolitudinem cordis ſui ſingulis „ordo ipſe defendebat. Domibus vero, & habita„culis ſimplicibus victus inhabitantium perſimilis „erat. Panis non tam furfureus, quam terreus vi„debatur, duris fratrum laboribus vix de terra de„ſerti illius ſterili productus. Cetera quoque ciba„ria quæque vix erant aliquid ſaporis habentia, „præterquam quod fames, ſeu amor Dei faciebat. „
Denique aliis quibuſdam inſertis ita concludit: „Hæc „ergo fuit in tempore illo ſub Abbate Bernardo & „magiſterio ejus in clariſſima, & chariſſima valle „illa ſpiritualium ſchola ſtudiorum, hic fervor re„gularis diſciplinæ; omnia eo faciente, & ordinan„te, & tabernaculum Deo in terris ædificante ſe„cundum exemplar, quod ei in monte oſtenſum „eſt, cum in ſolitudine Ciſtercienſi cum Deo in nu„be habitaret. „ Sed

Sed exemplorum plus quam ſatis, quare pergo ad

CAPUT II.

Specimina circa genus dicendi ſublime.

Genus dicendi ſublime, quod & grande ac patheticum dicunt, eſt ratio digne, & nobiliter cogitata ita exprimendi, ut admirationem habeant. quod fieri varie poteſt: vel veritatem quamdam inexpectatam exhibendo, vel alias notam plene illuſtrando, vel denique plures ſimul veritates connectendo. Hæc enim omnia robur, & ſplendorem, & tantum non vitam tribuunt ſermoni. Nam exiſtit inde vis quædam & motio animata: audire te putas ſonum neſcio quem plenum majeſtatis: vides veluti fulgur intermicans; impreſſionem in animo ſentis, cui reſiſtere vix poſſit, & quo tantum non extra ſe rapiatur. Ita evenire videmus illis, qui ſubito in formam valde excellentem incurrunt, aut grandem, peregrinamque belluam, aut inſanas ſubſtructiones ædium, aut denique prælium, tempeſtatem & immenſum mare contemplantur. Quidquid enim novum, quidquid inſolitum, quidquid magnum eſt, diſcernitur continuo a ceteris, & admirationem excitat. Quamquam, ut candide loquar, quid ſublime ſit, ſentiri melius poteſt a rudibus, quam a doctis etiam declarari. Unde enim eſt, quod populus admirationem inde conceptam non acclamatione tantum, ſed etiam plauſibus confitetur? Sublimitas dictorum, & magnificentia, lumen denique, ac pondus exprimunt illos fragores Concionum, etſi, ut Quintilianus ait, nec ſentiant quidem homines, quid faciant, nec ſponte, judicioque plaudant, ſed velut mente capti, & quo ſint loco, ignari erumpant in hunc voluntatis affectum. Quæ omnia oſten-

oſtendunt non tam in ſermone, quam in cogitatione eſſe ſitam ſublimitatem.

Præclare de ea dictione Augustinus *Libro IV. de doctrin. chriſtian. cap.* 20. *Grande autem dicendi genus hoc maxime diſtat ab iſto temperato genere, quod non tam verborum ornatibus comptum eſt, quam violentum animi affectibus. Nam capit etiam illa ornamenta pene omnia, ſed ea, ſi non habuerit, non requirit. Fertur quippe impetu ſuo, & elocutionis pulchritudinem, ſi occurrerit, vi rerum rapit, non cura decoris aſſumit. Satis enim eſt ei, propter quod agitur, ut verba congruentia non oris eligantur induſtria, ſed pectoris ſequantur ardorem. Nam ſi aurato, gemmatoque ferro vir fortis armetur, intentiſſimus pugnæ agit quidem illis armis, quod agit, non quia pretioſa, ſed quia arma ſunt; idem ipſe eſt tamen, & valet plurimum, etiam cum rimanti telum ira facit.* Ex quibus illud clare habemus, quod ſublime neque in verbis ſit, neque etiam iſtis valde egeat ad percellendum, & vim illam ſuam in animos exerendam. Quod ſi vero ſolis verbis ſublimes eſſe quidam volunt, in tumorem incidunt; quæ falſa eſt magnitudo, nihilque ſani, & ſolidi habet. Cumque de minutiſſimis aut certe exiguis rebus haud ſecus atque de maximis loquantur, ne aſſurgere eos putes. Elevantur tantiſper; ſed inſtar fumi, atque bullarum, quæ vix bene ſublatæ evaneſcunt.

De hoc ſæpe Hieronymus. Nam & Joviniano *Libro I. adverſus eundem initio* objicit his verbis: „Cum legiſſem, & omnino non intelli„gerem, cœpi revolvere crebrius, & non verba „modo, atque ſententias, ſed ſingulas pene ſyl„labas diſcutere; volens prius ſcire, quid diceret, „& ſic vel probare, vel redarguere, quod dixiſ„ſet. Verum ſcriptorum tanta barbaries eſt, & „tantis vitiis ſpurciſſimus ſermo confuſus, ut nec „quid

Idipſum Bonaſo quoque exprobrat *epiſt.* 100. *nunc* 40. quem dicit *cava verba*, *& in modum veſicarum tumentia buccis trutinare inflatis.* Contra *Epiſt.* 26. *nunc* 66. laudat Pammachium: *Simplices epiſtolæ tuæ olent Prophetas, Apoſtolos ſapiunt. Non cothurnatam affectas eloquentiam, nec more puerorum argutas ſententiolas in clauſulis ſtruis. Cito turgens ſpuma dilabitur, & quamvis grandis tumor, contrarius ſanitati eſt.* Ex quibus illud quoque habemus, quam exoſi Patribus eſſent, qui pro veris inania, & ut ille ait, præcipitia pro ſublimibus ſectabantur. Quod ſi cui de Tertulliano ſecus videtur, legat ſane, quæ *Libro ſecundo, Diſſertatione prima*, *capite ſecundo diximus.*

Nec minus moderatio eorum laudanda, qua ſublimes eſſe malunt, quam videri, pleni ingenio, oſtentatione vacui. Sic rara uſurpant, ut qui obvia minime dedignentur. Quod ipſum auget granditatem, non minuit: ut contra alii raro fiunt ſublimes, quod ſemper volunt fieri. De quibus egregie Quintilianus *Libro II. cap.* 12. admonet: *Ut enim evenit nonnunquam, ut aliquid grande inveniat, qui ſemper quærit, quod nimium eſt: verum & raro evenit, & cetera vitia non penſat.* *

Porro illud quoque hic notandum, eſſe, qui brevitatem requirant in ſublimibus, neque ſinant longius protendi id genus dictionis. Verum, ut hoc ipſis demus, fere brevia eſſe, quæ grandia: at alterum rotunde negandum eſt, eſſe debere. Quid enim vetat, magnas ſententias plures concurrere, atque easdem idonea converſione figurarum diducere plenius? Quod in igne videmus, qui jam ardet in lucerna diutius, jam fulmine excutitur, jam correptis pluribus vires acquirit eundo,

* De Tumore etiam agit Auctor *Rhetoricorum ad Herennium Libro IV.*

cimina ſubjicio, cum paulo fuſiora, tum alia, quæ una ſolum, aut pauciſſimis certe ſententiis abſolvantur.

S. Cyprianus *epiſt.* I. *ad Donatum* Gentilium Theatra, & Tribunalia hiſce coloribus depingit:

„In theatris quoque conſpicies, quod tibi & „dolori ſit, & pudori. Cothurnus eſt tragicus „priſca facinora carmine recenſere. De Parricidis „& Inceſtis horror antiquus expreſſa ad imaginem „veritatis actione replicatur; ne ſæculis tranſeunti„bus exoleſcat, quod aliquando commiſſum eſt. „Admonetur ætas omnis auditu, fieri poſſe, quod „factum eſt. Nunquam ævi ſenio delicta moriun„tur: nunquam temporibus crimen obruitur: „nunquam ſcelus oblivione ſepelitur. Exempla „fiunt, quæ eſſe jam facinora deſtiterunt. Tum „delectat in mimis, turpitudinum magiſterio, vel „quid domi geſſerit recognoſcere, vel quid gerere „poſſit, audire. Adulterium diſcitur, dum vide„tur, & lenocinante ad vitia publicæ auctoritatis „malo, quæ pudica fortaſſe ad ſpectaculum ma„trona proceſſerat, de ſpectaculo revertitur impu„dica. Ad hæc deinde morum quanta labes? quæ „probrorum fomenta? quæ alimenta vitiorum, „hiſtrionicis geſtibus inquinari, videre contra fœ„dus, jusque naſcendi patientiam inceſtæ turpitu„dinis elaboratam? Evirantur mares, honor om„nis & vigor ſexus enervati corporis dedecore mol„litur, pluſque illic placet, quisquis virum in fœ„minam magis fregerit. In laudem creſcit ex cri„mine, & peritior quo turpior judicatur. Specta„tur hic proh nefas! & libenter! Quid non poſſit „ſuadere, qui talis eſt? movet ſenſus, mulcet af„fectus, expugnat boni pectoris conſcientiam for„tiorem. Nec deeſt probri blandientis auctoritas, „ut auditu molliore pernicies hominibus obrepat,

„Exprimunt impudicam Venerem, adulterum Mar-„tem, Jovem illum ſuum, non magis regno, quam „vitiis principem, in terrenos amores cum ipſis „ſuis fulminibus ardentem, nunc in plumas óloris „albeſcere, nunc aureo imbre defluere, nunc in „puerorum pubeſcentium raptus miniſtris avibus „proſilire. Quære jam nunc, an poſſit eſſe, qui „ſpectat, integer, vel pudicus? Deos ſuos, quos „venerantur, imitantur, fiunt miſeris & religioſa „delicta. O ſi poſſis in illa ſublimi ſpecula con-„ſtitutus oculos tuos inſerere ſecretis, recludere „cubiculorum obductas fores, & ad conſcientiam „luminum penetralium occulta reſerare, aſpicias „ab impudicis geri, quod nec poſſit aſpicere frons „pudica. Videas, quod crimen ſit & videre. Vi-„deas, quod vitiorum furore dementes geſſiſſe ſe „negant, & gerere feſtinant. Libidinibus inſanis „in viros viri proruunt. Fiunt, quæ nec illis „ipſis poſſunt placere, qui faciunt. Mentior, niſi „alios, qui talis eſt, increpat, turpes turpis infa-„mat, & evaſiſſe ſe conſcium credit, quaſi con-„ſcientiam ſuam non poſſe effugere non ſatis ſit. „Iidem in publico accuſatores, in occulto rei, in „ſemetipſos cenſores pariter, & nocentes. Dam-„nant foris, quod intus operantur, admittunt li-„benter, quod cum admiſerint, criminantur. Au-„dacia prorſus cum vitiis faciens, & impudentia „congruens impudicis. Nolo mireris, quæ lo-„quuntur hujusmodi ore illo polluto. Quidquid „jam voce delinquitur, minus eſt.„

Inde ad forum, ſeu curiam tranſgreſſus

„Illuc, *ait*, aciem tuam flecte. Plura il-„lic, quæ deteſteris, invenies, magis oculos tuos „inde divertes. Inciſæ ſint licet leges duodecim „tabulis, & publice ære præfixo jura præſcripta „ſint, inter leges ipſas delinquitur, inter jura pec-„catur. Innocentia nec illic, ubi defenditur, re-

ſer-

„ſervatur. Sævit invicem diſcordantium rabies, & „inter togas pace rupta forum litibus mugit inſa„num. Haſta illic, & gladius, & carnifex præſto „eſt, ungula effodiens, equuleus extendens, ignis „exurens, ad hominis corpus unum ſupplicia plu„ra, quam membra ſunt. Quis inter hæc vero „ſubveniat? Patronus? ſed prævaricatur, & deci„pit. Judex? Sed ſententiam vendit. Qui ſedet „crimina vindicaturus, admittit, & ut reus inno„cens pereat, fit nocens judex. Flagrant ubique „delicta, & paſſim multiformi genere peccandi „per improbas mentes nocens virus operatur. Hic „teſtamentum ſubjicit: ille falſum capitali fraude „conſcribit. Hic arcentur hæreditatibus liberi: „illic bonis donantur alieni. Inimicus inſimulat, „calumniator impugnat, teſtis infamat, utrobique „graſſatur in mendacium criminum proſtitutæ vo„cis venalis audacia; cum interim nocentes nec „cum innocentibus pereunt. Nullus de legibus „metus eſt, de quæſtore, de judice pavor nul„lus; quod poteſt redimi, non timetur. Eſſe jam „inter nocentes innoxium crimen eſt, malos quis„quis non imitatur, offendit. Conſenſere jura pec„catis, & cœpit licitum eſſe, quod publicum eſt. „Quis illic rerum pudor, quæ eſſe poſſit integri„tas, ubi, qui damnent improbos, deſunt, ſoli ti„bi, qui damnentur, occurrunt?„

Iſta ſi grandia, ſi ſublimia non ſunt, ubi tandem alia perquiremus?

S. Ambrosius *Libro III. de Virginibus cap. 6.* Joannis Baptiſtæ crudeliſſimam cædem quam excelſa, quam grandi eloquentia proſequitur!

„Ab adulteris, *exclamat*, juſtus occiditur, & a „reis in judicem capitalis ſceleris pœna convertitur! „Deinde præmium ſaltatricis mors eſt Prophetæ. „Poſtremo, quod etiam omnes barbari horrere „conſueverunt, inter epulas, atque convivia con-

 ſum-

„ſummandæ crudelitatis profertur edictum, & a „convivio ad carcerem, de carcere ad convivium „feralis flagitii circumfertur obſequium. Quanta „in uno facinore ſunt crimina! Exſtruitur regi„fico luxu ferale convivium, & explorato, quando „major ſolito turba convenerit, Reginæ filia, inti„mis amandanda ſecretis, in conſpectu virorum „ſaltatura producitur. Quid enim poterit de ad„ultera diſcere matre, niſi damnum pudoris? An „quidquam eſt tam pronum ad libidines, quam „inconditis motibus ea, quæ vel natura abſcondit, „vel diſciplina velavit, membrorum operta nudare, „ludere oculis, rotare cervicem, comam ſpargere? „Merito inde in injuriam divinitatis proceditur. „Quid enim ibi verecundiæ poteſt eſſe, ubi ſalta„tur, ſtrepitur, concrepatur? *Tunc Rex*, inquit, „*delectatus, dixit puellæ, ut peteret a Rege, quod* „*vellet. Deinde juravit, quod vel dimidium regni,* „*ſi petiſſet, concederet.* Vide, quemadmodum ſæ„culares ipſi de ſæcularibus ſuis judicant poteſta„tibus, ut pro ſaltatione etiam regna donentur! „*Puella autem admonita a matre ſua, popoſcit afferri* „*ſibi in diſco caput Joannis.* Quod dicit: *Rex con*„*triſtatus eſt*, non pœnitentia Regis, ſed confeſſio „iniquitatis eſt, quam divinæ habet conſuetudo „ſententiæ, ut qui geſſerunt impia, ipſi propria „confeſſione ſe damnent: *ſed propter diſcumbentes*, „inquit. Quid indignius, quam ut homicidium „fieri juberet, ne diſcumbentibus diſpliceret? *Et* „*propter jusjurandum* inquit. O Religionem no„vam! Tolerabilius pejeraſſet. Unde non immeri„to Dominus in Evangelio jubet, non eſſe juran„dum, ne ſit cauſa perjurii, ne ſit neceſſitas de„linquendi. Itaque ne jusjurandum violaretur, „percutitur innocens. Quid prius horreſcam, ne„ſcio. Tolerabiliora perjuria, quam ſacramenta „ſunt Tyrannorum. Quis non cum e convivio

„ad

„ad carcerem curſare videret, putaret Prophetam „juſſum eſſe dimitti? Quis, inquam, cum audiſſet, „natalem eſſe Herodis, ſolenne convivium, puel-„læ optionem eligendi, quod vellet, datam, miſ-„ſum ad Joannis abſolutionem non arbitraretur? „Quid crudelitati cum deliciis? Quid cum funeri-„bus voluptati? Rapitur ad pœnam Propheta con-„vivali tempore, convivali præcepto, quo non „cuperet vel abſolvi: perimitur gladio, caput ejus „affertur in diſco. Hoc crudelitati ferculum de-„bebatur, quo inſatiata epulis feritas veſceretur. „Intuere Rex acerbiſſime tuo ſpectacula digna con-„vivio! porrige dexteram, ne quid ſævitiæ tuæ „deſit, ut inter digitos tuos rivi defluant ſancti cruo-„ris! Et quoniam non exſaturari epulis fames, non „reſtingui poculis potuit inauditæ ſævitiæ ſitis, bi-„be ſanguinem ſcaturientibus adhuc venis exſecti „capitis profluentem. Cerne oculos in ipſa mor-„te ſceleris tui teſtes, averſantes conſpectum deli-„ciarum. Clauduntur lumina non tam mortis ne-„ceſſitate, quam horrore luxuriæ. Os aureum il-„lud exangue, cujus ſententiam ferre non pote-„ras, conticeſcit, & adhuc times. Lingua tamen, „quæ ſolet etiam poſt mortem officium ſervare „viventis, palpitante licet motu, damnabat ince-„ſtum. Portatur hoc caput ad Herodiadem. Læ-„tatur, exultat, quaſi crimen evaſerit, quia judi-„cem trucidavit. Quid dicitis vos ſanctæ fœminæ? „Videtis, quid docere, quid etiam dedocere fili-„as debeatis. Saltat, ſed adulteræ filia. Quæ ve-„ro pudica, quæ caſta eſt, filias ſuas religionem „doceat, non ſaltationem. Vos autem graves, & „prudentes viri diſcite deteſtabilium hominum epu-„las vitare. Si talia ſunt convivia, qualia judicia „perfidorum?

Sed demus Ambrosio, qui eſt maxime ſubli-mis, ut licet ejus longiorem locum audierimus,

mus, alios nihilominus paulo breviores adjungamus.

Sic *Libro I. de Abraham Patriarcha cap.* 2.

„Magnus plane vir, & multarum virtutum „clarus inſignibus, quem votis ſuis Philoſophia „non potuit æquare. Denique minus eſt, quod „illa finxit, quam quod iſte geſſit, majorque am„bitioſo eloquentiæ mendacio ſimplex veritatis fi„des.„

Libro II. de officiis cap. 7. de Moyſe:

„Cum Deo conſtanter loqueretur, homines ta„men humili & grata appellatione affari ſolebat. „Merito æſtimatus eſt ſupra homines, ut & vultui „ejus non poſſent intendere, & ſepulturam ejus „non repertam crederent; quia ſic ſibi totius ple„bis mentes devinxerat, ut plus eum pro manſue„tudine diligerent, quam pro factis admiraren„tur.„

De David, *Apologia ejus prima cap.* 6.

„Proceſſit in prælium, & trepidantibus ceteris „ſolus Allophilum Goliam, verborum jactantia, & „immanis corporis mole terribilem, concurrenti ſi„mul fide, ac virtute proſtravit. Unius fortitudo „facta eſt univerſorum victoria.„

De Judith *Libro de Viduis cap.* 13.

„Cum Holofernes, multorum terribilis ſucceſſu „præliorum, intra muros innumera virorum millia „coëgiſſet, armatis paventibus, & de extrema jam „ſorte tractantibus, extra murum proceſſit, & eo „præſtantior exercitu, quem liberavit, & eo fortior, „quem fugavit.„

Iterum de eadem *Libro III. de officiis cap* 13.

„Non unius ictum carnificis, ſed nec totius „exercitus tela trepidavit. Stetit inter cuneos bel„latorum fœmina, inter victricia arma ſecura mor„tis. Quantum ad molem ſpectat periculi, mo„ritura proceſſit, quantum ad fidem, dimicatura.„

Rur-

Rurſum ſuperiore *de Viduis* loco.

„Nec cibo, ut legimus maculata nec adulterio, „non minorem ſervatæ caſtitatis ex hoſtibus revexit triumphum, quam patriæ liberatæ. „

Poſtremo *ibidem:*

„Nec his tamen elata ſucceſſibus, cui utique „gaudere & exultare licebat jure victoriæ, viduitatis reliquit officium, ſed contemptis omnibus, „qui ejus nuptias ambiebant, veſtem jucunditatis „depoſuit, viduitatis reſumpſit, nec triumphorum „ſuorum amavit ornatus, illos æſtimans eſſe meliores, quibus vitia corporis, quam quibus hoſtium „arma vincuntur. „

De Daniele in Lacu leonum *Libro I. de officiis cap.* 23.

„Quam inſuperabilis Daniel, qui circa latera „ſua rugientes non expavit leones? fremebant beſtiæ, & ille epulabatur. „

Et *Libro II. cap.* 4. *de eodem:*

„Tam ſapiens erat, ut inter leones fame exaſperatos nulla beſtialis ſævitiæ formidine frangeretur: ita alienus a metu, ut poſſet epulari, nec „vereretur, ne ad paſtum exemplo ſui feras provocaret. „

„Denique *Libro de Elia & jejunio cap.* 4. Prandebat Daniel inter jejunantes leones! Ille prandebat alienum prandium; feræ non tangebant „ſuum „

Idem S. Doctor de pueris Macchabæis *Libro I. de officiis cap.* 41.

„Stetit invicta ſeptem puerorum cohors, regiis „cincta legionibus. Defecerunt ſupplicia, ceſſerunt „tortores, non defecerunt martyres. „

Iterum Libro II. de Jacob. & vita beata cap. 11. ad Antiochum præ furore linguam eorum uni eruere jubentem, ita hunc loquentem inducit:

„Evadere te putas Antioche, ſi vocem eripias?
„Et tacentes Deus audit, & magis audit. . . . Ab-
„ſcinde linguam, ſed non abſcindes conſtantiam. . .
„ſi lingua amputatur, ſanguis clamabit. „

S. Chrysostomus *homil.* 15. *ad populum*, in damnabilem illum morem, ſecuritatis cauſa adducendi homines ad altare, ibique ad jurandum adigendi, id quod multis perjuriis cauſam præbebat, talibus verbis invehitur.

„Non ita pungit enſis, ſicut juramenti natura,
„non ſic occidit gladius, ſicut juramenti plaga.
„Juratus etſi vivere videatur, jam mortuus eſt; &
„vulnus excepit, & ſicut qui reſtem capit, prius-
„quam civitatem egrediatur, & ad præcipitium ve-
„niat, & tortorem videat imminentem, mortuus
„eſt, ſimul ac prætorii januas egreſſus eſt: ſic &
„juratus. Hæc reputemus, & ne fratres adjure-
„mus. Quid facis homo? Super menſam adjuras
„ſacram, & ubi Chriſtus poſitus eſt immolatus, il-
„lic fratrem tuum immolas? Latrones quidem in
„viis mactant: tu vero coram matre filium immo-
„las, ſceleratius, quam Cain patrans homicidium?
„Ille nempe fratrem ſuum in deſerto, & præſenti
„morte mactavit: tu vero fratrem tuum immolas
„in medio eccleſiæ, idque morte futura immortali?
„Num enim propterea facta eſt Eccleſia, ut jure-
„mus? Propterea facta eſt, ut oremus. Num enim
„ideo menſa poſita eſt, ut adjuremus? Ideo poſita
„eſt, ut peccata ſolvamus, non ut alligemus. Tu
„vero, ſi nihil aliud, ſaltem librum ipſum reverere,
„quem in juramentum porrigis, & Evangelium,
„quod intra manus capiens jurare jubes, explica,
„& audiens, quid ibi Chriſtus de juramentis diſſe-
„rat, horreſce, & deſiſte. Quid igitur illic de
„juramentis inquit? *Ego autem dico vobis omnino*
„*non jurare.* Tu vero legem jurare prohibentem
„in juramentum ponis? O contumeliam! o inſa-
„niam!

„niam! Idem enim facis, ac ſi quis legiſlatorem „interficere prohibentem, ipſum cædis ſibi ſocium „eſſe jubeat. Non ita gemo, & deploro, quosſpiam in viis jugulatos audiens, ſicut gemo & „lacrimis proſequor, & horreſco, cum videam „quempiam prope menſam hanc venientem, & „manus imponentem, & Evangeliis contactis ju„rantem. De pecuniis, quæſo, dubitas, & animam „occidis? Quid tantum lucraris, quantum animam „tuam, & proximum lædis? Si enim credis, quod „verax ſit homo, ne juramenti neceſſitatem addu„cas: ſi vero noſti, quod mentietur, ne pejerare „cogas. Sed ut mihi plena fides fieret, inſtan„dum erat, inquit: imo tunc tibi rata fides fiet, „cum jurare eum non coëgeris. Nunc enim do„num regreſſus a conſcientia aſſidue roderis, hæc „reputans: Nunquid non fruſtra adjuravi? Nun„quid non pejeravit? Nunquid non ego fui cauſa „peccati? Si vero non adjuraveris, domum re„greſſus multam capies conſolationem, agens Deo „gratias, & dicens: Benedictus Deus, quoniam „me ipſum continui, neque adjuravi fruſtra, nec „temere. Deploretur aurum, pereant pecuniæ, „ut hoc nobis maxime plenam fidem faciat, le„gem non præteriiſſe, nec alterum coëgiſſe, ut „hoc faceret.„

Idem S. Pater *Homilia* celebri *in Eutropium*, cum offenſo principe ad altare Eccleſiæ confugiſſet, cui tamen jus aſyli abrogare antea voluerat, hunc in modum loquitur.

„Semper quidem, nunc vero maxime opportu„num eſt dicere: *Vanitas vanitatum, & omnia vani„tas!* Ubi nunc inclytus ille conſulatus ſplendor? „Ubi illuſtres illæ faces? Ubi applauſus illi, ac „choreæ, epulæque, & feſti conventus? Ubi co„ronæ, & aulæa? Ubi ſtrepitus urbis, & illæ cir„cenſium fauſtæ acclamationes, ſpectatorumque

„adulationes? Omnia illa perierunt; procella vehemens folia dejecit, arborem ſpoliatam reddidit, jam radicitus vacillantem: tantaque vis venti impacta eſt, ut cum nervos ejus univerſos concuſſerit, tum ipſam funditus proſternere minetur. Ubi nunc fucati illi amici? Ubi compotationes, & cœnæ? Ubi paraſitorum examen, & merum per totam diem exhauſtum, variæque coquorum artes, & potentatus cultores illi, ad gratiam omnia dicere, ac facere aſſueti? Omnia illa nihil, niſi nox, & ſomnium fuerunt, & appetente die evanuerunt. Flores fuerunt verni, & vere exacto emarcuerunt omnia: umbra erant, & præterierunt, fumus erant, & ſoluta ſunt, bullæ erant, & dirupta ſunt, araneæ erant, & lacerata ſunt. Quapropter ſpirituale hoc dictum occinimus, frequenter dicentes: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Hoc enim dictum in parietibus, in veſtibus, in foro, in ædibus, in viis, in januis, in atriis, ſed potiſſimum in ipſa cujusque conſcientia continenter inſcriptum eſſe oportet, omnique tempore cogitationi obverſari; quandoquidem negotia fraudulenta, & perſonata, ac inimica veritatis opinionem apud pleroſque ſibi paraverunt. Hoc dicto in prandio, in cœna, in cœtu hominum quemque proximum ſuum compellare oportebat, idemque ab illo viciſſim audire, nempe: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* An non aſſidue tibi dicebam, fugitivas eſſe divitias? Tu vero nos non ferebas. An non dicebam, eas ingratum domeſticum eſſe? Tu vero credere nolebas. Ecce experientia docuit, non ſolum fugitivas, & ingratas, ſed homicidas etiam eſſe, ut quæ in tremorem, ac metum nunc te conjecerint. Nonne dicebam tibi, cum me indeſinenter objurgares vera monentem, me tibi potius amicum eſſe, quam adulatores; me, qui arguerem, majorem tui

„curam

„curam gerere, quam eos, qui tibi per omnia „obſequerentur. Nonne & hoc addebam, fide di„gniora eſſe vulnera ab amicis, quam voluntaria „oſcula inimicorum? Si mea vulnera tuliſſes, haud„quaquam tibi illorum oſcula hoc exitium attuliſ„ſent: mea enim vulnera ſanitatem afferunt, illo„rum oſcula morbum immedicabilem tibi concilia„verunt. Ubi nunc pocillatores tui? Ubi, qui in „foro populum de via decedere cogebant, tuasque „laudes paſſim apud omnes prædicabant? Transfu„gerunt, abnegarunt tuam amicitiam, ſuam ſecu„ritatem tuis periculis quærunt. At non tales nos; „ſed & tunc, quamvis ægre ferentem non deſtitui„mus, & nunc lapſum protegimus, ac curamus. „Eccleſia a te hoſtiliter habita, expanſo ſinu te ſu„ſcepit: theatra autem magnis obſequiis a te culta, „quorum cauſa ſæpius nobis infenſus fuiſti, & pro„diderunt te, & perdiderunt &c. Et hæc nunc „dico, non quo proſtrato inſultem, ſed quod eos, „qui adhuc ſtant, tutiores reddere cupiam: nec ut „plagas vulnerati refricem, ſed ut nondum vulne„ratos in ſanitate conſervem &c. Quis hoc fuit ex„celſior? Nonne in toto orbe divitiis præcellebat? „Nonne ad ipſa faſtigia honorum conſcendit? Non„ne omnes eum formidabant, ac verebantur? Sed „ecce factus eſt & vinctis miſerior, & ſervis miſera„bilior, & mendicis fame tabeſcentibus indigentior, „per ſingulos dies gladios præ oculis habens in ſe „exacutos, & barathra, & carnifices, & viam, „quæ ad ſupplicium ducit. Ac neque memoria „præteritarum voluptatum fruitur, imo ne luce qui„dem communi, ſed meridie quoque tanquam in „denſiſſima nocte anguſtiis parietum incluſus * ocu„lorum uſu privatur &c. Hæc dico non expro„brandi cauſa, neque inſultans infortunio, ſed ut „ve-

* Sub concione enim intra altare ſe miſer abdiderat.

„ſub pedibus quoque regiis barbari, manibus poſt „terga revinctis, proni jaceant. Et quod verbis non „ſim uſus ad perſuadendum paratis, vosmet feſti„natione veſtra, ac concurſu atteſtamini. Etenim „præclarum hodie nobis ſpectaculum; & hilaris „conventus contingit, nec minorem nunc video „populi frequentiam, quam in ſacra Paſchæ cele„britate; adeo exciti eſtis iſtius ſilentio, quod im„præſentiarum quavis tuba clariorem ſonum emittit. „Et virgines thalamis, & mulieres gynecæis deſertis, „& viri foro vacuo relicto, univerſi huc cucurri„ſtis, ut humanam naturam traduci videretis, & „ſæcularium negotiorum momentaneam mutabili„tatem detegi, illamque meretriciam faciem heri, „ac nudiuſtertius præclariſſime ſplendentem (talis „enim eſt ex alienis injuriis felicitas, quæ rugoſa „quavis anicula deformior apparet) rerum muta„tione tanquam ſpongia quadam tectoria, fucosque „abſtergente. Tanta nempe eſt hujus infortunii „vis, quæ virum felicem, ac conſpicuum nunc „omnibus abjectiſſimum reddidit. Introëat dives „aliquis, & magnam utilitatem percipiet. Videns „enim tam celſo faſtigio delapſum eum, qui totum „orbem nutu concutiebat, ac formidine contra„ctum, quaviscunque rana, aut lepore timidiorem, „& absque vinculis columnæ huic hærentem, & „vice catenæ timore affixum, trementemque, repri„met arrogantiam, faſtum exuet, & conſideratis, „quæ in humanis caſibus conſideranda ſunt, diſce„det, re ipſa doctus, quæ Scripturæ nos docent. „Quale eſt illud: *Omnis caro fœnum, & omnis glo„ria hominis, ut flos fœni: aruit fœnum, & flos ejus „decidit:* item illud: *Sicut fœnum velociter areſcent, „& ſicut olera herbarum cito decident: quoniam ſicut „fumus dies ejus ſunt*, & reliqua ſimilia. Contra „pauper introgreſſus, & hoc ſpectaculum animad„vertens, non diſplicet ſibi ipſe, neque ſortem „ſuam

„ſuam deplorat, ſed gratias inſuper paupertati ha-„bet, quæ ſibi & aſyli vice ſit tutiſſimi, & portus „tranquilliſſimi, & arcis munitiſſimæ. Et his viſis, „ſi detur optio, mallet præſenti conditione conten-„tus eſſe, quam omnium facultatibus pauliſper oc-„cupatis, mox in proprii ſanguinis periculum veni-„re. Vides, non parvam utilitatem divitibus, & „pauperibus, & celſis, & humilibus, ſervis & in-„genuis ex hoc iſtius refugio enatam eſſe. Vides, „ut cum remedio quisque hinc abeat, hujus rei ſpe-„ctaculo affectus curans ſuos. Num igitur mol-„livi veſtros animos, aut indignationem expuli? „Num inhumanitatem extinxi? Num ad commiſe-„rationem adduxi? Equidem adduxiſſe me opinor: „idque ex vultibus veſtris, ac lacrimis colligo. „Quandoquidem igitur petra cordis veſtri in pin-„guem, & fertilem agrum verſa eſt, age jam fru-„ctum quoque miſericordiæ proferentes, uberes-„que commiſerationis hujus ſpicas præ nobis feren-„tes, procumbamus Imperatori ad genua, vel po-„tius deprecemur benigniſſimum Deum, ut mol-„liat iram Imperatoris, & cor illi tenerum dare „dignetur, quo hanc gratiam integram ab ipſo auf-„ferre poſſimus &c. Sic peccata noſtra redime-„mus, ſic Eccleſiam ornabimus, ſic & Imperator „clementiſſimus, ut dixi, nos laudabit: ita fiet, ut „univerſus populus nobis applaudat, & usque ad „fines orbis terræ humanitatis, & clementiæ noſtræ „fama celebretur, & hoc comperto ubique terra-„rum laude afficiamur.„

Hieronymus quoque, ſi quis alius noſtrorum, ſublimis eſt, ex quo ſaltem breviora quædam juverit decerpſiſſe. Quam granditer S. Marcellæ, inter ipſas urbis ruinas ſepultæ, ſanctiſſimum exitum deſcribit *epiſt.* 16. *nunc* 127. *ad Principiam!*

„Dum hæc aguntur in Jebus, terribilis de occi-„dente rumor affertur, obſideri Romam, & auro

„ſalu-

„ſalutem civium redimi, ſpoliatosque rurſum cir-
„cumdari, ut poſt ſubſtantiam vitam quoque per-
„derent. Hæret vox, & ſingultus intercipiunt ver-
„ba dictantis. Capitur urbs, quæ totum cepit or-
„bem: imo fame perit ante, quam gladio, & vix
„pauci, qui caperentur, inventi ſunt. Ad nefan-
„dos cibos erupit eſurientium rabies, & ſua invi-
„cem membra laniarunt; dum mater non parcit la-
„ctenti infantiæ, & ſuo recipit utero, quem paulo
„ante effuderat. Nocte Moab capta eſt, nocte ce-
„cidit murus ejus. Deus! venerunt gentes in hæ-
„reditatem tuam, polluerunt templum ſanctum
„tuum, poſuerunt Jeruſalem in pomorum cuſto-
„diam, poſuerunt cadavera ſanctorum tuorum eſcas
„volatilibus cœli, carnes Sanctorum tuorum beſtiis
„terræ, effuderunt ſanguinem eorum ſicut aquam
„in circuitu Hieruſalem, & non erat, qui ſepeliret.
„Quis cladem illius noctis, quis funera fando expli-
„cet, aut poſſet lacrimis æquare dolorem? Urbs
„antiqua ruit, multos dominata per annos, pluri-
„ma perque vias ſparguntur inertia paſſim corpora,
„perque domos, & plurima mortis imago. Cum
„interim, ut in tanta confuſione rerum, Marcellæ
„quoque domum cruentus victor ingreditur. Sit
„mihi fas audita loqui, imo a ſanctis viris viſa nar-
„rare, qui interfuere præſentes, qui te dicunt in
„periculo quoque ei fuiſſe ſociatam. Intrepido vul-
„tu excepiſſe dicitur introgreſſos, cumque poſcere-
„tur aurum, & defoſſas opes vili excuſaret tunica,
„non tamen fecit fidem voluntariæ paupertatis.
„Cæſam fuſtibus, flagellisque ajunt non ſenſiſſe
„tormenta, ſed hoc lacrimis, hoc pedibus eorum
„proſtratam egiſſe, ne te a ſuo conſortio ſepara-
„rent; ne ſuſtineret adoleſcentia, quod ſenilis ætas
„timere non poterat. Chriſtus dura corda molli-
„vit, & inter cruentos gladios invenit locum pie-
„tas. Cumque & illam, & te ad beati Apoſtoli
„Pauli

„Pauli Baſilicam barbari deduxiſſent, ut vel ſalutem vobis oſtenderent, vel ſepulchrum, in tantam lætitiam dicitur erupiſſe, ut gratias ageret Deo, „quod te integram ſibi reſervaſſet, quod pauperem „illam non feciſſet captivitas, ſed inveniſſet. quod „egeret quotidiano cibo, quod ſaturata Chriſto non „ſentiret eſuriem, quod & voce, & opere loqueretur: Nuda exivi de utero matris meæ, nuda & „redeam. Sicut Domino viſum eſt, ita & factum „eſt: Sit nomen Domini benedictum. Poſt aliquot „dies ſano, integro, vegetoque corpuſculo obdormivit in Domino, & te paupertatulæ ſuæ, „imo per te pauperes reliquit hæredes, claudens „oculos in manibus tuis, reddens ſpiritum in tuis „oſculis, dum inter lacrimas tuas illa rideret, conſcientia vitæ bonæ, & præmiis futurorum.„

Idem *epiſt.* 1. *nunc* 14. *ad Heliodorum* ſic animat ad vitam ſolitariam inſuper habitis domeſticis amplectendam:

„Audi edictum Regis tui! *Qui non eſt mecum*, „*contra me eſt*, *& qui mecum non colligit*, *ſpargit*. „Recordare tyrocinii tui diem, quo Chriſto in baptiſmate conſepultus, in ſacramenti verba juraſti, „pro nomine ejus non te patri parciturum eſſe, „nec matri. Ecce adverſarius in pectore tuo Chriſtum conatur occidere. Ecce donativum, quod „militaturus acceperas, hoſtilia caſtra ſuſpirant. „Licet parvulus ex collo pendeat nepos, licet ſparſo crine, & ſciſſis veſtibus, ubera, quibus te nutrierat, mater oſtendat: licet in limine pater jaceat, „per calcatum perge patrem, ſiccis oculis ad vexillum crucis evola. Solum pietatis genus eſt, in „hac re eſſe crudelem. Veniet, veniet poſtea dies, „quo victor revertaris in patriam, quo per Hieroſolymam cœleſtem vir fortis coronatus incedas, „tunc municipatum cum Paulo capies, tunc & pa-
„ren-

„rentibus tuis ejuſdem civitatis jus petes, tunc & „pro me rogabis, qui te, ut vinceres, incitavi. „

Verum hæc per ſe grandia. Videamus, quomodo S. Doctor ea etiam, quæ minora videntur, attollere, ac veluti humo levare norit. *Epiſtola 9. nunc 79. ad Salvinam*, principem fœminam, oſtendit, delicias, & præceptum Apoſtoli, juvenculas nubere volentis, viduæ tali minime convenire.

„*Omnis creatura Dei bona eſt.* Audiant hæc mu„lieres, quæ ſolicitæ ſunt, quomodo placeant vi„ris. Comedant carnes, quæ carni ſerviunt, qua„rum fervor deſpumat in coitum, quæ maritis alli„gatæ, generationi, ac liberis dant operam, qua„rum uteri portant fœtus, earum & inteſtina car„nibus impleantur. Tu vero, quæ in tumulo ma„riti ſepeliſti omnes pariter voluptates, quæ litam „purpuriſſo & ceruſſa faciem ſuper feretrum ejus „lacrimis diluiſti, quæ pullam tunicam, nigroſque „calceolos candidæ veſtis, & aurati ſocci depoſitio„ne ſumpſiſti, nihil habes neceſſe aliud, niſi per„ſeverare in jejunio. Pallor, & ſordes gemmæ „tuæ ſint. Plumarum mollities juvenilia membra „non foveat, balnearum calor novum adoleſcentu„læ ſanguinem non incendat. Audi, quid ex per„ſona viduæ continentis Ethnicus Poëta decantet: „*Ille meos, primus qui me ſibi junxit, amores abſtulit*, „*ille habeat ſecum, ſervetque ſepulchro.* Si tanti vi„liſſimum vitrum, quanti pretioſiſſimum margari„tum? Si ſic communi lege naturæ damnat omnes „gentilis vidua voluptates, quid expectandum eſt „a vidua chriſtiana, quæ pudicitiam ſuam non ſo„lum ei debet, qui defunctus eſt, ſed & ei, cum „quo regnatura eſt? „

Et *infra* ad illud Apoſtoli, jubentis adoleſcentulas viduas nubere, ſic reſpondet:

„Cur indulſerit, ſtatim ſubjecit. *Jam enim* „*quædam declinaverunt poſt Satanam.* Ex quo in-

 „telli-

„telligimus, illum non ſtantibus coronam, ſed ja-„centibus manum porrigere. Vide qualia ſint ſe-„cunda matrimonia, quæ lupanaribus præferuntur. „Quia declinaverunt quædam poſt Satanam; ideo „adoleſcentula vidua, quæ ſe non poteſt continere, „vel non vult, maritum potius accipiat, quam „Diabolum. Pulchra nimirum, & appetenda res, „quæ Satanæ comparatione ſuſcipitur. Fornicata „eſt quondam & Hieruſalem, & divaricavit pedes „ſuos omni tranſeunti: In Ægypto primum devir-„ginita eſt, & ibi fractæ ſunt mammæ ejus: cum-„que ad deſerta veniſſet, & morarum Moyſi ducto-„ris impatiens, quaſi œſtro libidinis furibunda di-„xiſſet: *Iſti ſunt dii tui Iſraël, qui te eduxerunt de* „*terra Ægypti*: accepit præcepta non bona, & juſti-„ficationes peſſimas, in quibus non viveret, ſed pu-„niretur. Quid ergo mirum, ſi & laſcivientibus „viduis, de quibus in alio loco Apoſtolus dixerat: „*Cum luxuriatæ fuerint in Chriſto, nubere volunt, ha-„bentes damnationem, quia primam fidem irritam fe-„cerunt*: conceſſit digamiæ præcepta non bona, & „juſtificationes peſſimas, ita ſecundum indulgens „maritum, ut & tertium, ſi liberet, etiam viceſi-„mum; ut ſcirent, ſibi non tam viros datos, quam „adulteros amputatos.„

Salvianus *Libro III. ad Eccleſ. Cath.* ſtuporem eorum, qui, cum liberis careant, bona tamen ſua non pauperibus, ſed neſcio quibus adoptatis relinquunt, hiſce verbis oſtendit:

„Sic miſerrimi quique & impiiſſimi, cum vin-„culis filiorum non conſtringantur, ipſi tamen ſibi „vincula parant, quibus infelicia animarum ſuarum „colla conſtringant; cum vis domeſticorum diſcri-„minum nulla ſit, foris diſcrimen arceſſunt; & li-„cet cauſæ deſint periculorum, ruunt tamen quaſi „in interitum voluntarium; quorum errores infeli-„ciſſimi quo affectu animi accipiendi ſint, ac feren-

„di,

„di, prope incertum apud quosdam videri poteſt, „iraſcendumne iis, an dolendum ſit. Error enim „dolore dignus eſt, impietas execratione. Ad fletum trahimur infelicitate, ad iracundiam infidelitate. In una re eſt, quod pro hominum inſipientia lugeamus, in alia, quod pro Dei amore moveamur, ullum omnino hominum inveniri, aut „eſſe poſſe, qui decurſo infelicis vitæ iſtius brevi „ſpatio in ipſa extremitate jam pendens, iturus illico ad tribunal Dei, quidquam aliud cogitet præter „finem ſuum, quidquam aliud præter exitum ſuum, „quidquam aliud præter periculum ſuum, & neglecta ſpe ſua, atque anima, cui opitulari aliquatenus vel in ultimis ſuis omni ſtudio, omni niſu, „omni re, ac ſubſtantia ſua debeat, hoc ſolum cogitet, hoc ſolum animo volvat, quam laute hæres „tuus res ſuas comedat! Miſerrime omnium! quid „ſollicitus es, quid æſtuas, quid auctorem rerum „periturarum ipſe te facis? An times forte, ne deſint, qui te mortuo, quod dereliqueris, vorent? „Nolo metuas, nolo verearis. Utinam tam facile „tu ſalvus eſſes, quam tua omnia deperibunt! O infidelitas! O perverſitas! Etiam vulgo dictum eſt, „omnes ſibi melius velle, quam alteri. Novum „hoc monſtri genus eſt, cuilibet quemque velle „conſulere, tantum ne ſibi. Ecce iturus es, infeliciſſime omnium! ad examen ſacrum, ad tremendum illud, intolerandumque judicium, ubi peregrinanti animæ, atque anxiæ nullum poteſt omnino eſſe ſolatium, niſi ſola tantummodo bona „conſcientia, niſi ſola tantum innocens vita, aut, „quod proximum eſt bonæ vitæ, miſericordia: ubi „reo homini nullum eſt adjutorium, niſi ſola mens „larga, niſi pœnitentia fructuoſa, & eleemoſynæ „copioſæ, quaſi manus validæ: ubi denique pro „diverſitate meritorum aut ſummum bonum invenies, aut ſummum malum, aut immortale præ-

„mium, aut ſine fine tormentum. Et tu de locu„pletandis quibuscunque hæredibus tuis cogitas, de „opibus agnatorum tuorum, cognatorumque ſu„ſpiras, quem potiſſimum ditiorem patrimonio tuo „facias, cui ſupellectilis variæ ornamenta tranſcri„bas, cujus apothecas copiis tuis repleas, cui ma„jorem ſervorum numerum derelinquas. Infelicis„ſime omnium! cogitas, quam bene alii poſt te vi„vant, non cogitas, quam male ipſe moriaris. Dic „mihi, quæſo, o miſer, o infidelis! cum multis „patrimonium tuum dividas, cum multos facultati„bus tuis dites, nunquid de ſolo te es tam male me„ritus, ut tibi nec inter extraneos locum facias hæ„redis? Ecce expectat te jam egreſſurum de vita iſta „officium tribunalis ſacri, expectant tortores ange„li, & immortalium tormentorum terribiles mini„ſtri; & tu futuras poſt te hæredum mundialium „voluptates animo volutas! Tu delicias aliorum „mente pertractas, quam bene ſcilicet poſt te hæ„res tuus de tuo prandeat, quibus copiis ventrem „expleat, quomodo usque ad nauſeam redundan„tem viſcera exſaturata diſtendat! Infeliciſſime om„nium! quid tibi eſt cum his næniis, quid tibi cum „his deliramentis, quid cum ſtultitia hujus erroris, „quid cum perditione iſtius vanitatis? Nunquid „ſuccurrere hoc tibi inter ſupplicia ſumma poterit, „ſi is, qui res tuas prodige comedit, lautus, & „pranſus bene eructarit, aut etiam, ut tibi, qui de„voranda tua omnia tradidiſti, redundanti crudi„tate plus præſtet, ſi bene vomuerit? Sed de his, „unde nunc loquimur, ſi res, ac ratio poſtulaverit, „etiam poſt hæc aliqua ſubdemus: interim hoc ſpe„cialiter dico, & peculiari admonitione commo„neo, ne ullum omnino aliquis quamvis chariſſimum „pignus animæ ſuæ præferat. Neque enim iniquum „eſt, ut quilibet Chriſtianorum etiam legitimis hæ„redibus in ſæculo minus congerat, dummodo ſibi-

„met

„met in æternitate ſuccurrat multis modis; quia & „facilius eſt hic deeſſe filiis quippiam, quam pa„rentibus in futuro: & multo levior præſens tenui„tas, quam æterna paupertas; maxime quia cum „illic non paupertas tantum, ſed etiam mors ac „pœna timeantur, facilius eſt utique hic hæredibus „deeſſe quiddam de patrimonio, quam illic teſtato„ribus de ſalute: idque & ipſi, quibus hæreditas „derelinquitur, ſi modo pietatis aliquid in ſe ha„bent, ſpecialiter velle debeant, ne illi pereant, „qui relinquunt. Quod utique ſi nolunt, multo „minus digni ſunt, quibus aliquid relinquatur; quia „non injuſte teſtator ſapiens non relinquit, quod „hæres impius non meretur.„

Atque iſtud ſpecimen ad verum genus ſublime pertinet. Equidem vix tropos pauculos habet, quos neſcio qui primo loco requirunt in ſublimi. Quorſum enim verba, quando omnia rebus turgent, uti hic accidit: præſertim rebus non quomodocunque aſſumptis, ſed modo tam grandi, tamque admirabili connexis inter ſe, ut licet ſingula ſint obvia, tamen ſimul univerſa percellant animos, nec facile ſcias, num vim majorem habeant, num novitatem.

CAPUT III.

Specimina circa genus dicendi temperatum.

Genus dicendi temperatum illud vocamus, quod velut in medio teneat ſeſe, & neque in plano ſiſtat, neque rurſum ad ſublime attollatur. Ejus autem eſt, non diſtincte ſolum, explicateque, ſed abundanter etiam, ornate, & ſplendide dicere. Quare in eo proprius eſt ornamentis locus, ubi ſe præcipue ſolet eloquentia venditare. Equidem movet haud raro, ſæpius docet, ut plurimum tamen delectationi ſervit. Quidquid ergo ſive in ſenten-

tiis grave, ſive in ſimilibus populare, ſive amœnum in figuris, ſive in tropis vividum, ſive in elocutione ipſa cultum, atque elaboratum eſt, huc omne pertinet.

Verbo dicam: genus temperatum quaſcunque Rhetorum illecebras, & apparatum dicendi omnem expromit. Sit ſane, artem alias occultari ſtudio magno oportere, at hic paulo apertius agere licet, atque eandem non profiteri quidem, certe nec diffiteri; tantum ut modus teneatur ea in re, quæ ut maxime amet elegantiam, leporem tamen, & facilitatem æque requirit. In ipſis adeo Panegyricis, ubi plus comitur oratio, naturam præ oculis habet. Quare nec floribus luxuriat nimium, nec verbis redundat, neque captat argutias, neque inanibus locis bacchatur; denique a nimio ſplendore remotiſſimum eſt. Quod ſi planum genus immiſcet, attollit ſe iterum, ſi aſſurrexit tantiſper, demittit ſe continuo, jucunda, naturali & perpetua quadam varietate. Quibus de rebus nunquam ſatis commoneri poſſunt juniores. Cum enim id agant, & recte agant, uti teneant auditorem, nec prima tantum ſpecie, ſed & deinceps ſenſus impellant, hac ipſa re faſtidium incurrunt, quod evitare volebant, propter ſatietatem videlicet, quæ vel ſummis in voluptatibus denique obrepat, neceſſe eſt. Non ſum dicendo, quantopere profani omnes, quotquot dicendo magis valuerunt, moderationem hanc inculcent. Ut enim de exemplo nihil dicam (conſtat enim per ſe, quam temperanter ſubtilibus, exquiſitis, ac fulgentibus ſint uſi) præceptis pluribus ea de re caverunt. * Et Quintilianus quidem rotun-

* Videatur Cicero *Libro III. de Oratore.* Et Quintilianus *Libro VIII. Inſtitut. cap.* 2. de ornatu, & *cap.* 6. *ibid.* de tropis. Item *Libro XII. cap.* 10.

rotunde ait: *ſi neceſſe ſit, veterem illum horrorem malle ſe, quam iſtam novam licentiam.*

Quod ſi vero externi, qui tantum auribus, & oſtentationi dabant, quantum nobis minime concedi alias oſtendimus, ſi, inquam, illi tam frugales hac in parte, tam moderati fuerunt; quid acervata illa ornamenta apud Patres requiramus, quibus conſtat honorem Numinis, ſuorumque ſalutem propoſitam in dicendo fuiſſe, nihil aliud? Quare non video, quomodo purgare ſe hodierni concionatores, & tueri cauſam hanc non dico apud Gisbertum, ſed vel maxime apud hos ipſos ſanctiſſimos Doctores poſſint. Quod ſi enim ornatum Chrysostomi alicujus cum illorum parergis, atque munditiis conferre ego velim, idem mihi accidat, quod comparatione inter hortum aliquem campoſque patentes inſtituta. Ut enim in illo amoenitatis plurimum, imo nimium eſt, ubi nitent omnia, neque purgata ſolum, verum etiam expicta ſunt, ubi illecebræ, & opes artis univerſæ, arcus, ſepes, ſalientes aquæ, ſeries arborum, atque plantarum, ſtatuæ demum, columnæ, & ambulacra ſimul incurrunt in oculos: ita ad ſpectacula illa camporum, quæ late protenſam, & liberrimam habent voluptatem, minime accedunt. Neque dubito, illos ipſos, qui hortos ſtruunt, longe magis affici, cum inde pedem efferunt, & procul ſegetes vident, arbores, vineas, fontes, rivulos, cavernas, rupes, terram floribus, & herbis veſtitam, immenſam planitiem, inſatiabili varietate diſtinctam, atque a paſcentibus ibidem gregibus quaſi animatam. Eſt hic neſcio quid, & latet in animis, ac ſenſibus noſtris, quo nos plus iſta ſpecies, quam ſuperiores omnes, oblectet; ſatiari non poſſumus, magnificasque villas, & laqueata tecta, & pavimenta marmorea contemnimus: ductus vero aquarum, ſyphonesque, ac tubulos irridemus; ita aliis omni-

bus in rebus, non in his ſolum, quæ ad eloquentiam pertinent, natura dominatur. Nunc ad ſpecimina omnis generis accedendum.

S. ATHANASIUS de *Incarnat. Verbi verſus finem* ſtylo temperato uſus, eleganter Chriſtum pacis auctorem oſtendit, qui bella ſuſtulerit, & feritatem humanis mentibus exemerit:

„Olim Idololatræ gentiles, & barbari bellum „inter ſe gerebant, & crudeles etiam in propinquos „erant. Hinc propter implacabiles, quas in ſe invicem exercebant, inimicitias, nemini niſi armata „gladiis manu nec per terram, nec per mare iter „facere licebat: totamque adeo vitam in armis tranſi„gebant, ac illis pro baculo, & omni adminiculo „enſis ſolus erat. Qui tametſi, ut dixi, idolis ſer„viebant, & victimas dæmonibus immolabant, ni„hil tamen illis ſuperſtitioſus dæmonum cultus con„tulit ad mores tam agreſtes exuendos. At poſt„quam Chriſti doctrinam ſuſceperunt, tunc utique, „quod revera valde admirandum eſt, mente com„puncti, cædium ſævitiam reliquerunt, nec jam „bella amplius amant: ſed nihil illis cordi eſt, niſi „perpetua pax, & amicitia. Quis igitur tantarum „rerum auctor eſt, vel quis pacem inter illos, qui „ſe invicem odio proſequebantur, conciliavit, niſi „dilectus Patris filius, communis omnium Servator, „Jeſus Chriſtus, qui ſua erga nos charitate omnia „pro nobis ſuſtinuit? Et vero hujuſmodi pacem, „quam nobis allaturus erat, olim divinæ Scriptu„ræ his verbis prædixerant: *Concident gladios ſuos „in aratra, & lanceas ſuas in falces, nec gens in gen„tem gladium accipiet, nec bellum gerere amplius di„ſcent.* Nec vero iſtuc incredibile eſt, quandoqui„dem nunc quoque barbari, quibus innata eſt mo„rum ferocitas, dum idolis adhuc immolant, mu„tuo in ſe invicem furore exardeſcunt, nec ullam „horam ſine enſe eſſe patiuntur: at ubi Chriſti do-

„ctri-

„ctrinam audierint, ſtatim a bello ad agriculturam „ſe convertunt, nec jam manus gladiis armant, ſed „eas ad precandum extendunt. Denique inter ſe „quidem pugnare deſinunt, ſed contra diabolum, „& dæmones armantur, quos & pudicitia virtute„que animæ debellant. Id certe divinitatis Salvato„ris non minimum eſt argumentum, illos ab eo di„dicisse, quod apud idola doceri non potuerant: „itidemque certiſſimum idem eſt dæmonum, & „idolorum imbecillitatis, vilitatiſque indicium. „Siquidem dæmones ſuæ infirmitatis non ignari, „olim idcirco homines ad bella inter ſe exercenda „inflammabant, ne ſi adverſus invicem congredi „ceſſarent, bellum dæmonibus indicerent. Enim„vero Chriſti diſcipuli, qui inter ſe nihil contentio„nis habent, contra dæmones morum integritate, „& bonis actibus pugnant, quos & animoſe inſe„quuntur, eorumque ducem diabolum vilipendunt, „adeo ut in adoleſcentia caſti, ac pudici ſint, in „tentationibus patientes, in laboribus fortes, in to„lerandis injuriis mites, in bonorum direptionibus „tranquilli. Quin etiam, quod ſingulari admira„tione dignum eſt, mortem contemnunt, & Chri„ſti martyres fiunt. „

S. Basilius *Magnus*, aut potius Eustathius Sebastenus *Conſtitut. Monaſtic. cap.* 4. eadem temperata dictione, ſibi præ ceteris familiari, elegantiſſime docet, congreſſum, & colloquia mulierum viro religioſo, quiſcunque ille ſit, cavenda ſummopere, ac fugienda eſſe.

„Ac de moderandis quidem cogitationibus, re„gendiſque corporeis affectionibus, deque amplitu„dine, atque tranquillitate interni hominis, item„que de rerum ad hunc attinentium contemplatione, „ac ſtudio abunde pro virili ſuperius diſſeruimus. „Par eſt autem non ſolum cogitationes moderari, „ſed etiam, quoad ejus fieri poteſt, a rerum conſue-

„tudine recedere, maxime earum, quæ ſuo ad nos „acceſſu libidinem nobis in memoriam revocantes „turbant, ac confundunt mentem, bellaque, & „pugnas animo faciunt. Bellum enim, quod invi-„tis nobis accidit, ſufferre plane neceſſe fuerit, ſed „ſpontaneum bellum ſibi ciere eſt abſurdiſſimum. „In priore enim etiamſi quis ſuperetur, forte veniam „conſequetur (abſit tamen hoc a Chriſti athletis) at „vero in altero ſi quis vincatur, præterquam quod „id admodum ridiculum eſt, præterea venia caret. „Itaque operæ pretium eſt & mulierum colloquia, „& conſuetudines quam maxime fugere, niſi inevi-„tabilis quædam neceſſitas adigat ad collocutionem. „Quod ſi devenerimus ad hoc neceſſitatis, ab his „tanquam ab igne cavendum eſt, & ab ipſis ociſſi-„me, & celerrime ſecedendum. Conſidera autem „quid ea de re ſapientia ipſa dicat: *Alligabit quis* „*ignem in ſinu, veſtes autem non comburet? aut am-„bulabit quis ſuper carbones ignis, & pedes non com-„buret?* Quod ſi quis dicat, ſe ex frequenti mulie-„rum colloquio, atque conſuetudine nequaquam „lædi, is aut particeps non eſt maſculæ naturæ, & „eſt res quædam portentoſiſſima, in utriusque ſe-„xus confinio poſita, quales dicunt eos, qui eunu-„chi nati ſunt; ſi tamen hoc illis etiam demus, quod „nullo modo fœminæ libidine afficiantur, aut com-„moveantur; *Concupiſcentia enim ſpadonis devirgina-„bit juvenculam*, inquit Sapiens: aut ſi expers non „eſt, cum totus libidinibus immerſus ſit, inſciens „ebrios, & phreneticos imitatur, qui graviſſimis „morbis affecti exiſtimant eſſe ſe a morbo immunes. „Agedum, quod rationi haud conſentaneum eſt, id „inter diſceptandum concedamus, eſſe quempiam, „qui nullo maſculo affectu exſtimuletur. Verum „tametſi nihil ſentit, vix ceteris etiam perſuadere „poterit. Porro quod quis nulla ſibi propoſita „virtute multis offenſioni eſt, hoc ei periculoſum

„eſſe

„eſſe, arbitror. Deinde vero aliud etiam conſiderandum eſt, quod etiamſi nullam viro perniciem afferant cogitationes, at non item de muliere quoque nobiſcum contendet, quaſi ea etiam corporearum libidinum expers ſit; quin potius ipſa, cum ſæpe debili ratione prædita ſit, irrepatque facile in eam libido, ex eo, qui in ipſius collocutionem incaute venit, detrimenti aliquid accipit. Et ipſe quidem non ſauciatur; ſed non raro, licet neſciens, ſauciavit. Et muliercula, quæ ſpiritualis ſcilicet charitatis ſimulatione, atque nomine ad aſcetam frequenter accedit, incipit per oculos peccato impleri, obtutibusque laſcivis depaſci ſpeciem proximi, & internam virginem, quam maxime ſponſus amat, cogitationibus impuris [illegible]rrumpere. Proinde ne eorum, quæ diximus, quidquam eveniat, omnia prorſus, id ſi fieri poterit; ſin minus, crebra ſaltem, & longa mulierum colloquia, conſortiaque vitanda ſunt. Neque id ex odio ſexus, apage: neque quaſi abnegemus illarum cognationem, ſed ut earum patrocinium ſuſcipiamus, atque pro virili ſingulis, quæ naturæ humanæ conſortes ſunt, ſuppetias feramus, iis maxime, quæ pro caſtitate in certamen deſcenderunt, velut quæ communes nobiſcum agones ſubeant. Caveamus autem congreſſum, ac conſuetudinem, ut ne libidinem, cui valediximus, cuique nuntium remiſimus, in memoriam revocemus.„

S. Joannes Chrysostomus & ipſe, præſertim in Tractatibus, temperatum hoc genus frequenter, admodum amplexus eſt, in iis præcipue, quæ de *Providentia*, de *Sacerdotio*, de *Virginitate*, & *Viduitate* conſcripſit. Exemplum unicum appono, ex *Libro de Virginitate*, ubi inter cetera matrimonii incommoda Zelotypiam *cap.* 52. ita præclare deſcribit.

„Si

„Si quis natura ſit ad Zelotypiam propenſus, „aut ex cauſa ulla, minime vera, eo malo corripia„tur, ecquid anima hujusmodi miſerabilius ſit? Si „bellum atque tempeſtatem cum his ædibus compa„remus, accuratam hujusce rei conſequemur ima„ginem. Omnia triſtitiæ, ſuſpicionis, rixarum, „turbæ plena ſunt. Nam qui hac inſania ictus ſit, „ei nihilo melius eſt, quam dæmoniacis, ac mente „captis. Adeo aſſidue exilit, reſilit, in omnes ſto„machatur, in præſentes, ſeu ſervus, ſeu natus, „ſeu quis alius ſit, immerentes licet, iraſcitur. Vo„luptas prorſus fugatur; mœrore, luctu, inſuavi„tate omnia referta ſunt. Seu domi maneat, ſeu „in forum prodeat, ſeu iter adornet, ubique malo „tangitur, animum ei quovis ſtimulo acrius pun„gente, ac vexante, nec quieſcere ſinente. Ne„que enim hic morbus triſtitiam ſolum, ſed etiam „intolerabilem furorem parere ſolet. Atque hæc „vel ſingula ſatis ſint, quæ hoc morbo captum con„ficiant: ſin autem ſimul conjuncta oppugnent, „eum aſſidue prementia, nec minimum ei reſpirandi „tempus tribuentia, qua non morte id acerbius ſit? „Nam ſeu extremam egeſtatem, ſeu inſanabilem „morbum, ſeu ignem, ſeu ferrum nomines, nihil „par dixeris. Id ſoli experti probe ſciunt. Nulla „eſt enim dicendi tanta vis, quæ mali gravitatem „conſequatur. Etenim cum omnium chariſſimam, „& pro qua lubens vel vitam impendat, ſuſpectam „habere ſemper cogitur, quid eſt omnino, quod „ſolari eum poſſit? Seu namque ſomnum inire, ſeu „cibum, potumque capere neceſſum ſit, menſam „lethalibus venenis potius, quam eduliis inſtructam „credet, in lecto nec vel momento quieſcet, ſed „tanquam ſubjectis prunis æſtuabit, ac jactabitur. „Neque aut amicorum congreſſus, aut negotio„rum cura, aut periculorum metus, aut ingens „voluptas, aut aliud quidquam ab eo æſtu homi-

„nem

„nem abducere poteſt, ſed procella hæc omnibus „& jucundis & triſtibus potentius animum poſſi-„det. Hæc cum perſpexiſſet Salomon, dicebat: „*Durus ſicut infernus zelus.* Et rurſum: *Plenus* „*enim zeli ejus viri furor, non parcet in die judicii,* „*nec redemptione ulla inimicitias componet, nec quantis-* „*vis donis placabitur.* Is eſt enim morbi hujus fu-„ror, ut nec ſumpto de eo, qui læſerit, ſuppli-„cio, dolorem miſſum faciat. Itaque multi ad-„ultero ſublato, iram, atque mœrorem tol-„lere non potuerunt. Sunt & qui cæſis ſuis „conjugibus, æque imo magis eo rogo exarſerint. „Ac vir quidem in his malis degit, etiam cum ni-„hil verum ſit: ceterum miſera illa, & ærumno-„ſa vel viro gravius excruciatur. Nam cum eum, „qui ærumnarum omnium ſolatium eſſe debeat, „& unde præſidium expectandum ſit, efferum, at-„que omnium in ſe inimiciſſime affectum cernit, quo „jam ſe vertat? Ad quem confugiat? Unde malo-„rum auxilium petat, portu ei præſtructo, & innu-„merabilibus ſcopulis referto? Tum & ſervi & an-„cillæ in eam viro contumelioſiores ſunt. Etenim „genus hoc hominum cum alioqui ſuſpicioſum, & „ingratum, tum licentiæ plus nacti, interque ſe „adverſos heros conſpicientes, ex eorum bello non „levem improbitatis ſuæ anſam capiunt. Nam tum „iis, quidquid lubet, ſumma impunitate fingere, „atque comminiſci licet, & ſuſpicionem calumniis „ſuis confirmatiorem reddere. Animus enim ſemel „hoc peſtilenti morbo occupatus facile cuncta cre-„dit, & aure omnibus ex æquo aperta, ſycophan-„tas a non ſycophantis diſcernere non ſuſtinet, ſed „ii potius vera dicere videntur, qui ſuſpicionem au-„gent, quam qui tollere conantur. Itaque fugiti-„vi illi, eorumque uxores nihilo minus ei quam „contubernalis timendi, atque horrendi ſunt, ſuum-„que illis locum cedat, in illorumque ordinem „tran-

„tranſeat, oportet. Et quando ſine lacrimis agere „poterit? quam noctem? quem diem? quod feſtum? quando citra gemitum, ejulatum, lamenta? Minæ, contumeliæ, convitia perpetuo tum „a viro temere ſaucio; tum ab impuris famulis: „cuſtodiæ unæ, atque alteræ, omnia erroris, ac „trepidationis plena. Neque enim exitus ſolum, „& ingreſſus, ſed & verba, & obtutus, & ſuſpiria „accurate, atque curioſe explorantur, & vel ſaxis „rigidiorem ſilentio cuncta ferre, ac thalamo perpetuo affixam eſſe vincto durius, neceſſe eſt, vel „loqui, ſuſpirare, egredi volentem omnium cauſam „dicere apud corruptos eos judices, famulam, in„quam, & ſervorum turbam Igitur, ſi placet, „cum his malis & opes ingentes & ſplendidas menſas, & ſervorum gregem, generis ſplendorem, „potentiæ magnitudinem, gloriam ſummam, majorum claritatem confer: eorum, quæ vitam hanc „ſtudio deſiderabilem efficiant, nihil prætermitte; „ſed omnia collecta dolori huic oppone: ſane voluptatem, quæ ex iis manat, nec apparentem quidem cernes, atque ita profligatam, ut ſcintilla in „vaſtum æquor illapſa extinguitur. Et hæc quidem, „ubi vir zelotypia fuerit affectus: ſin ad uxorem ea „pervadat (neque enim id raro evenire ſolet) cum „illo, quam cum hac, melius agetur: ſed in hanc „miſeram rurſum major dolorum pars redundabit. „Neque enim fas eſt iiſdem armis in ſuſpectum uti. „Nam quis uxorem ferat jubentem, domi aſſidue „manere? quis e ſervis herum obſervare auſit, quin „continuo ad barathrum abripiatur? Itaque nec his „machinamentis ſolari ſe poſſit, nec iram verbis ef„ferre: ſed vir ſemel fortaſſe, iterumque vitilitigan„tem patietur: ſin criminari perſiſtat, ſtatim doce„bit, præſtare ea ſilentio ferre, ac tabeſcere. At„que hæc quidem, ſi ſuſpicio ſit. Porro ſi malum hoc „verum ſit, jam uxorem nemo e viri læſi manibus

„eri-

„eripiat, quin leges opitulantes nactus, omnium „ſibi chariſſimam in judicium adductam trucidet. „Ceterum vir legum pœnas effugit, ſublimi, ac „divinæ ſententiæ ſervatus. Verum id ad miſeræ „conſolationem non ſufficit; ſed neceſſe eſt longam „quamdam, ac miſerandam mortem ſubire per in- „cantamenta, atque veneficia, quæ adulteræ mu- „lieres præparant: pleræque etiam nec inſidiis in „eas, quas laceſſant, opus habuerunt, ſed illæ „mœroris vehementia prius extinctæ, ipſas præver- „terunt. Ita ut quantumvis viri omnes ad matri- „monium confluerent, fœminis id non ſit perſe- „quendum. Nam nec ineſſe in ſe tantam libidinis „impotentiam poſſunt dicere, & dolorum, qui ex „eo impendeant, plus capiunt, quod quidem jam „eſt a nobis demonſtratum. Quid igitur, inquit, „id in omni matrimonio eſt? Nec vero abeſt ab om- „ni: ceterum ab omni virginitate longe, atque pro- „cul eſt. Ac nupta licet in malum non incidat, „at in mali metum incidet; neque enim poteſt, cui „cum viro conſueſcendum ſit, non una cum con- „ſuetudine mala omnia ſecum putare, ac metuere: „virgo autem non ſolum a moleſtiis, ſed etiam a ſu- „ſpicione libera eſt. At hoc non eſt in omni matri- „monio? Non equidem id dico, ſed quamvis id „non inſit, alia inſunt multa: ac licet illa effugias, „omnia plane effugere non poſſis; ſed velut in ſen- „tibus, quæ veſtimentis adhæreant, qui ſepem „tranſcendit, ad unam evellendam converſus aliis „pluribus tenetur, ita & in re uxoria, qui hoc per- „rumpit, illo rurſum læditur; qui vero illud evaſe- „ſerit, aliud offendit, nec facile matrimonium in- „venias omni moleſtia ſolutum.„

Quæ hic ornamenta? Quis ſplendor? Quæ jucunditas orationis? Medius inter planum, ac ſublime ſic incedit ſanctus Doctor, ut feliciſſimam illam facilitatem ſemper tamen flammis, & energia

miri-

mirifice conjungat, & cum ab abſtentatione abſit longiſſime, omnes tamen facundiæ numeros impleat. In re contrita feſtivus ſemper, floridus, gravis, ad uſum vitamque communem factus, alia, atque alia voluptate legentes perfundit.

Hieronymus quoque hoc ipſo in genere mirus artifex nuſquam ſeu in planitie, ſeu in ſublimi diutius deſidet, floribus lectiſſimis reſpergens omnia, tractumque ſermonis ut varietate, ita elegantia, & candore admirabili decurrens. Sic *epiſt.* 43. *alias* 18. *ad Marcellam*, quam ad rus Bethlehemiticum invitat.

„Quia multa jam vitæ ſpatia transmiſimus fluctuando, & navis noſtra nunc procellarum concuſſa turbine, nunc ſcopulorum illiſionibus perturbata eſt, cum primum licet, quaſi portum quemdam ſecreta ruris intremus. Ibi cibarius panis, & olus noſtris manibus irrigatum, & lac, deliciæ ruſticanæ, viles quidem, ſed innocentes cibos præbent. Ita viventes non ab oratione ſomnus, nec ſaturitas a lectione revocabit. Si æſtas eſt, ſecretum arboris umbra præbebit: ſi autumnus, ipſa aëris temperies, & ſtrata ſubter folia locum quietis oſtendunt. Vere ager floribus pingitur, & inter querulas aves pſalmi dulcius cantabuntur. Si frigus fuerit, & brumales nives, ligna non coëmam *, & calidius vigilabo, vel dormiam; certe, quod ſciam, vilius non algebo. Habeat ſibi Roma ſuos tumultus; arena ſæviat, circus inſaniat, theatra luxurient, & quia de noſtris dicendum eſt, matronarum quotidie viſitetur ſenatus: nobis adhærere Deo bonum eſt, & ponere in Domino Deo ſpem noſtram, ut cum paupertatem iſtam cœlorum regna mutaverint, erumpamus in vocem: Quid enim mihi eſt in cœlo, & a te quid volui ſuper terram? quo ſci-„licet,

* Ut quæ ad manum ſint.

„licet, cum tanta reperiamus in cœlo, parva, & „caduca quæſiſſe nos doleamus in terra.„

Et *Epiſt.* 46. *alias* 17. *ad eandem* HIERONYMUS (ſeu per eum Paula & Euſtochium) ita Bethlehemum ſuum prædicat.

„Ad quæ nos loca non ut primæ, ſed ut ex„tremæ venimus, ut primos in eis omnium gen„tium cerneremus; certe flos quidam & pretioſiſſi„mus lapis inter eccleſiaſtica ornamenta monacho„rum, & virginum chorus eſt. Quicunque in „Gallia fuerit primus, huc properat. Diviſus ab „orbe noſtro Britannus, ſi in religione proceſſe„rit, occiduo ſole dimiſſo, quærit locum, fama „ſibi tantum, & Scripturarum relatione cognitum. „Quid referamus Armenios? quid Perſas? quid „Indiæ, quid Æthiopum populos, ipſamque juxta „Ægyptum, fertilem monachorum? Pontum, & „Cappadociam, Syriam Cœlen, & Meſopotami„am, cunctaque orientis examina? Quæ juxta Sal„vatoris eloquium, dicentis; ubicunque fuerit „corpus, illuc congregabuntur aquilæ: concurrunt „ad hæc loca, & diverſarum nobis virtutum ſpe„cimen oſtendunt. Vox quidem diſſona, ſed una „religio: tot pene pſallentium chori, quot gen„tium diverſitates. Et inter hæc quæ vel prima „in Chriſtianis virtus eſt, nihil arrogant ſibi de „continentia ſupercilii. Humilitatis inter omnes „contentio eſt. Quicunque noviſſimus fuerit, „hic primus putatur. In veſte nulla diſcretio, „nulla admiratio. Utcunque placuerit incedere, nec „detractionis eſt, nec laudis. Jejunia quoque ne„minem ſublevant: nec defertur inediæ, nec mo„derata ſaturitas condemnatur. Suo Domino ſtat „unusquisque; aut cadit. Nemo judicat alterum, „ne a Domino judicetur. Et quod in plerisque „provinciis familiare eſt, ut genuino dente ſe la„cerent, hic penitus non habetur. Procul luxuria,

„procul voluptas. Tanta in ipſa urbe orationum „loca, ut ad ea peragranda dies ſufficere non poſ„ſit. Verum ut ad villulam Chriſti, & Mariæ diverſorium veniamus (plus enim laudat unuſquiſ„que, quod poſſidet) quo ſermone, qua voce ſpe„luncam tibi poſſumus Salvatoris exponere? Et il„lud præſepe, in quo infantulus vagiit, ſilentio „magis, quam infimo ſermone honorandum eſt. „Ubi ſunt latæ porticus? ubi aurata laquearia? „ubi domus miſerorum pœnis, & damnatorum „labore veſtitæ? ubi inſtar palatii opibus privato„rum extructæ baſilicæ, ut vile corpuſculum ho„minis pretioſius inambulet, & quaſi mundo quid„quam poſſit eſſe ornatius, tecta magis ſua velint „aſpicere, quam cœlum? Ecce in hoc parvo ter„ræ foramine cœlorum conditor natus eſt! hic „involutus pannis, hic viſus a paſtoribus, hic de„monſtratus a ſtella, hic adoratus a Magis. Et „hic puto locus ſanctior eſt Tarpeja rupe, quæ „de cœlo ſæpius fulminata, oſtendit, quod Do„mino diſpliceret. Lege Apocalypſim Joannis; &, „quid de muliere purpurata, & ſcripta in ejus „fronte blaſphemia ſeptem montibus, aquis mul„tis, & Babylonis cantetur exitu, contuere. Exite, „inquit Dominus, de illa populus meus, & ne „participes ſitis delictorum ejus, & de plagis ejus „non accipiatis. Fugite de medio Babylonis, & „ſalvate unusquisque animam ſuam. Cecidit enim, „cecidit Babylon magna, & facta eſt habitatio dæ„monum, & cuſtodia omnis ſpiritus immundi. „Eſt quidem ibi ſancta Eccleſia, ſunt trophæa Apo„ſtolorum, & Martyrum, eſt Chriſti vera Confeſ„ſio, eſt ab Apoſtolo prædicata fides, & gentili„tate calcata, in ſublime ſe quotidie erigens vo„cabulum Chriſtianum: Sed ipſa ambitio, potentia, „magnitudo urbis, videri, & videre, ſalutari, & „ſalutare, laudare, & detrahere, vel audire, vel „pro-

„proloqui, & tantam frequentiam hominum ſal-„trem invitum videre a propoſito Monachorum, „& quiete aliena ſunt. Aut enim videmus veni-„entes ad nos, & ſilentium perdimus: aut non „videmus, & ſuperbiæ arguimur. Interdumque „ut viſitantibus reddamus vicem, ad ſuperbas fo-„res pergimus, & inter linguas rodentium mini-„ſtrorum poſtes ingredimur auratos. In Chriſti „vero, ut ſupra diximus, villula tota ruſticitas, „& extra pſalmos ſilentium eſt. Quocunque te „verteris, arator ſtivam tenens alleluja decantat, „ſudans meſſor pſalmis ſe avocat, & curva atton-„dens vitem falce vinitor aliquid Davidicum canit. „Hæc ſunt in hac provincia carmina, hæ ut vul-„go dicitur, amatoriæ cantiones, hic paſtorum ſi-„bilus, hæc arma culturæ. Verum quid agimus, „nec quid deceat, cogitantes, ſolum quod cupi-„mus, hoc videmus? O quando illud tempus ad-„veniet, cum anhelus nuntium viator apportet, „Marcellam noſtram ad Palæſtinæ littus appulſam, „& toti monachorum chori, tota Virginum agmi-„na concrepabunt? Obviam jam, jamque geſti-„mus occurrere, & non expectato vehiculo con-„citum pedibus ferre corpus. Tenebimus manus, „ora cernemus, & a deſiderato vix avellemur com-„plexu. Ergone erit illa dies, quando nobis li-„ceat ſpeluncam Salvatoris intrare? in ſepulchro „Domini flere cum ſorore, flere cum Matre? Cru-„cis deinde lambere lignum, & in Oliveti monte „cum aſcendente Domino voto, & animo ſuble-„vari? Videre exire Lazarum faſciis colligatum, „& fluenta Jordanis ob lavacrum Domini purio-„ra? Inde ad Paſtorum caulas pergere, in David „orare Mauſolæo? Amos Prophetam etiam nunc „buccina paſtorali in ſua conſpicere rupe clangen-„tem? ad Abraham, Iſaac, & Jacob, trium quo-„que illuſtrium fœminarum vel tabernacula pro-

 „pera-

„perare, vel memorias? Videre fontem, in quo a „Philippo Eunuchus eſt tinctus? Samariam perge„re, & Joannis Baptiſtæ, Heliſæi quoque & Ab„diæ pariter cineres adorare? Ingredi ſpeluncas, „in quibus perſecutionis, & famis tempore Pro„phetarum agmina ſunt nutrita? Ibimus ad Naza„reth, & juxta interpretationem nominis ejus flo„rem videbimus Galileæ &c. Et tunc comitante „Chriſto, cum per Silo, & Bethel & cetera loca, „in quibus Eccleſiæ quaſi quædam victoriarum Do„mini ſunt erecta vexilla, ad noſtram ſpeluncam „redierimus, canemus jugiter, crebro flebimus, „indeſinenter orabimus, & vulneratæ jaculo Salva„toris in commune dicemus: *Inveni, quem quæſivit* „*anima mea; tenebo eum, & non dimittam illum.*„

S. Isidorus Pelusiota ſtylum temperatum fere ſemper adhibuit in Epiſtolis ſuis; ut qui modo ejus docendi ſplendido æque, ac gravi quam maxime eſſet accomodatus. Exemplum ſubjicio obvium ex *Libro II. epiſt.* 110. *ad Euſtathium Diaconum*, ubi de temerario judicio ille agit:

„Magna me, inquit, admiratio tenet, quonam „pacto tyrannicus, ac ſævus morbus, voluptatisque „omnis expers, & cruciatum parturiens, tum om„nes cujusvis ætatis ſuperarit, tum omnes cujusli„bet dignitatis ſubegerit, ac denique ornatum om„nem, ac modeſtiam labefactarit. Unusquisque „enim prætermiſſis peccatis ſuis, & quidem gra„viſſimis, veniaque perſæpe majoribus, aliorum „errata, tametſi leviora, veniaque ſæpenumero digna „curioſe inquirit: ac ſua quidem ſupputans mœrore „afficitur, de alienis autem verba faciens exultat, „lætitiaque perfunditur, atque in aliorum actioni„bus perſcrutandis, & condemnandis tempus om„ne ſuum conterit. Ac ſibi ipſi quidem falſas „etiam defenſiones, purgationesque comparat; „aliorum autem acerbus, & inexorabilis judex ſe-

„det,

„det, etiamſi alioqui juſtis excuſationibus affluere „videantur. Quocirca iis, qui hujusmodi morbo „medicinam excogitare cupiunt, faciendum eſt, „ut animi oculum ab alienis rebus ad delicta ſua „convertant, linguamque ſuam aſſuefaciant non „ad alios, ſed ad ſeipſos acri & vehementi oratio„ne inſectandos. Hoc enim juſtitiam parturit „(*Dic enim tu prior*, inquit, *iniquitates tuas, ut* „*juſtificeris*) illud autem majorem condemnatio„nem habet. Grave eſt enim, & abſurditatem om„nem excedens, eos, qui magnis criminibusſe devin„ciunt, iis qui nihil. aut parum peccant,ſuccenſere.„

Sed etiam ex divo Damasceno aliquid afferendum eſt. Hic *Libro IV. orthod. fidei cap.* 15. ita eleganter Sacrarum Reliquiarum cultum perſuadet.

„Chriſtus Dominus Sanctorum reliquias velut „ſalutares fontes præbuit, ex quibus plurima ad „nos beneficia manant, ſuaviſſimumque unguen„tum profluit. Nec quisquam his fidem detrahat. „Nam ſi aqua in deſerto ex aſpera, & dura ru„pe, atque ex aſini maxilla ad ſedandam Samſoni „ſitim Deo ita volente proſiliit, cur incredibile vi„deatur, ex Martyrum reliquiis ſuave unguentum „ſcaturire! Minime certe, iis quidem, quibus Dei „potentia, & honor, quo Sanctos ſuos afficit, ex„plorata ſunt. In lege quisquis mortuum tetige„rat, immundus cenſebatur. Verum hi in mortuo„rum numero habendi non ſunt. Ex quo enim „ille, qui ipſa vita eſt, & vitæ auctor inter mortu„os deputatus eſt, eos, qui cum ſpe reſurrectio„nis, fideque in ipſum obdormierunt, nequaquam „mortuos appellamus. Qui enim, corpus (*mor*„*tuum*) miracula edere queat? Quanam igitur ra„tione horum opera dæmones expelluntur, mor„bi profligantur, ægroti ſanantur, cæci viſum re„cipiunt, leproſi mundantur, tentationes, ac mœ„rores diſcutiuntur: ac denique omne datum op-

„cit, hoc in medium profert. Num in Evangelio „legiſti has differentias, aut in prophetis, aut in „literis Apoſtolorum? Caro & ſanguis profecto re„velavit tibi hanc ſapientiam, non ſpiritus Patris. „Eſt enim carnis hæc ſapientia. Sed audi, quid de „ipſa noſtri medici ſentiant. *Sapientia,* inquiunt, „*carnis mors eſt.* Item: *Sapientia carnis inimica eſt* „*Deo.* Num Hippocratis, ſeu Galeni ſententiam, „aut certe de ſchola Epicuri debui proponere vo„bis? Chriſti ſum diſcipulus, Chriſti diſcipulis lo„quor. Ego ſi peregrinum dogma induxero, ipſe „peccavi. Epicurus atque Hippocrates corporis „alter voluptatem, alter bonam habitudinem præ„fert. Meus magiſter utriusque rei contemptum „prædicat. Animæ in corpore vitam, quam „ſummo ſtudio iſte, unde ſuſtentet, & ille, unde „& delectet, inquirit, atque inquirere docet: „Salvator monet & perdere. Quid enim tibi aliud „de Chriſti auditorio ſonuit, cum paulo ante cla„matum eſt: *Qui amat animam ſuam, perdet eam?* „Perdet eam, dixit, ſive ponendo ut Martyr, ſive „affligendo ut pœnitens. Quanquam genus mar„tyrii eſt, ſpiritu facta carnis mortificare, illo ni„mirum, quo membra cæduntur, ferro, horrore „mitius, ſed diuturnitate moleſtius. Videsne hac „ſententia magiſtri mei carnis ſapientiam conde„mnari, per quam utique aut in luxum volupta„tis diffluitur, aut ipſa quoque bona valetudo „corporis ultra, quam oporteat, appetitur? De„nique quod vera ſapientia in voluptates non „effluat, audiſti profecto a Sapiente, ne inve„niri quidem hanc in terra ſuaviter viventium. „Qui autem invenit, dicit: ſuper ſalutem & om„nem pulchritudinem dilexi ſapientiam. Si ſuper „ſalutem, & pulchritudinem, quanto magis ſuper „voluptatem, & turpitudinem? Quid vero prodeſt „temperare a voluptatibus, & inveſtigandis di-

„verſitatibus complexionum, ciborumque varietatibus exquirendis quotidianam impendere curam? Legumina, inquit, ventoſa ſunt, caſeus „ſtomachum gravat, lac capiti nocet, potum aquæ „non ſuſtinet pectus, caules nutriunt melancholiam, choleram porri accendunt, piſces de ſtagno, aut de lutoſa aqua meæ penitus complexioni „non congruunt. Quale eſt hoc, ut in totis fluviis, agris, hortis, cellariisve reperiri vix poſſit, quod comedas? Puta te quæſo monachum „eſſe, non medicum, nec de complexione judicandum, ſed de profeſſione. Parce obſecro primum quidem quieti tuæ, parce deinde labori miniſtrantium, parce gravamini domus, parce conſcientiæ. Conſcientiæ dico, non tuæ, ſed alterius, illius videlicet, qui prope ſedens & edens, „quod ſibi apponitur, de tuo ſingulari jejunio „murmurat. Scandalo quippe eſt ei aut tua odioſa ſuperſtitio, aut duritia, quam forte putat, illius, qui tibi habet providere. Scandalizatur, „inquam, in tua ſingularitate frater, judicans te „ſuperſtitioſum, tanquam ſuperflua quæritantem, „aut certe me durum cauſans, qui non perquiram victui neceſſaria. Fruſtra ſibi quidam blandiuntur de exemplo Pauli hortantis diſcipulum „non bibere aquam, ſed modico uti vino propter „ſtomachum, & frequentes ſuas infirmitates. Qui „attendere debent, primum quidem Apoſtolum „minime ſibi ipſi rem iſtiusmodi ſuadere, ſed ne „diſcipulum æque expoſcere ſibi. Deinde non monacho hoc intimari, ſed Epiſcopo, cujus vita „teneræ adhuc & naſcenti Eccleſiæ perneceſſaria „eſſet. Timotheus hic erat. Da mihi alterum Timotheum, & ego cibo eum, ſi vis, etiam auro, „& poto balſamo. Cæterum tu tibimet ipſi diſpenſas miſertus tui. Suſpecta eſt mihi, fateor, „tua ipſius in te diſpenſatio, & vereor tibi illudi

„ſub

„ſub tegmine, & nomine diſcretionis a carnis prudentia. Id te ſaltem volo admonitum eſſe, ut „ſi tibi ita auctoritas Apoſtoli placet de bibendo „vino: *modico*, quod ille adjunxit, non prætermittas. Et de hoc ſatis.„ In quibus profecto perpetua eſt viciſſitudo, nunc plani, nunc ſublimis; non minus ſcilicet quam jucundi, atque auſteri.

CAPUT IV.

Specimina circa genus dicendi numeroſum *&* harmonicum.

Numeri propriam quamdam, atque præcipuam rationem Oratori habendam, ſatis in comperto eſt. Quis enim non videt, quam plurimum eum facere ad delectationem? Quis negat judicio aurium deberi aliquid, quæ natura ducuntur ad modos? Quis neſcit intrare non poſſe in affectum, quod in aure velut quodam veſtibulo ſtatim offendit? In ipſa plebe animadvertimus, quemadmodum in picturis, in ſignis, in aliis operibus, præſertim autem in muſica, notare eam, quid plenum, quid inane ſit, & perfecta ſentire, & imperfecta expleri velle, & fragoſis offendi, & lenibus mulceri, & contortis excitari, & redundantia faſtidire. Verbo ars a natura profecta eſt, itaque & inexperti in animo quamdam continent vocum omnium menſionem, atque ſicut docti rationem componendi intelligunt, ſic indocti ſentiunt voluptatem. Sed hac de re eleganter non minus, quam ſolide Cicero *Libro III. de oratore*, & in *Bruto &c.* Quintilianus *Libro IX. cap.* 4. Dionysius Halicarnasseus *de verborum compoſitione* & ex noſtris Gisbertus *cap.* 8. quos qui legerit, non tantum iſtud mihi dabit, ſed illud etiam longe majus, hoc veluti niſu quodam librari, torqueri

 argu-

argumenta, affectusque ipſos jam cieri, jam temperari, jam omnino comprimi poſſe.

Ne vero putes neglectam a Patribus numeroſam orationem. Imo eloquentiores plerique, ſi non omnes, orbem illum ſermonis habent, qui reſpondentium ſibi partium concinnitate, longorumque, ac brevium viciſſitudine impleat aures, & teneat mirum in modum, atque oblectet: Quod Minutii, Lactantii, Basilii, Nazianzeni, Nysseni, Asterii, Chrysostomi, Theodoreti, aliorumque ſcripta abunde teſtantur. Neque enim oratio eorum fluctuat aliquando, aut ſine lege ſine modo vagatur, ſed certis ſpatiis decurrit, & aptiſſimis quibuſdam finibus continetur. Quidam amant adeo circuitus, neque recta feruntur, verum per ambages leniſſimo tractu diffuſi tantiſper, eodem redeunt ex intervallo. Qua in re tam expromptam, tamque nativam habent facultatem, ut verba ad arbitrium dicentis inſtar mollis ceræ effingi, numeri vero non cogi, ſed ſponte ſua profluere videantur.

Neque tamen anxiam eorum diligentiam probant, qui Iſocratem, & Theopompum ſecuti, ad minimum literæ concurſum, quaſi pedes offendiculo cruentaſſent, ſic expaveſcunt. Neque rurſum productiores ſunt, & periodos veluti longam veſtem poſt ſe trahunt, quas denique operoſo fine velut nodis quibuſdam conſtringant. Non enim latuit ſapientiſſimos viros, inde quidem nimis tralucere artificium quadrandæ orationis: hic autem, quæcunque adſit nectendi facilitas, ut ſane Græcis adeſt maxima, plerumque nec ſpiritum dicentis, nec legentis attentionem ſufficere, ad ſententiam abſolvendam. Hos ergo compedes abjicere nos jubent, atque ita numeros moderari, ut labor, quem forte inter ſcribendum ſumpſimus nobis, in recitando minime appareat. Præſtare autem ajunt, ſi

defi-

deficiamus hac in parte, quam ſi excedamus: & ſi optio detur, circuitus parciores malunt, quam profuſiores.

S. Augustinus *Libro IV. de Doctrina Chriſt. cap.* 20. cum de Scriptoribus divinorum Librorum mentio eſſet, ſapienter inquit: „Sane hunc elocu-„tionis ornatum, qui numeroſis fit clauſulis, de-„eſſe fatendum eſt auctoribus noſtris: quod utrum „per interpretes factum ſit, an, quod magis arbi-„tror, conſulto illi hæc plauſibilia devitaverint, „affirmare non audeo; quoniam me fateor igno-„rare. Illud tamen ſcio, quod ſi quiſquam hujus „numeroſitatis peritus illorum clauſulas, eorum-„dem numerorum lege componat (quod facillime „fit mutatis quibusdam verbis, quæ tantumdem „ſignificatione valent, vel mutato eorum, quæ in-„venerit, ordine) nihil illorum, quæ velut magna „in ſcholis Grammaticorum, aut Rhetorum didi-„cit, illis divinis viris defuiſſe cognoſcet. Et „multa reperiet locutionis genera tanti decoris, „quæ quidem & in noſtra, ſed maxime in ſua „lingua decora ſunt, quorum nullum in eis, qui-„bus iſti inflantur, literis invenitur. Sed caven-„dum eſt, ne divinis gravibusque ſententiis dum „additur numerus, pondus detrahatur. Nam illa „muſica diſciplina, ubi numerus iſte pleniſſime di-„ſcitur, uſque adeo non defuit Prophetis noſtris, ut „vir doctiſſimus Hieronymus quorumdam etiam „metra commemoret, in Hebræa duntaxat lingua, „cujus ut veritatem ſervaret in verbis, hæc inde non „tranſtulit. Ego autem, ut de ſenſu meo loquar, „qui mihi quam aliis, & quam aliorum eſt utique „notior, ſicut in meo eloquio, quantum modeſte „fieri arbitror, non prætermitto iſtos numeros clau-„ſularum: ita in auctoribus noſtris hoc mihi plus „placet: quod ibi eos rariſſime invenio.„ Ita Augustinus, qui ejusdem Libri *cap.* 26. non negatl

ve,

vel in ſummiſſa dictione, ſi adſit non quæſita, ſed naturalis atque ipſis rebus exorta numeroſitas clauſularum, tantas acclamationes excitari, ut vix intelligatur eſſe ſubmiſſa. Quibus omnibus clare oſtendit, non odiſſe ſe numeros, ſed modum duntaxat, & temperantiam in illis deſiderare.

Hieronymus quoque etſi ubivis dimenſionem amat, in *laciniofas periodos*, & *trutinata* verba ſæpius ſtomachatur. Et iſtam quidem vocem a trutina repetit, in qua ſermonem veluti librarent affectati & umbratiles oratores: illam vero adhibet, quod aſſumentis quibusdam infarcirent omnia, rimasque explerent ad numerum undecunque obtinendum.

Audiamus veteranum præceptorem Carolum Regium, qui *Libro VIII. cap.* 12. ex mente Patrum ita habet. „Basilius vocum elaboratam collocationem irridet, negatque, chriſtianis licere periodorum quaſi fabros eſſe, ac tornatores. Theodoretus laudat Pythagoræ dictum, qui oratores fucato eruditos artificio Syrenes nominabat, quæ dulci quidem, ſed peſtifero cantu tranſeuntibus inſidiantur. Nolim ego concionatorem laborare in compoſitione periodorum, quas artificioſa ſemper ſtructura circumacta, & inter ſe comprehenſa operoſo ſine connectat, quas quidam ſicut ſcribunt, ita pronuntiant ad verbum. Sed nihil magis affectum ſive dicentis, ſive audientis enervat. Nam is, qui dicit, quia occupatur in periodis rotundandis vel memoria repetendis, ut certis alligatus verbis quaſi compedibus, mentem in affectum, quem vult excitare, incaleſcereque ipſe, & libere ferri minime poteſt. Is vero qui audit, & artificio abſtrahitur a rei cogitatione, & opinionem apud ſe concionatoris elevat, ac denique moveri non poteſt; quia apte ad motum concionator non dicit. Quæ cum ſæpius monuerim, nolo quis-

„piam

„piam ſuſpicetur, me negligentiam ſuadere, & „periodos omnino damnare. Nam nihil inſulſius „eſt, nihil claritati, & jucunditati magis adverſum, „quam oratio, quæ diſſoluta feratur ſine ullo fine, „nusquam inſiſtens, nusquam ſententiam abſol„vens, ſed alia atque alia annectens puerorum mo„re, qui non niſi per conjunctionem *Et* ſermonem „norunt producere. Scio concluſas apte verbis ſen„tentias tanquam amento haſtas fortius intorqueri. „Video, quid habeat gravitatis S. Leonis rotundi„tas, quam etiam Eccleſiæ precationes fere nume„roſe claudantur. Non igitur numerum damno, „niſi, ut initio de eloquentia dixi, immodicum, „corruptum, enervem. Is autem eſt, in quo fa„ciendo cura, & labor apparet, qui non validius „vibrat ſenſus, ſed hebetat, qui auribus ſolum in„ani ſono blanditur. Hic igitur plane repudietur: „adſit autem ſua ſententiis circumſcriptio, verba „non temere fundantur, ſed ita diſpoſita, ut clarius „explicandæ rei, vel motui ciendo conveniant. „Ubique pietas, affectus, naturalis vis, & quod„dam virile robur eluceat.„

Hæc poſtquam præmonui, ſpecimina quædam ſubjicio.

Minutius Felix *Octavium* ſuum ita orditur:

„Cogitanti mihi, & cum animo meo Octavii „boni, & fideliſſimi contubernalis memoriam re„cenſenti, tanta dulcedo, & affectio hominis inhæ„ſit, ut ipſe quodammodo mihi viderer in præterita „redire, non ea, quæ jam tranſacta, & decurſa „ſunt, recordatione revocare. Ita ejus contempla„tio, quantum ſubtracta eſt oculis, tantum pectori „meo, ac pene intimis ſenſibus implicata eſt. Nec „immerito diſcedens vir eximius, & ſanctus im„menſum ſui deſiderium nobis reliquit; utpote „cum & ipſe tanto noſtri ſemper amore flagraverit,

„ut

„ut & in ludicris, & ſeriis pari mecum voluntate „concineret, eadem vellet, vel nollet. Crederes „unam mentem in duobus fuiſſe diviſam. Sic ſolus „in amoribus conſcius ipſe, ſocius in erroribus, & „cum diſcuſſa caligine, de tenebrarum profundo in „lucem ſapientiæ, & veritatis emergerem, non re„ſpuit comitem, ſed, quod eſt glorioſius, præcucur„rit. Itaque cum per univerſam convictus noſtri, „& familiaritatis ætatem mea cogitatio volveretur, „in illo præcipue ſermone ejus mentis meæ reſedit „intentio, quo Cæcilium ſuperſtitioſis vanitatibus „etiamnum inhærentem, diſputatione graviſſima „ad veram religionem reformavit.„

Et infra.

„Nec recuſo, quod Cæcilius aſſerere inter præ„cipua connixus eſt, hominem noſſe ſe, & circum„ſpicere debere, quid ſit, unde ſit, quare ſit, utrum „elementis concretus, an concinnatus atomis, an „potius a Deo factus, formatus, animatus. Quod „ipſum explorare & eruere ſine univerſitatis inqui„ſitione non poſſumus, cum ita cohærentia, con„nexa, concatenata ſint, ut niſi divinitatis ratio„nem diligenter excuſſeris, neſcias humanitatis, nec „poſſis pulchre gerere rem civilem, niſi cognove„ris hanc communem omnium mundi civitatem; „præcipue cum a feris belluis hoc differamus, quod „illa prona, in terramque vergentia, nihil nata ſint „proſpicere, niſi pabulum: nos, quibus vultus ere„ctus, quibus ſuſpectus in cœlum datus eſt, ſermo „& ratio, per quæ Dominum agnoſcimus, ſenti„mus, imitamur, ignorare nefas, nec licet inge„rentem ſeſe oculis & ſenſibus noſtris cœleſtem „claritatem. Sacrilegii enim vel maximi inſtar eſt „humi quærere, quod in ſublimi debeas invenire. „Quo magis mihi videntur, qui hunc mundi totius „ornatum non divina ratione perfectum volunt, ſed „fruſtis quibusdam temere cohærentibus congloba-

„tum,

„tum, mentem, ſenſum, oculos denique ipſos non „habere. Quid enim poteſt eſſe tam apertum, tam „confeſſum, tamque perſpicuum, cum oculos in „cœlum ſuſtuleris, & quæ ſunt infra, circaque, luſtraveris, quam eſſe aliquod numen præſtantiſſimæ mentis, quo omnis natura inſpiretur, moveatur, alatur, gubernetur? „

Et S. Cyprianus *epiſt.* 55. *ad Cornelium.*

„Nec me oportet, frater chariſſime, paria nunc „cum illis facere, & ea, quæ commiſerunt, atque „hucusque committunt meo ſermone decurrere; „cum conſiderandum ſit nobis, quid proferre, & „ſcribere Sacerdotes Dei oporteat, nec tam dolor „apud nos debeat, quam pudor loqui, & ne videar „provocatus maledicta potius, quam crimina, & „peccata congerere. Taceo itaque de fraudibus Ec„cleſiæ factis, conjurationes, & adulteria, & varia „delictorum genera prætereo: unum illud, in quo „non mea, nec hominum, ſed Dei cauſa eſt, de „eorum facinore non puto eſſe reticendum, quod „a primo ſtatim perſecutionis die, cum recentia „delinquentium facinora ferverent, & ſacrificiis ne„fandis non tantum diaboli altaria, ſed adhuc ma„nus ipſæ lapſorum, atque ora fumarent, commu„nicare cum lapſis, & pœnitentiæ agendæ interce„dere * non deſtiterunt. „

Lactantius *Libro I. divinar. Inſtitut. cap.* 1.

„De Religione itaque nobis, rebusque divinis „inſtituitur diſputatio. Nam ſi quidam maximi „oratores, profeſſionis ſuæ quaſi veterani, decurſis „operibus actionum ſuarum, poſtremo ſe philoſo„phiæ tradiderunt, eamque ſibi requiem laborum „juſtiſſimam putaverunt, ſi animos ſuos in earum „rerum, quæ inveniri non poterant, inquiſitione „torquerent, ut non tam otium ſibi, quam nego„tium

* Id eſt, opponere ſeſe.

„tium quæſiſſe videantur, & quidem multo mole„ſtius, quam in quo fuerant ante verſati: quanto „juſtius ego me ad illam piam, veram, divinam„que ſapientiam quaſi ad portum aliquem tutiſſi„mum conferam, in qua omnia dictu prona ſunt, „auditu ſuavia, facilia intellectu, honeſta ſuſceptu? „Et ſi quidam prudentes, & arbitri æquitatis inſti„tutiones civilis juris compoſitas ediderunt, quibus „civium diſſidentium lites, contentionesque ſopi„rent; quanto melius nos, & rectius divinas inſti„tutiones literis perſequemur, in quibus non de „ſtillicidiis, aut aquis arcendis, aut de manu con„ſerenda, ſed de ſpe, de vita, de ſalute, de im„mortalitate, de Deo loquemur, ut ſuperſtitiones „mortiferas, erroresque turpiſſimos ſopiamus. „Quod opus nunc nominis tui auſpicio inchoamus, „Conſtantine Imperator maxime! qui primus Ro„manorum Principum repudiatis erroribus majeſta„tem Dei ſingularis, ac veri & cognoviſti, & ho„noraſti. Nam cum ille dies feliciſſimus orbi terra„rum illuxiſſet, quo te Deus ſummus ad beatum „imperii culmen evexit: ſalutarem univerſis, & „optabilem principatum præclaro initio auſpicatus „es, cum everſam, ſublatamque juſtitiam reducens, „teterrimum aliorum facinus expiaſti. Pro quo fa„cto dabit tibi Deus felicitatem, virtutem, diutur„nitatem, ut eadem juſtitia, qua juvenis exorſus es, „gubernaculum Reipublicæ etiam ſenex teneas, „tuisque liberis, ut ipſe a patre accepiſti, tutelam „Romani nominis tradas. Nam malis, qui adhuc „adverſus juſtos in aliis terrarum partibus ſæviunt, „quanto ſerius, tanto vehementius idem omnipo„tens mercedem ſceleris exſolvet; quia ut eſt erga „pios indulgentiſſimis pater, ſic adverſus impios re„ctiſſimus judex. Cujus religionem, cultumque „divinum cupiens defendere, quem potius appel„lem, quem alloquar, niſi eum, per quem rebus

„huma-

„humanis juſtitia, & ſapientia reſtituta eſt? Omiſſis „ergo hujusce terrenæ philoſophiæ auctoribus, ni„hil certi afferentibus, aggrediamur viam rectam; „quos equidem ſi putarem ſatis idoneos ad bene vi„vendum duces eſſe, & ipſe ſequerer, & alios, ut „ſequerentur, hortarer: ſed cum inter ſe magna „concertatione diſſideant, ſecumque ipſi plerum„que diſcordent, apparet eorum iter nequaquam „eſſe directum; ſiquidem ſibi quique, ut eſt libi„tum, proprias vias impreſſerunt, confuſionemque „magnam quærentibus veritatem reliquerunt. No„bis autem, qui ſacramentum veræ religionis acce„pimus, cum ſit veritas revelata divinitus, cum „doctorem ſapientiæ, ducemque veritatis Deum ſe„quamur, univerſos ſine ullo diſcrimine vel ſexus, „vel ætatis ad cœleſte pabulum convocamus. Nul„lus enim ſuavior animo cibus eſt, quam cognitio „veritatis, cui aſſerendæ, atque illuſtrandæ ſeptem „volumina deſtinavimus. Quamvis ea res infiniti „pene ſit operis, & immenſi, ut ſi quis hæc dila„tare, atque exequi pleniſſime velit, tanta illi re„rum copia exuberet, ut nec libri modum, nec „finem reperiat oratio. Sed nos idcirco breviter „omnia colligemus, quod ea, quæ allaturi ſumus, „tam clara ſunt, & lucida, ut magis mirum eſſe „videatur, tam obſcuram videri hominibus verita„tem, & iis præcipue, qui ſapientes vulgo putan„tur; vel quod tantummodo inſtituendi nobis ho„mines erunt, hoc eſt, ab errore, quo ſunt impli„cati, ad rectiorem viam revocandi. Quod ſi fue„rimus, ut ſpero, aſſecuti, mittemus eos ad ipſum „doctrinæ uberrimum, ac pleniſſimum fontem, „cujus hauſtu, atque potu conceptam viſceribus „ſitim ſedent, ardoremque reſtinguant. Eruntque „illis omnia facilia, prona, manifeſta; modo ne „pigeat ad percipiendam ſapientiæ diſciplinam le„gendi, vel audiendi patientiam commodare.

„Multi enim ſuperſtitionibus vanis pertinaciter in„hærentes, obdurant ſe contra manifeſtam verita„tem, non tam de ſuis religionibus, quas prave „aſſerunt, bene meriti, quam de ſe male; qui cum „habeant iter rectum, devios ſequuntur anfractus: „planum deſerunt, ut per præcipitium labantur: „lucem relinquunt, ut in tenebris cœci, ac debi„les jaceant. His conſulendum eſt, ne contra ſe „pugnent, velintque ſe tandem ab inveteratis erro„ribus liberari. Quod utique facient; ſi, quare „ſint nati, aliquando perviderint. Hæc enim pra„vitatis eſt cauſa ignoratio ſui; quam ſi quis co„gnita veritate diſcuſſerit, ſciet, quo referenda, & „quemadmodum ſibi vita degenda ſit. Cujus ſcien„tiæ ſummam breviter circumſcribo; ut neque reli„gio ulla ſine ſapientia ſuſcipienda ſit, nec ulla ſine „religione probanda ſapientia. „

Salvianus *Libro I. de Gubernat. propius initio.*

„Quis tam expers humanæ intelligentiæ eſt, & „hujus ipſius, de qua loquimur, veritatis alienus, „qui non agnoſcat, & videat pulcherrimum mundi „opus, & inæſtimabilem ſupernarum, infernarum„que rerum magnificentiam ab eodem regi, a quo „creata ſit, quemque elementorum fabricatorem, „eundem etiam gubernatorem fore; qui cuncta ſci„licet qua poteſtate, ac majeſtate condiderit, ea„dem etiam providentia, ac ratione moderetur, „præſertim cum etiam in his, quæ humano actu ad„miniſtrantur, nihil penitus ſine ratione conſiſtat, „omniaque ita a providentia incolumitatem, quaſi „corpus ab anima vitam trahant, ideoque in hoc „mundo non ſolum imperia, & provincias, atque „rem civilem, ac militarem, ſed etiam minora offi„cia, & privatas domos, pecudes denique ipſas, „& minutiſſima quæque domeſticorum animantium „genera non niſi humana ordinatione, atque conſi„lio, quaſi quadam manu, & gubernaculo conti-

„neri.

„neri. Et hæc omnia ſine dubio voluntate, ac ju-„dicio ſummi Dei; ſcilicet ut eo exemplo omne „genus humanum, particulas rerum, & membra „regeret, quo ipſe ſummam totius humani corpo-„ris gubernaret.„

S. Leo *Magnus Serm. 2. in ſolennitate Nativitatis D. N. J. C.*

„Exultemus in Domino dilectiſſimi, & ſpiri-„tuali jucunditate lætemur; quia illuxit nobis dies „redemptionis novæ, reparationis antiquæ, felici-„tatis æternæ. Reparatur enim nobis ſalutis noſtræ „annua revolutione ſacramentum, ab initio pro-„miſſum, in fine redditum, ſine fine manſurum. „In quo dignum eſt nos erectis ſurſum cordibus di-„vinum adorare myſterium, ut quod magno Dei „munere agitur, magnis Eccleſiæ gaudiis celebretur. „Deus enim omnipotens, & clemens, cujus natura „bonitas, cujus voluntas potentia, cujus opus mi-„ſericordia eſt, ſtatim ut nos diabolica malignitas „veneno ſuæ mortificavit invidiæ, prædeſtinata re-„novandis mortalibus ſuæ pietatis remedia inter ipſa „mundi primordia præſignavit, denuntians ſerpenti, „futurum ſemen mulieris, quod noxii capitis ela-„tionem ſua virtute contereret; Chriſtum ſcilicet „in carne futurum, hominemque ſignans, qui na-„tus ex virgine violatorem humanæ propaginis in-„corrupta nativitate damnaret. Nam quia gloriaba-„tur diabolus, hominem ſua fraude deceptum di-„vinis caruiſſe muneribus, & immortalitatis dote „nudatum duram mortis ſubiiſſe ſententiam, ſeque „in malis ſuis quoddam de prævaricatoris conſortio „inveniſſe ſolatium, Deum quoque juſtæ ſeveritatis „exigente ratione erga hominem, quem in tanto „honore condiderat, antiquam mutaſſe ſententiam: „opus fuit, dilectiſſimi, ſecreti diſpenſatione conſilii, „ut incommutabilis Deus, cujus voluntas non po-„teſt ſua benignitate privari, primam pietatis ſuæ

„diſpoſitionem ſacramento occultiore compleret, & „homo diabolicæ iniquitatis verſutia actus in cul„pam, contra Dei propoſitum non periret. Adve„nientibus ergo temporibus, dilectiſſimi, quæ redem„ptioni hominum fuerant præſtituta, ingreditur „hæc infima Jeſus Chriſtus Dominus noſter, de cœ„leſti ſede deſcendens, & a paterna gloria non re„cedens, novo ordine, nova nativitate generatur. „Novo ordine; quia inviſibilis in ſuis, viſibilis fa„ctus eſt in noſtro: incomprehenſibilis voluit com„prehendi; ante tempora manens, eſſe cœpit ex „tempore; univerſitatis Dominus ſervilem formam „obumbrata majeſtatis ſuæ dignitate ſuſcepit; im„paſſibilis Deus non dedignatus eſt homo eſſe paſſi„bilis, & immortalis mortis legibus ſubjacere. „Nova autem nativitate genitus eſt; conceptus „a virgine, natus ex virgine, ſine paternæ carnis „concupiſcentia, ſine maternæ integritatis injuria; „quia futurum hominum Salvatorem talis ortus de„cebat, qui & in ſe haberet humanæ ſubſtantiæ na„turam, & humanæ carnis inquinamenta neſciret. „Auctor enim in carne naſcendi Deus eſt, teſtante „Archangelo ad beatam Virginem Mariam: *Quia „Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus altiſſi„mi obumbrabit tibi; ideoque quod naſcetur ex te ſan„ctum, vocabitur Filius Dei.* Origo diſſimilis, ſed „natura conſimilis. Humano uſu, & conſuetudi„ne, quod credimus, caret; ſed divina poteſtate „ſubnixum eſt, quod virgo conceperit, quod vir„go pepererit, & virgo permanſerit. Non hic co„gitetur parientis conditio, ſed naſcentis arbitrium, „qui ſic homo natus eſt, ut volebat, & poterat. Si „veritatem quæris, humanæ naturæ cognoſce mate„riam: ſi rationem ſcrutaris originis, virtutem con„fitere divinam. Venit enim Dominus Jeſus Chri„ſtus contagia noſtra auferre, non perpeti, nec „ſuccumbere vitiis, ſed mederi. Venit ut omnem

„lan-

„languorem corruptionis, & univerſa vulnera ſor„dentium curaret animarum, propter quod opor„tuit, ut novo naſceretur ordine, qui novam im„pollutæ ſinceritatis gratiam humanis corporibus in„ferebat.„

Et *Serm.* 2. *de jejunio decimi menſis &c.*

„Quod temporis ratio, & devotionis noſtræ „admonet conſuetudo, paſtorali vobis, dilectiſſimi, „ſolicitudine prædicamus, decimi menſis celebran„dum eſſe jejunium, quo pro conſummata perce„ptione omnium fructuum diligentiſſime largitori „eorum Deo continentiæ libamen offertur. Quid „enim poteſt efficacius eſſe jejunio? cujus obſer„vantia appropinquamus Deo, & reſiſtentes diabolo „vitia blanda ſuperamus. Semper enim virtuti ci„bus jejunium fuit. De abſtinentia prodeunt ca„ſtæ cogitationes, rationabiles voluntates, ſalu„briora conſilia, & per voluntarias afflictiones caro „concupiſcentiis moritur, virtutibus ſpiritus inno„vatur. Sed quia non ſolo jejunio animarum no„ſtrarum ſalus acquiritur, jejunium noſtrum miſe„ricordiis paupetum ſuppleamus: impendamus vir„tuti, quod ſubtrahimus voluptati: fiat refectio pau„peris abſtinentia jejunantis. Studeamus viduarum „defenſioni, pupillorum utilitati, lugentium con„ſolationi, diſſidentium paci, ſuſcipiatur peregri„nus, adjuvetur oppreſſus, veſtiatur nudus, fo„veatur ægrotus; ut quicunque noſtrum de juſtis „laboribus auctori bonorum omnium Deo ſacrifi„cium hujus pietatis obtulerit, ab eodem regni cœ„leſtis præmium percipere mereatur. Quarta igi„tur, & ſexta feria jejunemus: Sabbatho autem „apud beatum Petrum Apoſtolum pariter vigile„mus, cujus ſuffragantibus meritis, quæ poſcimus, „impetrare poſſimus, per Dominum noſtrum Je„ſum Chriſtum, qui cum Patre, & Sancto Spiritu „vivit, & regnat in ſæcula ſæculorum, amen.„

Rurſum *Serm* 5. *ejuſdem argumenti* Manichæorum impietatem hiſce verbis ob oculos ponit.

„Quod enim in paganis profanum, quod in judæis carnalibus cœcum, quod in ſecretis magicæ „artis illicitum, quod denique in omnibus hæreſi„bus ſacrilegum, atque blaſphemum eſt, hoc in „iſtos, quaſi in ſentinam quamdam cum omnium „ſordium concretione confluxit. Unde univerſas „eorum impietates, ac turpitudines enarrare per„longum eſt; ſuperat enim verborum copiam cri„minum multitudo.„

S. Bernardus ipſe quoque ſuis modis, ſuis numeris fertur, & ſæpe tantum non exultat. Sic in *Declamationibus de verbis Evangelii:* Ecce nos reliquimus &c. Clericum ita de ratione vivendi, quam tenet, ſolicitum reddit.

„Jam qui per Chriſtum ſibi in ſortem miniſterii „hujus introiſſe videtur; de cetero quemadmodum „ei ſerviat, quemadmodum miniſtret, quemadmo„dum paſcat tripliciter, ut prædiximus, gregem „Domini, ſolicita ſecum examinatione diſcutiat. „Indignus enim lacte, & lana convincitur, ſi non „paſcit oves: ſi non vigilat in cuſtodia gregis, ju„dicium ſibi manducat, & veſtit. Væ, væ tibi „Clerice! mors in olla, mors in ollis carnium, „mors in hujusmodi deliciis eſt. Non modo, quia „ſecus introitum delectationis poſita eſſe cognoſci„tur; ſed ob id maxime, quia populi conſtat eſſe „peccata, quæ comedis. Sumptus eccleſiaſticos „gratis habere te reputas? Cantando, ut ajunt, „tibi provenire videntur; ſed bonum erat magis „fodere, aut etiam mendicare. Peccata enim po„puli comedis, ac ſi propria tibi minus ſufficere vi„derentur. Solicitus eſto, tanquam redditurus ra„tionem pro eis, gemitus fundere, dignos agere „pœnitentiæ fructus: alioquin tibi ea noveris im„putanda, quæ modo inter delicias comedis, &

„par-

„parvi pendis, & diſſimulas tanquam nihil attinen-„tia tibi. O judiciorum Dei abyſſus multa! o ter-„ribilis Deus in conſiliis ſuper filios hominum! Fru-„ſtra tunc incipient miſeri dicere montibus: cadite „ſuper nos; & collibus: operite nos. Venient, „venient ante tribunal Chriſti; audietur populorum „querela gravis, accuſatio dura, quorum vixere „ſtipendiis, nec diluere peccata: quibus facti ſunt „duces cœci, fraudulenti mediatores. Quid tibi „inſipiens deliciæ ſapiunt? quid divitiæ illæ cœcos „delectant oculos, quibus mercaris tam grave judi-„cium, tam duræ temetipſum obligas rationi? Uni-„verſa ſiquidem, usque ad quadrantem noviſſimum „exigeris. „

Magis exilit, atque ſubſultat in celebri loco de nomine Mariæ *ad calcem Sermonis* 3. *ſuper Miſſus eſt.* Sed ille alio reſervandus eſt, ubi ſcilicet apparatum pro feſtis ſuppeditabimus.

Neque etiam numeris carent narrationes Patrum, quantum per argumenta licet. Unum, alterumve ſpecimen adjeciſſe haud pœnitebit.

Sulpitius Severus *Dialogo 2. de virtutibus B. Martini.*

„Valentinianus tum major rerum potiebatur. „Is cum Martinum expetere cognoviſſet, quæ præ-„ſtare nolebat, juſſit eum palatii foribus arceri. „Etenim ad animum illius immitem, ac ſuperbum „uxor acceſſerat Ariana, quæ totum illum a ſancto „viro, ne ei debitam reverentiam præſtaret, averte-„rat. Itaque Martinus, ubi ſemel, atque iterum „ſuperbum principem fruſtra adire tentavit, recur-„rit ad nota præſidia; cilicio obvolvitur, cinere „conſpergitur, cibo, potuque abſtinet, orationes „diebus, noctibusque perpetuat. Septimo vero die „aſtitit ei angelus, jubet eum ad palatium ire ſecu-„rum, regias fores quamlibet clauſas ſponte reſe-„randas, imperatoris ſpiritum ſuperbum mollien-

„dum. Igitur iſtiusmodi præſentis angeli confir-
„matus alloquio, & fretus auxilio palatium petit.
„Patent limina, nullus obſiſtit, poſtremo usque
„ad Regem nemine prohibente pervenit. Qui
„cum venientem eminus videret, infrendens, cur
„fuiſſet admiſſus, nequaquam aſſurgere eſt digna-
„tus aſtanti, donec regiam ſellam ignis operiret,
„ipſumque regem ea parte corporis, qua ſedebat,
„afflaret incendium. Ita ſolio ſuo ſuperbus excuti-
„tur, & Martino invitus aſſurgit, multumque com-
„plexus, quem ſpernere ante decreverat, virtutem
„ſenſiſſe divinam emendatior fatebatur, nec expe-
„ctatis Martini precibus prius omnia præſtitit, quam
„rogaretur: colloquio illum, atque convivio fre-
„quenter adſcivit: poſtremo abeunti multa munera
„obtulit, quæ vir beatus, ut ſemper paupertatis ſuæ
„cuſtos, cuncta rejecit. „

Numeroſa, facilis tamen narratio. Sed audiamus aliam multo pleniorem. Divus Hieronymus *in vita S. Hilarionis* illuſtre viri miraculum, quo exæſtuans, & littora ſupergreſſum pelagus coërcuit, hisce verbis complectitur:

„Ea tempeſtate terræ motu totius orbis, qui
„poſt Juliani mortem accidit, maria egreſſa ſunt
„terminos ſuos, & quaſi rurſum Deus diluvium
„minaretur, vel in antiquum chaos redirent omnia,
„naves, ad prærupta delatæ montium, pepende-
„runt. Quod cum viderent Epidauritani, fremen-
„tes ſcilicet fluctus, & undarum moles, & montes
„gurgitum litoribus inferri, verentes, quod jam
„eveniſſe cernebant, ne oppidum funditus everte-
„retur, ingreſſi ſunt ad ſenem, & quaſi ad prælium
„proficiſcentes, poſuerunt eum in littore. Qui
„cum tria crucis ſigna pinxiſſet in ſabulo, manus-
„que contra tenderet, incredibile dictu eſt, in
„quantam altitudinem intumeſcens mare ante eum
„ſteterit; ac diu fremens, & quaſi ad obicem indi-

„gnans,

„gnans, paulatim in ſemetipſum relapſum ſit. Hoc „Epidaurus, & omnis illa regio uſque hodie prædicat, matresque docent liberos ſuos, ad memoriam in poſteros transmittendam.„

Jam hæc, quæ attulimus, licet diverſiſſima, quam dimenſa ſunt omnia? Aut quid ibi vacuum? quid non plene ſonat? Imo quid rotundum magis, & labitur facilius? Quod ſi quis miratur, cur e Græcis Patribus, qui ſunt multo numeroſiores, nihil huc tranſcripſerim? huic illud reponimus, ne deridiculo haberemur vano prorſus, atque inutili labore aſſumpto. Ut enim numerus ab interprete ſuppleri utcunque poteſt, at hujus ille, non jam auctoris eſt numerus. Itaque ſchemata, uti erant, græce fuerant exhibenda, quod in gratiam paucorum, qui græcam recte callent, & ſentire eam voluptatem poſſunt, nemo a nobis expectarit; noluimus enim typothetis tantum negotii faceſſere. Illud minus recuſavero, ut ex illo quoque ſpecimen apponam, quem ſolum fere inter eloquentes putant non illigaſſe ſententias, ac numero quodam complexum eſſe. Tertullianum dico, qui eſt ſane, ſiquis alius, aſper, ut ſuo loco dixi, nec raro fremitum præfert potius, quam concentum. Nimirum ut alii exercitatione multa eo rem deduxerunt, uti ex tempore etiam numeroſa funderent, ita cataphractus hic ſcriptor, tum quoque, ubi otium non deerat, orationem de induſtria exaſperavit. Sive ergo horridum, abruptumque ſermonem magis virilem ille duceret, ſive doctrinæ rigidiori aptiorem, non eſt in exemplum trahendus. Etſi autem multa hiant in eo, & iisdem inter ſe commiſſis literis, ſtridoreque conſonantium violant ſenſum, qui in aure tenerrimus eſt: etſi immugit ſubinde, & inſtar plauſtri male delibuti ſtridet, etſi diſcerpit adeo ſententias; habet tamen alia, ubi jam leniter, jam concitatius, jam ornate,

te, jam graviter incedens, ſic ſtylum temperat, ut ſane dicas, egregie argumento convenire. Id quod præcipue in Libris *de Patientia*, *de carne Chriſti*, & *de reſurrectione carnis* videre eſt, ubi loci inſunt non facilibus modo, verum jucundis etiam numeris procurrentes. Aut quid vel faſtidioſæ aures deſiderent in iis, quæ nunc ſequuntur?

Capite 14. *de Patientia* ita Jobi patientiam proponit:

„O feliciſſimum illum quoque, qui omnem pa-„tientiæ ſpeciem adverſus omnem diaboli vim ex-„punxit! quem non abacti greges, non illæ in pe-„core divitiæ, non filii uno ruinæ impetu adempti, „non ipſius denique corporis in vulnere cruciatus „a patientia, fide Domino dedita, excluſit, quem „diabolus totis viribus fruſtra cecidit. Neque enim „a reſpectu Dei tot doloribus avocatus ille eſt, ſed „conſtitit nobis in exemplum, & teſtimonium, „tam ſpiritu quam carne, tam animo, quam cor-„pore patientiæ perpetrandæ, ut neque damnis ſæ-„cularium, nec amiſſionibus chariſſimorum, nec „corporis quidem conflictationibus ſuccidamus. „Quale in illo viro feretrum Deus de diabolo ex-„ſtruxit! quale vexillum de inimico gloriæ ſuæ ex-„tulit, cum ille homo ad omnem acerbum nun-„tium nihil ex ore promeret, niſi Deo gratias; „cum uxorem jam malis delaſſatam, & ad prava „remedia ſuadentem execraretur? Quid? ridebat „Deus. Quid? diſſecabatur Malus *, cum Job „immundam ulceris ſui redundantiam magna æqua-„nimitate diſtringeret, cum erumpentes beſtiolas „inde in eosdem ſpecus, & paſtus foraminoſæ car-„nis ludendo revocaret. Itaque operarius ille victo-„riæ Dei, retuſis omnibus jaculis tentationum lo-„rica, clypeoque patientiæ, & integritatem mox „cor-

* Ita Dæmonem paſſim antiqui appellarunt.

„corporis a Deo recuperavit, & quæ amiſerat, re„duplicata poſſedit. „

CAPUT V.

Specimina circa genus dicendi denſum, inſtans *&* preſſum.

Genus dicendi denſum, ſeu ut alii appellant, inſtans, & preſſum opponitur non gracili ſolum, ſed languido etiam, atque diffuſo. Differt autem a numeroſo, & harmonico, de quo ſupra actum. Licet enim omne denſum numeroſum, non tamen contra omne numeroſum denſum eſt. Agnoſcitur autem maxime ex membris atque inciſis, quæ non vocibus, quam rebus facta ſint. Nam ut minime negem, verba ipſa plurimum conferre ad denſitatem, tamen cum ſenſibus carent, numeroſam facere poſſunt, non vero denſam orationem. Iſtud garrulitatis, illud copiæ eſt, & amplificationis. Præter hanc duplicem ubertatem & illud denſitas requirit, ut ibidem aliquamdiu perſeveret oratio, & quæ ſequuntur inſtent veluti prioribus, eademque urgeant, premant, ac propellant aſſidue, haud ſecus, atque in aquis videmus fieri, quando vel vento incumbente turbantur, vel natura loci profluunt vehementius; tum enim identidem unda undam excipit, & fluctus fluctum protrudit. Plurimum vero is ſtylus juvat præſertim gravioribus in cauſis; quibus robur, & vehementiam ſingularem addit, & quod vult altius penetrare in animos, non tam inculcat, & imprimit, quam repetitis, & continuatis malleorum ictibus penitiſſime infigit. Hoc itaque genus Patrum quam plurimis non notum duntaxat, ſed charum oppido, ac familiare fuit, & ex Græcis quidem maxime Chrysostomo, ex Latinis Cypriano, Hieronymo, Vincentio Lirinensi, & Salviano. Bernardus autem omnium

omnium denſiſſimus ita illud adamavit, ut adhiberet perpetuo. Id quod inde evenit, quia non tam ſua, quam Scripturæ lingua vir ſanctus loquebatur, ejusque copiam inexhauſtam in memoriæ theſauro depoſuerat a primis annis, ſeu ut alii volunt, dono quodam ſingulari in naturam potius converterat. Et hac maxime nota opera Bernardi genuina a ſuppoſititiis diſtinxit Joannes Gillotius, vir diligens, & de Patribus non paucis præclare meritus. Sic autem ille loquitur in Præfatione operum ejus: *Quædam non referunt divum Bernardum, cujus ſtylus denſior eſt in citationibus, & ſententiis Scripturarum, apte & commode inſertis, adeo diſtinctus, ut facile dignoſci queat.* Sed de hoc, & de ceteris ſpecimina docebunt.

S. Cyprianus *Libro de Opere, & Eleemoſyna ad finem.*

„Quæ illa erit, fratres chariſſimi, operantium gloria, quam grandis, & ſumma lætitia, cum populum ſuum Dominus cœperit recenſere, & meritis, atque operibus noſtris præmia promiſſa contribuens pro terrenis cœleſtia, pro temporalibus ſempiterna, pro modicis magna præſtare: offerre nos Patri, cui nos ſua ſanctificatione reſtituit, æternitatem nobis immortalitatemque largiri, ad quam nos ſanguinis ſui vivificatione reparavit, reduces ad paradiſum denuo facere, regna cœlorum fide & veritate ſuæ pollicitationis aperire? Hæc hæreant firmiter ſenſibus noſtris, hæc intelligantur plena fide, hæc corde toto diligantur, hæc indeſinentium operum magnanimitate redimantur. Præclara, & divina res, fratres chariſſimi, ſalutaris operatio, ſolatium grande credentium, ſecuritatis noſtræ ſalubre præſidium, munimentum ſpei, tutela fidei, medela peccati, res poſita in poteſtate facientis, res & grandis, & facilis, ſine periculo perſecutionis corona pacis, verum Dei munus, &

„maxi-

„maximum, infirmis neceſſarium, fortibus glorio-„ſum, quo chriſtianus adjutus perfert gratiam ſpi-„ritalem, promeretur Chriſtum judicem, Deum „computat debitorem. Ad hanc operum ſaluta-„rium palmam libenter, ac prompte certemus, „omnes in agone juſtitiæ Deo, & Chriſto ſpectante „curramus, & qui ſæculo, & mundo majores eſſe „jam cœpimus, curſum noſtrum nulla ſæculi, & „mundi cupiditate tardemus. Si expeditos, ſi ce-„leres, ſi in hoc operis agone currentes dies nos vel „redditionis, vel perſecutionis invenerit, nuſquam „Dominus meritis noſtris ad præmium deerit, in „pace vincentibus coronam candidam pro operibus „dabit, in perſecutione purpuream pro paſſione ge-„minabit.„

Et *Libro de oratione Dominica ad illud:* Qui autem fecerit voluntatem Dei, manet in æternum, *in tertia petitione:* Fiat voluntas tua.

„Qui in æternum manere volumus, Dei, qui „æternus eſt, voluntatem facere debemus. Volun-„tas autem Dei eſt, quam Chriſtus & fecit, & do-„cuit; humilitas in converſatione, ſtabilitas in fide, „verecundia in verbis, in factis juſtitia, in operibus „miſericordia, in moribus diſciplina, injuriam fa-„cere non noſſe, & factam poſſe tolerare, cum „fratribus pacem tenere, Deum toto corde dilige-„re, amare in illo, quod pater eſt, timere, quod „Deus eſt, Chriſto nihil omnino præponere, quia „nec nobis quidquam ille præpoſuit, charitati ejus „inſeparabiliter adhærere, cruci ejus fortiter, ac „fidenter aſſiſtere, quando de ejus nomine, & ho-„nore certamen eſt, exhibere in ſermone conſtan-„tiam, qua confitemur, in quæſtione fiduciam, „qua congredimur, in morte patientiam, qua co-„ronamur. Hoc eſt cohæredem Chriſti eſſe velle, „hoc eſt præceptum Dei facere, hoc eſt voluntatem „patris adimplere.„

S. Chry-

S. CHRYSOSTOMUS *hom.* 25. *in ad Romanos* denſiſſime, etſi nunc latine verba non ſatis juncta, & acervata ſint:

„Verum, inquies, benignus eſt Deus. Ergo „hæc mera verba ſunt; nec dives ille, qui Lazarum contempſit, ſupplicio afficitur: nec virgines „illæ fatuæ ex thalamo ejiciuntur: qui Chriſtum „non aluerunt, non abeunt in ignem paratum „diabolo & angelis ejus: qui ſordidis veſtiebatur „indumentis, manibus & pedibus ligatus non peribit, qui centum denarios exegit, non traditus „eſt tortoribus? Non verum eſt id, quod de „mœchis dictum fuit: Vermis eorum non moritur, „& ignis eorum non extinguetur? Sed hæ comminationes tantum ſunt? Etiam, inquies. Et „quomodo quæſo tantam rem audes pronuntiare, „& ex te ipſo calculum ferre? Ego enim & ab „iis, quæ dixit, & ab iis, quæ fecit Chriſtus, „contrarium demonſtrare valeo. Si enim propter „futura ſupplicia non credis, ſaltem ex iis, quæ „jam facta ſunt, crede. Nam quæ facta ſunt, & „in opus exierunt, minæ non ſunt, & verba. Quis „ergo ſub Noë orbem totum inundavit, & grave „illud naufragium curavit, totamque generis noſtri perniciem? Quis poſtea fulmina illa, & incendia immiſit in Sodomorum terram? Quis Ægyptum totam in mare demerſit? Quis ſexcenta hominum millia in deſerto conſumpſit? Quis Synagogam Abironis combuſſit? Quis juſſit terram os „aperire, ac Core, Dathan & ſocios abſorbere? „Quis ſeptuaginta hominum millia uno temporis „momento ſub Davide perdidit? Dicamne eos, „qui privatim plexi ſunt? Cainum perpetuo ſupplicio traditum? Charmen cum toto genere ſuo „lapidatum? Eum, qui, quod ligna in Sabbatho „collegiſſet, lapidatus eſt? Quadraginta duos pueros illos, qui ſub Eliſæo a feris devorati ſunt,

„nec

„nec veniam ob teneram ætatem ſunt conſecuti?
„Quod ſi poſt gratiam quoque eadem ipſa videre
„cupis, conſidera, quanta mala paſſi ſint Judæi,
„quomodo mulieres infantes ſuos comederint, aliæ
„aſſantes, aliæ alia modo conſumentes: quomodo
„intolerabili fami traditi, variisque bellis priſcas
„omnes tragœdias calamitatum ſuarum mole ſupe-
„rarint &c. *Dein addit.* Hæc dico, non ut mœ-
„rore afficiam, ſed ut cautiores reddam, ne ſu-
„perflue vos demulcens ad graviora patienda de-
„ducam. Nam cur, quæſo, non dignus es ſuppli-
„cio, cum peccas? An non omnia tibi prædixit?
„nonne minatus eſt? nonne terruit? nonne innu-
„mera pro ſalute tua fecit? nonne lavacrum re-
„generationis dedit, & priora omnia condonavit?
„nonne poſt remiſſionem & lavacrum pœnitentiæ
„opem tibi peccanti dedit? nonne etiam poſtea
„facilem tibi viam fecit ad remiſſionem peccato-
„rum? &c.

Et *hom.* 27. *nunc* 26. *in Matth.* oſtendens eos,
„qui virtutem & malitiam immutabiles facerent, om-
„nia ſus, deque vertere:

„Quomodo enim in nequitia vivens quiſpiam
„virtuti operam dare ſtudeat, ſi ſe ad illam rever-
„tere non poſſe putet, ſi non credat, ſe in melius
„poſſe mutare? Nam ſi nunc ſtantibus legibus,
„indictis ſuppliciis, propoſita gloria, quæ multos
„excitare poſſit, cum & gehenna expectetur, &
„regnum promittatur, cum improbi dedecore, bo-
„ni laudibus afficiantur, vix quipiam velint virtu-
„tis ſudores adire, his ſublatis quid impediat, quo
„minus omnia peſſum eant? Videntes itaque frau-
„dem, nequitiamque diabolicam, ipſosque, nec non
„eos, qui fati leges ſtatuere ſatagunt, adverſa ſen-
„tire, & contraria legiſlatoribus externorum, &
„Dei oraculis, & naturæ ratiociniis, & communi
„omnium opinioni, barbaris, & Scythis, & Thra-
„cibus,

„cibus, demumque ceteris hominibus, vigilemus „dilecti, atque illis omnibus valedicentes, inceda„mus per anguſtam viam cum fiducia, & timore; „cum timore quidem ob præcipitia utrinque po„ſita, cum fiducia vero ob ducem viæ Jeſum.„

Idem *Libro II. de Compunctione*, cum divina beneficia commemoraſſet:

„Cogita interim plantarum varietatem, fructi„ferarum, infructuoſarum, earum, quæ in deſer„tis, quæ in agris cultis, in montibus, in plani„tie. Conſidera diverſitatem in ſeminibus, in ole„ribus, in floribus, animalibus terreſtribus, in am„phibiis, in natatilibus. Perpende viſibilia omnia „propter nos facta, cœlum, terram, mare, & „omnia, quæ in eis ſunt. Quemadmodum enim „quis regiam ſplendidam conſtruxerit, multo ful„gentem auro, multo gemmarum nitore, ita mun„dum fabricatus Deus hominem introduxit, ut in „hæc omnia regnum obtineret. Quodque longe „mirabilius in hac domo eſt, non ex lapidibus te„ctum concinnavit, ſed ex alia pretioſiore mate„ria condidit: neque candelabri aurei flammam „accendit, ſed ſuperne lampades ponens, eas per „domus tectum diſcurrere juſſit, ita ut id non utile „modo eſſet, ſed magnam etiam nobis pareret vo„luptatem. Pavimentum autem inſtar opiparæ men„ſæ adornavit, & hæc præbuit ei, qui nihil ad„huc boni exhibuerat. Verumtamen poſt tanta „dona, cum erga beneficum homo ſe ingratum „præbuiſſet, non ideo illum honore privavit, ſed „expulit tantum ex paradiſo, atque ſic caſtigavit, „ut ingratum animum ultra procedere cohiberet, „& ad pejora declinare impediret. Hæc porro „omnia, hisque plura ſecum reputans Apoſtolus, „utpote divino motus ſpiritu, quæ ab initio, quæ „quotidie, quæ in ſingulos, quæ in omnes ſimul, „quæ palam, quæ clanculum, multo plura iis,

„quæ

„quæ manifeſta ſunt: item quæ ſecundum œconomiam unigeniti filii Dei, futura quoque bona, „& omnia demum circumſpiciens, atque inenarrabilem Dei amorem undique colligens, & cogitans quaſi in immenſum pelagus delapſus, ſic edicit, quot, & quantis eſſet rationibus reddendis obnoxius, quarum ne minimam partem exhibere poterat. Qua propter talia loquebatur: & „minima quidem peccata magna cum diligentia „ſcrutabatur, recte facta autem oblivioni mandabat. „Sed non perinde nos, qui delictorum quidem, „licet multa, magnaque ſint, nec rationem habemus, nec mentionem facimus: ſi quid autem vel minimum boni fecerimus, id ultro citroque jactamus, „nec prius jactandi & gloriandi finem facimus, quam „parvum illud per arrogantiam deleamus.„

S. Augustinus *Serm.* 344. *alias* 31. ex Sirmondianis.

„Omnino fratres mei, non vos maxime hortantur ad amandam vitam æternam, qui ſic amant „temporalem vitam? Quanta faciunt homines, ut „vivant paucos dies? Quis enumerare poterit conatus, & molimina omnium vivere volentium, „poſt paululum morientium? Quanta agunt pro „ipſis paucis diebus? quid tantum agimus pro æterna „vita? quid dicam, pro paucis diebus redimendis? „et his incertis *! Paucos enim dies dico, ſi liberatus ſenuerit: paucos dies dico, ſi liberatus puer „decrepitus factus fuerit; non dico, quia redemptus hodie, cras fortaſſe morietur. Ecce ad incertum propter ipſos paucos dies incertos quanta „faciunt, quæ excogitant! Si veniant per morbum corporis in medici manus, ſalusque omnis „a pronuntiantibus, & inſpicientibus deſperetur, ſi „pro-

* Sic enim legendum videtur loco: *& his in terris*; nam id ſenſus ipſe evincit.

„promittitur aliquis medicus, qui etiam deſperatum liberare ſit idoneus, quanta promittuntur, „quanta prorſus ad incertum dantur! Ut modicum „vivatur, hoc dimittitur, unde vivatur. Jam vero, ſi in hoſtis, aut prædonis manus inciderit, „ne occidatur, ut redimatur! etiam ſi pater detentus fuerit, filii currunt, & quod eis relicturus „fuerat, impendunt, redempturi, quem poſſint efferre. Quæ ambitiones? quæ preces? qui conatus? quis hoc explicet? Et tamen volo dicere „aliud gravius, & niſi fieret, incredibilius. Quid „enim dico, quia dant homines pecuniam, ut vivant, quia nihil ſibi dimittunt, ut paucos dies, „eoſdemque incertos, paululum vivant cum timore, vivant cum labore, quanta impendunt, quanta dant? Væ generi humano! Dixi, quod, ut „vivant, impendunt, unde vivant: quod eſt pejus, „audite, quod eſt gravius, quod eſt ſceleratius, „quod eſt, ut dixi, incredibile, niſi fiat: ut liceat „illis paululum vivere dant etiam illud, unde poſſent ſemper vivere! &c.„

VINCENTIUS LIRINENSIS *Commonitorii I. cap.* 4. *alias* 6. loquens de perſecutione Ariana:

„Tunc ſiquidem, inquit, non ſolum parvæ res, „ſed etiam maximæ labefactæ ſunt. Nec enim „tantum affinitates, cognationes, amicitiæ, domus, verum etiam urbes, populi, provinciæ, nationes, univerſum poſtremo Romanum Imperium „funditus concuſſum, & emotum eſt. Namque „cum profana ipſa Arianorum novitas, velut quædam Bellona, aut Furia, capto primo omnium „Imperatore, cuncta deinde palatii culmina legibus „novis ſubjugaſſet, nequaquam deinceps deſtitit „univerſa miſcere, atque vexare, privata, ac publica, ſacra, profanaque omnia, nullum boni, & „veri gerere diſcrimen, ſed quoscunque collibuiſſet, tamquam de loco ſuperiore percutere. Tunc „teme-

„temeratæ conjuges, depullatæ viduæ, profanatæ „virgines, monaſteria demolita, diſturbati clerici, „verberati Levitæ, acti in exilium Sacerdotes, op- „pleta Sanctis ergaſtula, carceres, metalla; quo- „rum pars maxima interdictis urbibus protruſi, at- „que extorres, inter deſerta, ſpeluncas, feras, „ſaxa: nuditate, fame, ſiti affecti, contriti, & ta- „befacti ſunt. Atque hæc omnia nunquid ullam „aliam ob cauſam, niſi utique, dum pro cœleſti „dogmate humanæ ſuperſtitiones introducuntur, „dum bene fundata antiquitas ſceleſta novitate ſub- „ruitur, dum ſuperiorum inſtituta violantur, dum „reſcinduntur ſcita Patrum, dum convelluntur de- „finita majorum, dum ſeſe intra ſacratæ, atque in- „corruptæ vetuſtatis caſtiſſimos limites profanæ, „ac novellæ curioſitatis libido non continet?„

Et *cap.* 9. *alias* 14.

„Annuntiare ergo aliquid Chriſtianis Catholicis „præter id, quod acceperunt, nunquam licuit, nuſ- „quam licet, nunquam licebit: & anathematizare eos, „qui annuntiant aliquid, præterquam, quod ſemel ac- „ceptum eſt, nunquam non oportuit, nuſquam non „oportet, nunqum non oportebit. Quæ cum ita ſint, „eſtne aliquis vel tantæ audaciæ, qui præter id, „quod apud Eccleſiam annuntiatum eſt, annuntiet, „vel tantæ levitatis, qui præter id, quod ab Ecc- „leſia accepit, accipiat? Clamat, & repetendo cla- „mat, & omnibus, & ſemper, & ubique per li- „teras ſuas clamat ille, ille vas electionis, ille Ma- „giſter gentium, ille Apoſtolorum tuba, ille ter- „rarum præco, ille cœlorum conſcius, ut, ſi quis „novum dogma annuntiaverit, anathematizetur: „& contra reclamant ranæ quædam, & cyniphes, „& muſcæ moriturae, quales ſunt Pelagiani: & hoc „Catholicis! Nobis, inquiunt, auctoribus, nobis „principibus, nobis expoſitoribus damnate, quæ „tenebatis, tenete, quæ damnabatis: rejicite anti-

„quam fidem, paterna inſtituta, majorum depoſita, „& recipite, quænam illa tandem? horreo dicere; „ſunt enim tam ſuperba, ut mihi non modo af- „firmari, ſed ne refelli quidem ſine aliquo piaculo „poſſe videantur.„

Et *cap.* 25. *alias* 36. Locum Servatoris Matth. 7. *attendite a falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt Lupi rapaceſia, a fructibus eorum cognoſcetis eos:* ita præclare interpretatur:

„Quid eſt veſtitus ovium, niſi Prophetarum, „& Apoſtolorum proloquia, quæ iidem *hæretici* „ovili quadam ſinceritate agno illi immaculato, „qui tollit peccatum mundi, tanquam vellera quæ- „dam texuerunt? Qui ſunt Lupi rapaces, niſi „ſenſus hæreticorum feri, & rabidi, qui caulas „Eccleſiæ ſemper infeſtant, & gregem Chriſti qua- „qua poſſunt, dilacerant? Sed ut fallacius incau- „tis ovibus obrepant, manente luporum ferocia, „deponunt lupinam ſpeciem, & ſeſe divinæ legis „ſententiis, velut quibusdam velleribus obvolvunt; „ut cum quisque lanarum mollitiem præſenſerit, „nequaquam aculeos dentium pertimeſcat. Sed „quid ait Salvator? *Ex fructibus eorum cognoſcetis* „*eos.* id eſt; cum cœperint divinas illas voces „non jam proferre tantum, ſed etiam exponere, „nec adhuc jactare ſolum, ſed etiam interpretari, „tunc amaritudo illa, tunc acerbitas, tunc rabies „intelligetur, tunc novitium virus exhalabitur, „tunc profanæ novitates aperientur, tunc primum „ſcindi ſepta videas, tunc transferri Patrum termi- „nos, tunc Catholicam fidem cædi, tunc eccleſi- „aſticum dogma lacerari.„

Salvianus *Libro VI. de gubernat.* quomodo inſtat, quomodo urget, quomodo premit admirabili illa, & propria ſibi denſitate!

„Et

„Et quidem quemadmodum nullam Romani no„minis partem pœna correxerit, ſatis, ut arbitror, „jam probavimus: ſupereſt, ut quemadmodum nec „munera, nec blandimenta nos Dei corrigant, com„probemus. Munera autem Dei, & blandimenta „quænam ſunt? quæ ſcilicet, niſi pax noſtra, & „quies noſtra & famulantes votis ac voluntatibus „noſtris rerum ſecundarum tranquillitates. Aliquid „ergo, quia res exigit, etiam ſpeciale dicamus. „Igitur quoties in metu, in anguſtiis, in periculis „ſumus, cum aut civitates ab hoſtibus obſidentur, „aut provinciæ populatione vaſtantur, aut quibus„cunque rerum adverſitatibus Reipublicæ membra „cæduntur, & opem cœleſtis manus votis preca„mur, ſi quo miſerationis auxilio, aut ſalvatæ ur„bes fuerint, aut finita populatio, aut hoſtiles exer„citus fuſi, & metus omnis dono divinitatis abla„tus, quid ſtatim poſt hæc omnia facimus? Com„penſare, credo, Domino Deo noſtro cultu, honore, „reverentia beneficia, quæ ab eo accepimus, adni„timur. Hoc enim eſt conſequens, atque id etiam „uſus vitæ humanæ habet, ut referatur gratia fœ„neratoribus gratiarum, & recipiant vicem mu„nerum munerantes. Ita ergo nos forſitan faci„mus, atque humanis ſaltem cum Deo noſtro retri„butionibus agentes, cum ab eo bona accepimus, „bona reddimus? Ad domos videlicet dominicas „ſtatim currimus, corpora humi ſternimus, mix„tis cum fletu gaudiis ſupplicamus, illuſtramus Do„nariis ſacra limina, aras muneribus implemus: & „quia ipſi dono illius feſti ſumus, templis quoque „ipſius vultum noſtræ feſtivitatis induimus, aut cer„te, quod ei non minus cordi eſt, prioribus vitæ „vitiis renuntiamus, operum bonorum victimas cæ„dimus, & pro gaudiis novis novæ converſationis „hoſtias immolamus, omnibus denique immundi„tiis bellum ſanctum indicimus, circorum inſanias

„fugimus, fœditates theatralium ludorum execra-„mur, vovemus Deo novam vitam, & ad obti-„nendam ejus perpetuo protectionem nosmet „ipſos deo ſacrificamus? Cum hæc ergo, quæ di-„ximus, pro recentibus beneficiis Dei debeant fieri, „videamus, quæ fiant. Ad ludos protinus curri-„tur, ad inſanias convolatur, in theatris populus „diffunditur, in circis plebs tota bacchatur. Ille „nobis ad hoc bona præſtat, ut boni ſimus: nos „e diverſo, quoties bona accipimus mala noſtra „cumulamus. Ille nos beneficiis ſuis vocat ad pro-„bitatem: nos ruimus ad improbitatem. Ille benefi-„ciis ſuis provocat ad compunctionem: nos rui-„mus in diſſolutionem. Vocat Ille ad caſtitatem: „nos ruimus in impuritatem. Præclare videlicet „ſacris muneribus reſpondemus, præclare dona „ejus vel agnoſcimus, vel honoramus, qui quan-„tum ab eo beneficii accipimus, tantum ei inju-„riarum repenſamus. Aut injuria Dei hoc forte „non eſt, aut eſſe indignior poteſt, aut multis, „ac magnis opus ſit? Sed quia inveterata in nobis „malorum omnium labe aliter jam vitioſi eſſe non „poſſumus, niſi ut omnino non ſimus, quæ in no-„bis, rogo, ſpes bonæ frugis eſt? Qui ignoran-„tia peccant, errore agnito corriguntur: qui reli-„gionis expertes ſunt, cum mutaverunt ſectam, „mutare incipiunt diſciplinam: poſtremo, ut dixi, „qui in abundantia nimia, aut ſecuritate vitiantur, „deſinunt eſſe perditi, cum deſtiterint eſſe ſecuri; „nos nec ignorantia labimur, nec religionis ex-„pertes ſumus, nec proſperitate rerum, ac ſecuri-„tate corrumpimur. Omnia ſiquidem e diverſo „ſunt: religionem novimus, ignorantia non ex-„cuſamur, pacem, & divitias priorum temporum „non habemus, omnia, quæ fuerunt, aut ablata, „aut immutata ſunt, ſola tantum vitia creverunt: „nihil nobis de pace & proſperitate priſtrina reli-

„quum

„quum eſt, niſi ſola omnino crimina, quæ proſpe„ritatem non eſſe fecerunt.„

Atque ejusmodi innumera Salvianus habet.

Denique & Bernardum audiamus, qui *de Converſione ad Clericos, verſus finem*, quæ ſua ætate contra ſanctitatem clericalis ſtatus fiebant, perpetua fere denſitate ita complectitur:

„*Hoc quæritur inter Diſpenſatores, ut fidelis quis* „*inveniatur*. Væ miniſtris infidelibus, qui necdum „reconciliati, reconciliationis alienæ negotia quaſi „homines, qui juſtitiam fecerint, apprehendunt! „Væ filiis iræ, qui ſe miniſtros gratiæ profitentur! „Væ filiis iræ, qui pacificorum ſibi uſurpare gra„dus, & nomina non verentur! Væ filiis iræ, qui „fideles ſeſe mediatores pacis, ut peccata populi „comedant, mentiuntur! Væ qui ambulantes in „carne Deo placere non poſſunt, & placare velle „præſumunt! Non miramur fratres, quicunque „præſentem ſtatum Eccleſiæ miſeramur: non mi„ramur de radice colubri regulum orientem: non „miramur, ſi vindemiat vineam Domini, qui in„ſtitutam a Domino prætergreditur viam. Impu„denter enim pacifici gradum, & filii Dei vices „occupat homo, qui nec primam quidem adhuc „vocem Domini ad cor revocantis audivit; aut ſi „quando forſitan cœperit audire, reſiliens fugit ad „folia, ut abſconderetur in eis. Propterea nec„dum peccare quievit, ſed longam adhuc trahit „reſtem, necdum factus eſt vir videns paupertatem „ſuam, ſed dicit, quia dives ſum, & nullius egeo, „cum ſit pauper, & nudus, & miſer, & miſera„bilis. Nihil illi de ſpiritu manſuetudinis, qua „præoccupatos in delicto poſſit inſtruere, conſi„derans ſe ipſum, ne & ipſe tentetur: compun„ctionis lacrimas neſciens lætatur magis, cum ma„lefecerit, & in rebus peſſimis exultat. Nimirum

„unus eorum eſt, quibus Dominus ait: Væ vo-
„bis, qui ridetis nunc, quoniam flebitis. Pecu-
„niam, non juſtitiam concupiſcunt oculi ejus, &
„omne ſublime videt, miſerabiliter eſurit dignita-
„tes, gloriam ſitit humanam, procul ab eo miſe-
„ricordiæ viſcera, ſævire potius & tyrannum ex-
„hibere lætatur, quæſtum æſtimat pietatem. Quid
„de munditia cordis loquar? Utinam non illud
„oblivioni dediſſet, tanquam mortuus a corde!
„Utinam non eſſet columba ſeducta, non habens
„cor! Utinam eſſet, quod vel deforis eſt, mun-
„dum, nec ea, quæ corporalis eſt, maculata tu-
„nica inveniretur, ut obediret vel in hac parte di-
„centi: Mundamini, qui fertis vaſa Domini! Non
„accuſamus univerſitatem; ſed nec univerſitatem
„poſſumus excuſare. Reliquit ſibi Dominus multa
„millia: alioquin niſi eorum nos excuſaret juſti-
„tia, & illud nobis ſemen ſanctum Dominus Sa-
„baoth reliquiſſet, olim jam ſicut Sodoma ſubverſi
„eſſemus, & ſicut Gomorrha ſimiliter periiſſemus.
„Dilatata ſiquidem videtur Eccleſia, ipſe etiam Cleri
„ſacratiſſimus ordo, fratrum numerus ſuper nume-
„rum multiplicatus eſt: verum etſi multiplicaſti
„gentem, Domine, non magnificaſti lætitiam, dum
„nihil minus apparet deceſſiſſe meriti, quam nu-
„meri acceſſiſſe. Curritur paſſim ad ſacros ordines,
„& reverenda ipſis quoque Spiritibus angelicis mi-
„niſteria homines apprehendunt ſine reverentia,
„ſine conſideratione. Neque enim ſignum regni
„occupare cœleſtis, aut illius timent imperii geſta-
„re coronam, in quibus avaritia regnat, ambitio
„imperat, dominatur ſuperbia, ſed & iniquitas,
„& luxuria etiam principatur: in quibus & peſ-
„ſima forte appareat intra parietes abominatio, ſi
„juxta Ezechielis prophetiam parietem fodiamus,
„ut in domo Dei videamus horrendum. Siquidem
„poſt fornicationes, poſt adulteria, poſt inceſtus,
„nec

„nec ipſæ quidem apud aliquos ignominiæ paſſiones, & turpitudinis opera deſunt. Utinam non fierent, quæ uſque adeo non conveniunt, ut nec Apoſtolum hæc ſcribere, nec nos dicere oporteat, ut nec dicentibus crederetur, quod humanum aliquando occupaverit animum tam abominanda cupido! Numquid non olim civitates illæ ſpurcitiæ hujus matres divino prædamnatæ judicio, & incendio ſunt deletæ? Numquid non gehennalis flamma moram non ſuſtinens, execrabilem illam prævenit tollere nationem, quod ipſius ſpecialiter eſſent peccata manifeſta, præcedentia ad judicium? Numquid non & ipſam utpote conſciam tantæ confuſionis tellurem abſumplit ignis, ſulphur, & ſpiritus procellarum? Numquid non in lacum horribilem ſolum omne redactum eſt? Amputata ſunt hydræ capita quinque, ſed heu innumera ſurrexerunt! Quis reædificavit urbes flagitii, quis turpitudinis mœnia dilatavit, quis extendit propagines virulentas? Væ, væ! inimicus hominum ſulphurei illius incendii reliquias infelices, circumquaque diſperſit, execrabili illo cinere Eccleſiæ corpus aſperſit, & ipſorum quoque miniſtrorum ejus nonnullos ſanie fœtidiſſima ſpurciſſimaque reſperſit. Heu genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis! Quis inter tua illa primordia tam divina, & ſpiritualibus affluentem chariſmatibus Chriſtianæ religionis ortum credere poſſet, poſſe talia in te aliquando reperiri! Ingrediuntur cum hac macula ad tabernaculum Dei viventis, inhabitant cum macula templum ſanctum Domini polluentes, judicium multiplex accepturi, quod & tam graviſſimas conſcientias gerunt, & nihilominus ſeſe ingerunt in ſanctuarium Dei. Tales enim non modo non placant Deum, ſed magis irritant, dum videntur in cordibus ſuis dicere:

 „Non

„Non requiret. Irritant plane, & infenſum red„dunt ſibi, vereor ne in his, quibus eum repro„pitiare debuerant. Utinam magis turrim inchoa„turi, ſedentes computarent, ne forte ſumptus non „habeant ad perficiendam! Utinam qui continere „non valent, perfectionem temerarie profiteri, aut „cælibatui dare nomina vererentur! Sumptuoſa ſi„quidem turris eſt. Et verbum grande, quod non „omnes capere poſſunt. Eſſet enim ſine dubio „melius nubere, quam uri: & ſalvari in humili „gradu fidelis populi, quam in Cleri ſublimitate „& deterius vivere, & diſtrictius judicari. Multi „enim, non quidem omnes, ſed tamen multi, „certum eſt, nec latere queunt præ multitudine, „nec præ impudentia quærunt. Multi utique li„bertatem, in qua vocati ſunt, in occaſionem car„nis dediſſe videntur, abſtinentes remedio nuptiali, „& in omne deinceps flagitium effluentes. Par„cite, obſecro, Fratres, parcite animabus veſtris! par„cite ſanguini, qui pro vobis effuſus eſt! Horren„dum cavete periculum! Ignem, qui paratus eſt, „declinate!

Quæ hic copia, quæ varietas, qui apparatus, atque congeries qua rerum, qua verborum! Et tamen data opera locum delegi, ubi diffunderet ſe latius propria phraſi, neque tantum grandinem, ut ſolet, ſcripturarum addenſaret.

CAPUT VI.

Specimina circa genus dicendi argutum, conciſum *&* ſententioſum.

Hoc genus abundat ingenio, & expeditis, vibratis, variatiſque ſententiis conſtat, quæ novum identidem argumento jam pondus addere, jam lucem

lucem affundere poſſint *. Et ad ornatum quidem, atque ſplendorem plurimum ſententiæ valent. Sunt enim gemmarum inſtar, quæ auro incluſæ vehementer incurrunt in oculos, & fulgore ſuo totam diſtinguunt orationem. Vim quoque habent, quia, ut Quintiliani verbo utar **, *feriunt animum, & uno ictu frequenter impellunt, & ipſa brevitate magis hærent, & dictione perſuadent.* Quo magis cavendum, ſoliciteque providendum eſt oratori, ne quod eſt tam jucundum, tam ſalutare, in vitium aliquando degeneret: uti toties fit, quoties modum in ſententiis non tenet. Idem hic dicas, quod S. Ennodio teſte ***, Theodoricus Rex militibus præcepit, ne ſcilicet jacularentur incaſſum, ſed pharetris ad pugnam reſervatis tot exigerent animas, quod tela vibraſſent. Et ſunt profecto innumeri, qui ad ſingulos verſus ingenium promicare velint, & finem ſermoni nuſquam faciant, ubi acclamationem non petunt. Ex quo multa exiſtant incommoda neceſſe eſt. *Primo* enim hac ipſa copia obſtruitur, & veluti ſuffocatur oratio, idemque illi accidit, quod ſatis, ac fructibus arborum, qui nimii obſtant ſibi invicem, nihilque ad juſtam altitudinem adoleſcere ſinunt, quando ſingula ſpatio carent, in quo expandere ſeſe, & dilatare poſſint. *Secundo* hac ratione tollitur varietas, quæ ipſa per ſe plurimum exornat ſcriptiones, grataque illa argutorum, & obviorum mixtione argumentum omne exhilarat. Quod rurſum ſimili alio declaratur, a picturis petito. Hæ enim, ut cetera ſint excellentes, ſi nihil circumlitum ſit, ſi

* Dicendi genus ſententioſum & argutum, ſententiis conſtat non tam gravibus & ſeveris, quam concinnis & venuſtis. *Cicero* in Bruto ſeu *de claris oratoribus.*

** *Libro XII. Inſtitut. cap.* 10.

*** *Ad finem Panegyrici* Theodorico dicti.

ſi nihil ſit umbris diſtinctum, nihil neglectum, atque inane; quæ præcipue artifex elaboravit, non extant, non eminent; quia quanto plus lucis alia habent, tanto magis horum luminibus officiunt, eaque tantum non abſorbent. Accedit *tertium* incommodum ſane non minimum, quod hoc modo oratio nimis conciditur contra naturam ſuam. Quia enim ſententia quælibet in ſe ipſa ſtat, jam non membra, ſed fruſtula habemus, collata quidem, ſed quæ ſtructura careant; neque enim acuta, & veluti amputata cohærere, atque inſiſtere ſibimet poſſunt. Quamobrem Lector, cujus attentio multis ſimul non ſufficit, diſtrahatur neceſſe eſt, & opinione citius fatigetur. Denique multas inter ſententias non raro frivolæ immiſcentur; quia nequit eſſe delectus, ubi numero, & multitudine laboratur; dulce enim eſt argutari, & noſtra omnia nimium amamus, præſertim cum primo concepta ſplendent nonnihil, & oculos perſtringunt. Atque iſta non inventa a nobis, verum a magiſtris dicendi ſummo conſenſu dudum ſunt ſtabilita. Quibus illud debemus adjicere, quod libido hæc argutandi oſtentationis ſpeciem habet, nec poſſunt ſapientes homines ei deditum quempiam magni facere, ſed ut ſint maxime moderati, & ingenium fortaſſe mirentur, damnabunt tamen judicium, & ad levem, frigidam, ineptamque dictionem cachinnos tollent *.

Ut porro ad rem ipſam accedamus, inter Patres non pauci, neque infimi ſunt, qui genus hoc adamarunt, & amplexi ſunt; præcipue Latini. Hic enim fere Tertulliani, Ambrosii, Hieronymi, Eucherii, atque Bernardi ſtylus eſt; Martinus vero Braccarensis meris ſententiis con-

* Vide etiam Quintilianum, *Libro VII, cap.* 5. & pro iis, quæ de Seneca ſequuntur *Libr. X. cap.* 1.

contexitur, ſalutaribus illis, ac maxime etiam ponderoſis. Sic autem in hoc genere verſantur, ut verecundiam, & gravitatem nequaquam abjiciant. Non enim *ſtimulos*, quos dicit SENECA, & *ſubitos ictus ſententiarum* affectant, quibus, ut alibi admonet, *puerorum* more plauſus captetur. Atque utinam non ipſe hic omnium maxime peccaſſet, res que graviſſimas, nec raro a Patribus ipſis tractatas minutiſſimis ſuis ſententiis fregiſſet! Equidem veniam ex eo capite merebatur Philoſophus, quod frivola quæ immiſcuit, pretioſis pluribus compenſat: ſed illud minime ferendum, quod ipſe alicubi longe graviorem a ſapiente ſermonem requirit, atque a ceteris *. Sic enim aperte ſibi ipſe contradicit. Quamquam hæc illius eſt macula: in hoc damnum præterea eſt, cladesque maxima literarum, quod exemplum ea res habuit, atque innumeros ſectatores poſt ſe SENECA traxit. Malum! In hunc diem videre eſt Italos, Germanos, Anglos Gallos ſcriptores, qui coruſcare identidem velint, qui addenſent argutias, venditent ingenium, & ſi non ampullas, certe verba ante expectatum cadentia ubique projiciant **. Sed quod dixi, Patres non ita; de quorum quolibet dixeris, quod de Craſſo TULLIUS *Libr.* 2. *de Orator. Sententiæ* ejus *tam integræ*, *tam veræ*, *tam novæ*! niſi forte ex parte AUGUSTINUM, atque CHRYSOLOGUM debemus excipere. AUGUSTINUS enim, uti alias dictum, ſuorum genio id dedit, ut ſubin vocibus luderet. In CHRYSOLOGO autem, Muratorius *de dignit. eloq. popular. cap.* 7. advertit: etſi ſtylo uteretur conciſo, & ſententiis ſponte ſubnatis ac propriis, ſcripturam quoque

* Ejus enim Epiſtolam de dictione Philoſophica, quæ 40. eſt, hic reſpicimus.

** Vide Tractatum Mabillonii *de ſtud. monaſt. Tomo II. cap.* 14.

quoque perquam appoſite explicaret; quod tamen in eo collocaſſet vim, ac robur ſermonis ſui, ut antithetis ubique, & acuminibus vivacem eum redderet culpandam eſſe voluntatem ſemper, nove, ſemper excelſe, ſemper argute cogitandi, ſicque cogitata eodem prorſus modo pertexendi; cum hæc dulcedo ſatiaret illico, & denique faſtidium procrearet. Sed forte vir ſanctus, quod pronum eſt credere, conciones ſic ſcripſit, non pronuntiavit: uti enim homines, præſertim rudes & negotiis occupatos pene effugiſſent eæ ſententiæ, antequam dicerentur: ſic in libris, ubi vacuas aures, & eruditum lectorem nanciſcuntur, facilius utique poſſunt viro ſancto condonari.

Verum ad ſpecimina aliquando tranſeundum.

Tertullianus *Libro de Reſurrect. Carn. cap.* 12. inter alia argumenta reſurrectionis futuræ unum a terra repetit, quæ prius abſumit omnia, antequam tempore ſuo reſtituat.

„Etiam terræ de cœlo diſciplina eſt, arbores ve„ſtire poſt ſpolia, flores denuo colorare, herbas „rurſus imponere, exhibere eadem, quæ abſumpta „ſunt ſemina, nec prius exhibere, quam abſumpta. „Mira ratio! De fraudatrice ſervatrix, ut reddat, „intercipit; ut cuſtodiat, perdit, ut integret, vi„tiat, ut etiam ampliet, prius decoquit. Siquidem „uberiora, & cultiora reſtituit, quam extermina„vit, revera fœnore interitu, & injuria uſura, & „lucro damno. Semel dixerim, univerſa conditio „recidiva eſt. Quodcunque conveneris, fuit, quod„cunque amiſeris, nihil non iterum eſt. Omnia in „ſtatum redeunt, cum abſceſſerint, omnia inci„piunt, cum deſierint: ideo finiuntur, ut fiant: „nihil deperit, niſi in ſalutem. Totus igitur hic „ordo revolubilis rerum, teſtatio eſt Reſurrectionis „mortuorum. Operibus eam præſcripſit Deus an„te, quam literis, viribus prædicavit ante, quam

„voci-

„vocibus. Præmiſit tibi naturam magiſtram, ſub„miſſurus & prophetiam, quo facilius credas pro„phetiæ diſcipulus naturæ: quo ſtatim admittas, „cum audieris, quod ubique jam videris, nec du„bites Deum carnis etiam reſuſcitatorem, quem „omnium noris reſtitutorem. Et utique ſi omnia „homini reſurgunt, cui procurata ſunt (porro non „homini, niſi & carni,) quale eſt, ut ipſa depe„reat in totum, propter quam, & cui nihil de„perit? „

Ex Minutio Felice, qui quam maxime eſt ſententioſus, nihil hic affero, quod ejus ſere omnia alibi inter locos communes recurrunt.

S. Ambrosius *Libro I. de Virginib. cap. 6.*

„Conferamus, ſi placet, bona mulierum cum „ultimis virginum. Jactet licet fœcundo ſe mulier „nobilis partu. Quo plures generaverit, plus la„borat. Numeret ſolatia filiorum, ſed numeret „pariter & moleſtias. Nubit, & plorat. Qualia „ſunt vota, quæ flentur? Concipit, & graveſcit. „Prius utique impedimentum fœcunditas incipit af„ferre, quam fructum. Parturit, & ægrotat. „Quam dulce pignus, quod a periculo incipit, & „in periculis deſinit, prius dolori futurum, quam „voluptati? Periculis emitur, nec pro arbitrio poſ„ſidetur. Quid recenſeam nutriendi moleſtias, in„ſtituendi, & copulandi. Felicium ſunt iſtæ miſe„riæ. Habet mater hæredes, ſed auget dolores. „Nam de adverſis non oportet dicere, ne ſanctiſſi„morum parentum animi contremiſcant. Vide mi „ſoror, quam grave ſit pati, quod non oportet au„diri. Et hæc in præſenti ſæculo. Venient autem „dies, quando dicant: Beatæ ſteriles, & ventres, „qui non genuerunt! Filiæ enim hujus ſæculi gene„rantur, & generant: filia autem regni abſtinet „a voluptate viri, & a voluptate carnis, ut ſit ſan„cta corpore, & ſpiritu. Quid ergo famulatus gra-

„ves,

„ves, & addicta viris ſervitia replicem fœminarum; „quas ante juſſit Deus ſervire, quam ſervos? quæ „eo proſequor, ut indulgentius obſequantur, qui„bus hoc, ſi probæ, merces eſt charitatis: ſi im„probæ, pœna delicti. Hinc illa naſcuntur incen„tiva vitiorum, ut quæſitis coloribus ora depingant, „dum viris diſplicere formidant, & de adulterio „vultus meditantur adulterium caſtitatis. Quanta „hæc amentia, effigiem mutare naturæ, picturam „quærere, & dum verentur maritale judicium, pro„dere ſuum? Prior enim de ſe pronuntiat, quæ cu„pit mutare, quod nata eſt. Ita dum alii ſtudet „placere, prius ſibi ipſa diſplicet. Quem judicem, „mulier, veriorem requirimus deformitatis tuæ, „quam te ipſam, quæ videri times? Si pulchra es, „quid abſconderis? ſi deformis, cur te formoſam „eſſe mentiris, nec tuæ conſcientiæ, nec alieni gra„tiam erroris habitura? Ille enim alteram diligit, „tu alteri vis placere. Et iraſceris, ſi amet aliam, „qui adulterare in te docetur? Mala magiſtra es in„juriæ tuæ. Lenocinari enim refugit, etiam quæ „paſſa lenonem eſt; ac licet vilis mulier non alteri, „tamen, ſed ſibi peccat, tolerabilioraque prope„modum in altero crimina ſunt; ibi enim pudicitia, „hic natura adulteratur. Jam quanto pretio opus „eſt, ne etiam pulchra diſpliceat? Hinc pretioſa „collo dependent monilia, inde per humum veſtis „trahitur aurata. Emitur igitur hæc ſpecies, an „habetur? Quid quod etiam ad odorem variæ adhi„bentur illecebræ, gemmis onerantur aures, oculis „color alter infunditur? quid ibi remanet ſuum, „ubi tam multa mutantur? Senſus ſuos amittit mu„lier, & vivere poſſe ſe credit. Vos vero, beatæ „virgines, quæ talia tormenta potius, quam orna„menta neſcitis, quibus pudor ſanctus verecunda „ſuffuſus ora, & bona caſtitas eſt decori; non hu„manis addictæ oculis, alieno errore merita veſtra „pen-

„penſatis. Habetis ſane & vos veſtræ militiam pulchritudinis, cui virtutis militat forma, non corporis, quam nulla extinguit ætas, nulla eripere mors poteſt, nulla ægritudo corrumpere. Solus formæ arbiter petatur Deus, qui etiam in corpore minus pulchro diligat animas pulchriores. Non uteri onus notum, non dolor partus, & tamen numeroſior ſoboles piæ mentis, quæ omnes pro liberis habet, fœcunda ſucceſſoribus, ſterilis orbitatibus neſcit funera, novit hæredes. „

Nunquid collectos uniones videre te putas? ita reſplendent omnia, & fulgurant.

Idem Ambrosius *Libro I. de Virginibus cap.* 4. eleganter negat virginitatis decus apud Veſtales extitiſſe, ut quæ nonniſi certo annorum ſpatio definiebatur:

„Quis mihi prætendit Veſtæ virgines, & Palladis Sacerdotes? Qualis iſta eſt non morum pudicitia, ſed annorum, quæ non perpetuitate, ſed ætate præſcribitur? petulantior eſt talis integritas, cujus corruptela ſeniori ſervatur ætati. Ipſi docent, virgines ſuas non debere perſeverare, nec poſſe, qui virginitati finem dederunt. Qualis autem eſt illa religio, ubi pudicæ adoleſcentes jubentur eſſe, impudicæ anus? Sed nec illa pudica eſt, quæ lege retinetur, & illa impudica, quæ lege dimittitur. O myſteria! o mores! ubi neceſſitas imponitur caſtitati, auctoritas libidini datur. Itaque nec caſta eſt, quæ metu cogitur, nec honeſta, quæ mercede conducitur, nec pudor ille, qui intemperantium oculorum quotidiano expoſitus convicio, flagitioſis aſpectibus verberatur. Conferuntur immunitates, offeruntur pretia, quaſi non hoc maximum petulantiæ ſit indicium, caſtitatem vendere. Quod pretio promittitur, pretio ſolvitur; pretio addicitur, pretio adnumeratur. Neſcit redimere caſtitatem, quæ vendere ſolet.„

Hieronymus ſemper argutus, maxime vero in epiſtolis majoribus. *Epiſt.* 26. *nunc* 66. loquens de Xenodochio, quod Pammachius amiſſa uxore Romano in portu exſtruxerat:

„Tales Paulina morte ſua nobis liberos dedit, „quos vivens concupierat poſſidere. *Lætare ſterilis,* „*quæ non paris, erumpe, & clama, quæ non parturis;* „quoniam quot Romæ ſunt pauperes, tot filios re-„pente genuiſti. Ardentes gemmæ, quibus antea „collum, & facies ornabantur, egentium ventres „ſaturant. Veſtes Sericæ, & aurum in fila lente-„ſcens, in mollia lanarum veſtimenta mutata ſunt, „quibus repellatur frigus, non quibus nudetur am-„bitio. Deliciarum quondam ſuppellectilem virtus „inſumit. Ille cœcus extendens manum, & ſæpe „ubi nemo eſt, clamitans, hæres Paulinæ, cohæres „Pammachii eſt. Illum truncum pedibus, & toto „corpore ſe trahentem teneræ puellæ ſuſtentat ma-„nus. Fores quæ prius ſalutantium turmas vome-„bant, nunc a miſeris obſidentur. Alius tumenti „aqualiculo mortem parturit. Alius elinguis, & „mutus, & ne hoc quidem habens, unde roget, „magis rogat, dum rogare non poteſt. Hic debi-„litatus a puero non ſibi mendicat ſtipem. Ille „putrefactus morbo regio ſupervivit cadaveri ſuo. „Non mihi ſi linguæ centum ſint, oraque centum, „omnia pœnarum percurrere nomina poſſim. Hoc „exercitu comitatus incedit, in his Chriſtum con-„fovet, horum ſordibus dealbatur Munerarius pau-„perum, & egentium Canditatus, ſic feſtinat ad „cœlum.„

Idem *epiſt.* 47. *nunc* 117. *de Vitando ſuſpecto contubernio*, filiam Virginem, quæ a maternis ædibus ſeceſſerat, ut ſola cum juvene Clerico habitaret, ita perſtringit inter alia.

„Mater, & filia! nomina pietatis, officiorum „vocabula, vincula naturæ, ſecundaque poſt Deum

„fœde-

„fœderatio. Non eſt laus, ſi vos diligitis; ſcelus
„eſt, quod odiſtis. Dominus Jeſus Chriſtus ſubje-
„ctus erat parentibus ſuis, venerabatur matrem,
„cujus ipſe erat pater: colebat nutritium, quem
„nutriverat, geſtatumque ſe meminerat alterius ute-
„ro, alterius brachiis: unde & in cruce pendens
„commendat parentem diſcipulo, quam nunquam
„ante crucem dimiſerat. Tu vero filia (jam enim
„deſino ad matrem loqui, quam forſitan & ætas,
„& imbecillitas, ac ſolitudo excuſabilem facit) Tu,
„inquam, filia ejus domum anguſtam judicas, cu-
„jus non tibi fuit venter anguſtus? Decem menſibus
„utero clauſa vixiſti: & uno die in uno cubiculo
„cum matre non duras? An oculos ejus ferre non
„potes? Et quia omnes motus tuos, utpote illi,
„quæ genuit, quæ aluit, & ad hanc adduxit æta-
„tem, facilius intelligit, teſtem domeſticam fugis?
„Si virgo es, quid times diligentem cuſtodiam? ſi
„corrupta, cur non palam nubis? Secunda poſt
„naufragium tabula eſt, quod male cœperis, ſaltem
„hoc remedio temperare. Neque vero hoc dico,
„quod poſt peccatum tollam pœnitentiam, ut quod
„male cœpit, male perſeveret; ſed quod deſperem
„in itiusmodi copula divulſionem. Alioqui, ſi ad
„matrem migraveris poſt ruinam, facilius poteris
„cum ea plangere, quod per illius abſentiam perdi-
„diſti. Quod ſi adhuc integra es, & non perdi-
„diſti, ſerva, ne perdas. Quid tibi neceſſe eſt in
„ea verſari domo, in qua neceſſe habeas quotidie
„aut perire, aut vincere? Quis unquam mortalium
„juxta viperam ſecurus ſomnos capit? quæ etſi non
„percutiat, certe ſolicitat. Securius eſt perire non
„poſſe, quam juxta periculum non periiſſe. In al-
„tero tranquillitas eſt, in altero gubernatio Ibi
„gaudemus, hic evadimus.„ *Et rurſum* „Quid
„igitur? ſcelus eſt ſancti viri habere contubernium?
„Obtorto collo me in jus trahis, ut aut probem,

 „quod

„quod nolo, aut multorum invidiam ſubeam. San-
„ctus vir nunquam a matre filiam ſejungit. Utram-
„que ſuſcipit, utramque veneratur. Sit quamlibet
„ſancta filia, mater vidua, indicium caſtitatis eſt.
„Si coævus tuus eſt ille neſcio quis, matrem tuam
„honoret, ut ſuam: ſi ſenior te, ut filiam diligat,
„& parentis ſubjiciat diſciplinæ. Non expedit am-
„borum famæ, plus te illum amare, quam matrem,
„ne non videatur in te affectum eligere, ſed ætatem.
„Et hæc dicerem, ſi fratrem monachum non habe-
„res, ſi domeſticis careres præſidiis. Nunc vero
„proh dolor! inter matrem, atque germanum, &
„matrem viduam, fratremque monachum cur ſe
„alienus interferit? Bonum quidem eſt, ut te &
„filiam noveris, & ſororem: ſi autem utrumque
„non potes, & mater quaſi dura reſpuitur, ſaltem
„frater placeat. Si frater aſperior eſt, mollior ſit
„illa, quæ genuit. Quid palles? quid æſtuas? quid
„vultum rubore ſuffundis, & trementibus labiis
„impatientiam pectoris conteſtaris? Non ſuperat
„amorem matris, & fratris, niſi ſolius uxoris affe-
„ctus.„

S. Chrysologus, qui ut dixi, perpetuus eſt in conciſis ſententiis, & fere ab oppoſitione petitis, *Serm.* 43:

„Tria ſunt, tria fratres, per quæ ſtat fides, con-
„ſtat devotio, manet Virtus: Oratio, Jejunium,
„Miſericordia. Quod oratio pulſat, impetrat je-
„junium, miſericordia accipit. Oratio, miſericor-
„dia, jejunium, ſunt hæc tria unum. Dant hæc
„ſibi invicem vitam. Eſt namque orationis anima
„jejunium, jejunii vita miſericordia eſt. Hæc nemo
„reſcindat, neſciunt ſeparari. Horum qui unum
„habet, iſta qui ſimul non habet, nihil habet. Er-
„go qui orat, jejunet: qui jejunat, miſereatur.
„Audiat petentem, qui petens optat audiri. Audi-
„tum Dei aperit ſibi, qui ſuum ſupplicanti non
„clau-

„claudit auditum. Jejunium jejunator intelligat *: „eſurientem ſentiat, qui vult Deum ſentire, quod „eſurit: miſereatur, qui miſericordiam ſperat: pie„tatem, qui quærit, faciat, qui præſtari ſibi vult, „præſtet. Improbus petitor eſt, qui quod aliis ne„gat, ſibi poſtulat. Homo, eſto tibi miſericordiæ „forma, ſic, quomodo vis, quantum vis, quam „cito vis miſericordiam tibi fieri, tam cito alii, tan„tum, taliter ipſe miſerere.„

S. Eucherius quem & ipſum maxime ſententioſum docuimus, quam eleganter *hom.* 3. *ad Monachos* locorum mutationem diſſuadet?

„Quid prodeſt, quod diſcedis, qui undique ad„ſtrictus es vinculis paſſionum? quem hinc, atque „hinc circumvallant vitia ſua? Quid, inquam, „prodeſt, quod diſcedis, qui quocunque locorum „vadis, te tecum portas? merito diſcederes, ſi quo„quam fugere poſſes. Digne aliquis diſceſſit, ſi illo „ire poſſit, ubi illum diabolus invenire non poſſit. „Nemo ſe fallat! Non fugiat adverſarium de loco ad „locum, ſed de vitio ad virtutem, de paſſione ad „emendationem. Nam ſi eum aliter fugias, ſeque„tur te. Emenda te, & fugiet a te, ſicut ait Apo„ſtolus: *Reſiſtite diabolo, & fugiet a vobis.* Non „obedire autem, & velle diſcedere, hoc eſt dupli„citer diaboli voluntatem facere, hoc eſt volunta„rie ſibi etiam in præſenti damnationem inferre. „Illis ipſis, qui gravius apud nos delinquunt, nul„lam triſtiorem, nullam acerbiorem poſſumus inve„nire ſententiam, quam ut a corpore congregatio„nis abſciſſi,ſine pace diſcedant. Et nonne amentiæ „genus, ut hoc quisquam pro remedio expetat, „quod etiam a præpoſito non niſi pro ſummo crimi„ne poſſit inferri!

* Id eſt ex ſuo jejunio voluntario diſcat, quid ſit coactum, & perpetuum jejunium pauperis.

Salvianus, non addenſat, neque abrumpit ſententias; urget potius unam ſemel aſſumptam protenditque longius, & explicat, ut magis ſcilicet reſplendeat, ac lectoris animo infigatur. Sublimia ergo ſunt ſenſa ejus, clariſſima tamen ſtellarum ad inſtar, quarum etſi dotes & myſteria omnia neque aſtrologi ſciant, tamen eas propter claritatem & nautæ vident, & ruſtici norunt. En exemplum *ex Libro V. de gubernat. Dei*, ubi in eos inſurgit, qui uti honores, vel amplos reditus aquirerent, ſtatum mutabant, atque ab uxoribus diſcedebant, cetera nihil mutati, ſaltem quod adavaritiam ſpectat:

„Atque hoc videlicet Laici tantummodo, non „quidam etiam Clericorum? Sæculares tantummo„do, non multi etiam Religioſi, imo ſub ſpecie re„ligionis vitiis ſæcularibus mancipati? Qui ſcilicet „poſt veterum flagitiorum probra, & crimina titulo „ſibi ſanctitatis inſcripto non converſatione alii, „ſed profeſſione, nomen tantum demutavere, non „vitam; & ſummam divini cultus habitum magis, „quam actum exiſtimantes, veſtem tantummodo „exuere, non mentem. Unde illi (*non Clerici*) „ſe minore invidia criminoſos putant, qui cum pœ„nitentiam quaſi egiſſe dicantur, ſicut mores priſti„nos, ita etiam habitum non relinquunt. Nam „taliter ferme omnia agunt, ut eos non tam pu„tes antea pœnitentiam criminum egiſſe, quam po„ſtea ipſius pœnitentiæ pœnitere, nec tam prius „pœnituiſſe, quod male vixerint, quam poſtea, „quod ſe promiſerint bene eſſe victuros. Sciunt me „verum loqui, & teſtimonium mihi etiam conſcien„tia ſua dicunt cum multi alii, tum præcipue illi „novorum honorum religioſi ambitores, & poſt „acceptum pœnitentiæ nomen ampliſſimæ, ac prius „non habitæ poteſtatis emptores. Adeo non ſæcu„lares tantum, ſed plus etiam, quam ſæculares eſſe

„volue-

„voluerunt, ut non ſufficeret eis, quod ante fue„rant, niſi plus eſſent poſtea, quam fuiſſent. Quo„modo igitur tales iſti pœnitentiam ſe egiſſe non „pœnitent, ſicut etiam illi, de converſione, ac Deo „aliquid cogitaſſe, qui a conjugibus propriis ab„ſtinentes, a rerum alienarum pervaſione non abſti„nent, & cum profiteantur continentiam corpo„rum, incontinentia debacchantur animorum. No„vum prorſus converſionis genus! Licita non fa„ciunt, & illicita committunt. Temperant a con„cubitu, & non temperant a rapina. Quid agis, „ſtulta perſuaſio? Peccata interdixit Deus, non „matrimonia. Non conveniunt veſtris ſtudiis facta „veſtra. Non debetis eſſe amici criminum, qui di„citis vos ſectatores eſſe virtutum. Præpoſterum „eſt, quod agitis. Non eſt hoc converſio, ſed aver„ſio. Quia jam pridem, ut fama eſt, opus etiam „honeſti matrimonii reliquiſtis, tandem a ſcelere „ceſſate. Et quidem juſtum eſt, ut ab omni ſce„lere: ſed tamen, ſi non ab omni, quia hoc fortaſſe „durum, & impoſſibile eſſe creditis, certe vel „a maximo, & prodigioſo &c.„

Quid vero de Bernardo, qui parem in hoc genere dicendi vix ullum habet, atque ut antiqui cujusdam verbo dicam, non tam gladio, quam pugione rem agit?

Sic *Epiſt.* 42. ad Henricum Senonenſem Archiepiſcopum, quæ modo inter Tractatus reponitur, admirabili copia ſententiarum invehitur in Prælatos utriusque Cleri, qui *ſubordinatam*, ut vocant, obedientiam altioribus Prælatis denegabant.

„Ut autem ſecure præeſſe poſſitis, ſubeſſe & „vos, ſi cui debetis, non dedignemini. Dedigna„tio quippe ſubjectionis, prælationis reddit indi„gnum. Sapientis eſt conſilium, *quanto major es,* „*tanto humilia te in omnibus.* Sapientiæ vero præce„ptum: *Qui major eſt veſtrum, fiat ſicut minor.*

 „Quod

„Quod ſi expedit etiam minoribus eſſe ſubjectum, „majorum jugum quomodo licebit contemnere? „Videant in vobis potius ſubditi, quod vobis redhi-„beant. Intelligitis, quæ dico. Cui honorem, „honorem. *Omnis anima*, inquit, *poteſtatibus ſub-„limioribus ſubdita ſit.* Si omnis, & veſtra. Quis „vos excipit ab univerſitate? ſi quis tentat excipere, „conatur decipere. Nolite illorum acquieſcere „conſiliis, qui cum ſint Chriſtiani, Chriſti tamen „vel ſequi facta, vel obſequi dictis opprobrio du-„cunt. Ipſi ſunt, qui vobis dicere ſolent: Servate „veſtræ ſedis honorem. Decebat quidem ex vobis „vobis commiſſam Eccleſiam creſcere: nunc vero „ſaltem in illa, quam ſuſcepiſtis, maneat dignitate. „Et vos enim veſtro prædeceſſore impotentior? Si „non creſcit per vos, non decreſcat per vos. Hæc „iſti. Chriſtus aliter juſſit, & geſſit: *Reddite*, ait, „*quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo.* „Quod ore locutus eſt, mox opere implere curavit. „Conditor Cæſaris Cæſari non cunctatus eſt reddere „cenſum. Exemplum enim dedit vobis, ut & vos „ita faciatis. Quando vero Dei ſacerdotibus debi-„tam negaret reverentiam, qui hanc ſæcularibus „quoque poteſtatibus exhibere curavit? Porro vos „ſi Cæſaris ſucceſſori, id eſt, Regi ſedulus in ſuis „curis, conſiliis, negotiis, exercitibusque adeſtis, „indignum erit vobis cuicunque Chriſti Vicario ta-„liter exhibere, qualiter ab antiquo (*tempore*) in-„ter Eccleſias ordinatum eſt? *Sed quæ ſunt*, inquit „Apoſtolus, *a Deo ordinata ſunt.* Viderint ergo „hujus ignominiæ diſſuaſores, quale ſit Dei ordina-„tioni reſiſtere. Valde ignominioſum ſervo, ſi ſit „ſicut Dominus ejus, aut diſcipulo, ſi ſit ſicut ma-„giſter ejus. Plurimum ſe vobis deferre putant, „cum vos Chriſto præferre conantur ipſo reclaman-„te, ac dicente: *Non eſt ſervus major domino ſuo,* „*neque apoſtolus eo, qui miſit eum.* Quod non de-

„digna-

„dignatus eſt Magiſter, & Dominus, talisque Ma„giſter, & Dominus, indignum ſibi judicabit ſer„vus bonus, devotusque diſcipulus? Quam pul„chre locutus eſt beatus ille Centurio, cujus fidei „nulla par inventa eſt in Iſraël! *Et ego*, inquit, „*homo ſum ſub poteſtate, habens ſub me milites.* Non „jactabat poteſtatem, quam nec ſolam protulit, „nec priorem. Dicturus quippe, *habens ſub me mi„lites*, præmiſit: homo ſum ſub poteſtate. Prius „ſe agnovit hominem, quam potentem. Agnovit, „inquam, ſe hominem homo gentilis, ut in ſe jam „impleri oſtenderet, quod longe ante dixerat Da„vid: Sciant gentes, quoniam homines ſunt. Ho„mo, inquit, ſum, & homo ſub poteſtate. Jam „quidquid ſubinferas, ſuſpectam non habemus ja„ctantiam. Præmiſſa ſiquidem eſt humilitas, ne „altitudo præcipitet. Nec enim locum invenit ar„rogantia, ubi tam clarum humilitatis inſigne præ„ceſſerit. Agnoſcis infirmitatem, confiteris ſubje„ctionem. Jam & te ſub te habere milites profitere „ſecurus. Revera quia non confuſus eſt de ſubje„ctione, jure ex prælatione meruit honorari. Non „erubuit ſuper ſe poteſtatem, & ideo dignus, qui „haberet & ſub ſe milites. Ex abundantia cordis „os loquebatur, & juxta quod intus ordinatas ha„buit affectiones, foris quoque verba decenter com„poſuit. Dedit prius honorem præpoſitis, ut jam „a ſubditis juſte reciperet; ſciens ſe a ſuperioribus „accipere, quod impenderet inferioribus; & quia „melius propriæ ſubjectionis diſceret experimento, „ſua ipſe moderari imperia. Forte non ignorabat, „quod ſubjecto ſibi homini Deus omnia ſubjecerit „ſub pedibus, offendenti ſe infenſa reddiderit, & „is, quem humilem conſtituerat ſuper opera ma„nuum ſuarum, ſuperbiæ merito comparatus eſt „jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. „Noverat & fortaſſis, quod humanus ſpiritus ſub-

„ditus Conditori, ſubjectam ſibi poſſederit carnem, „rebellis rebellem invenerit, factusque transgreſ- „ſor legis ſuperioris, ſentire cœperit aliam legem „in membris ſuis, repugnantem legi mentis ſuæ, „& captivantem ſe in lege peccati. Miror quos- „dam in noſtro ordine monaſteriorum Abbates hanc „humilitatis regulam odioſa contentione infringere, „& ſub humili, quod pejus eſt, habitu, & ton- „ſura tam ſuperbe ſapere, ut cum ne unum qui- „dem verbulum de ſuis imperiis ſubditos præter- „gredi patiantur, ipſi propriis obedire contemnant „Epiſcopis. Spoliant Eccleſias, ut emancipentur, „redimunt ſe, ne obediant. Non ita Chriſtus. Ille „ſiquidem dedit vitam, ne perderet obedientiam, „qua iſti ut careant, totum fere ſuum, ſuorumque „victum expendunt. Quid hoc eſt præſumptionis, „o Monachi! neque enim quia prælati monachis, „ideo non monachi. Nempe monachum facit pro- „feſſio, prælatum neceſſitas. Ut autem non præ- „judicet neceſſitas profeſſioni, accedat, non ſucce- „dat prælatio monachatui. Alioquin quomodo il- „lud implebitur: *Principem te conſtituerunt? Eſto in- „ter illos, tanquam unus ex illis.* Quomodo tan- „quam unus ex illis, manens inter humiles ſuper- „bus, inter ſubditos rebellis, immitis inter man- „ſuetos? Ut te putemus tanquam unum ex illis, „videamus tam exhibere paratum, quam exigere „obedientiam: videamus tam libenter præpoſitis „obtemperare ſubjectum, quam imperare ſubjectis. „Quod ſi ſemper vis obedientes habere, & nun- „quam eſſe, probas te non eſſe tanquam unum ex „illis, dum unus eſſe renuis ex obedientibus; a qui- „bus dum te ſuperbiendo ſegregas, quorum aggre- „geris conſortio, patenter advertimus. Etſi tu vel „impudenter contemnis, vel imprudenter diſſimu- „las, reputari profecto inter illos te noveris, de qui- „bus ſcriptum eſt: *Alligant onera gravia, & im-*

porta-

„*portabilia, & imponunt humeris hominum; digito* „*autem ſuo nolunt ea movere.* Quorum ergo tibi „indignius conſortium judicas, delicatorum magi„ſtrorum, quos veritas increpat: an obedientium „monachorum, quos amicos ſuos commemorat? „Ait ſiquidem: *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ* „*præcipio vobis.* Vides igitur, quale eſt jubere, „quod ipſe non feceris, aut nolle facere, quod do„cueris? Deinde, ut taceam illud de regula, ubi „a S. Benedicto tibi præcipitur, ut quæ doces diſci„pulis eſſe contraria, in tuis factis indices non agen„da: ut item prætermittam, quod aperte definit „tertium humilitatis eſſe gradum, ut quis pro Dei „amore omni obedientia ſe ſubdat majori: in re„gula veritatis attende, quod legitur: *Qui ſolverit,* „inquit, *unum de his minimis meis mandatis, & do-* „*cuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cœlo-* „*rum.* Proinde tu docens, & renuens obedire, „non minimum, ſed maximum Chriſti mandatum „& docere, & ſolvere convinceris. Itaque doctor, „& ſolutor mandati, minimus tu vocandus es in re„gno cœlorum. Si ergo tui putas injuriam prio„ratus, minorem ſummis videri Sacerdotibus, non „magis indignum æſtimandum eſt minimum vocari „in regno cœlorum. Si multum ſuperbus es, „plus minimus, quam minor vocari confundere; „minor quippe vilitas eſt minorem videri, quam „minimum. Longe autem præſtantius ſolis ſubdi „Epiſcopis, quam univerſitati. Sed non propter „me, inquit, facio, ſed quæro Eccleſiæ libertatem. „O libertas omni, ut ita loquar, ſervitute ſervilior! „Patienter ab hujuſmodi libertate abſtineam, quæ „me peſſimæ addicat ſuperbiæ ſervituti. Plus ti„meo dentes lupi, quam virgam paſtoris. Certus „ſum enim ego monachus, & monachorum qualis„cunque Abbas, ſi mei quandoque Pontificis a pro„priis cervicibus excutere jugum tentavero, quod

„Sata-

„Satanæ mox tyrannidi meipſum ſubjicio. Adver-
„tens nimirum cruenta illa beſtia, quæ circuit quæ-
„rens, quem devoret, elongatam cuſtodiam, heu!
„ſtatim inſilit in præſumptorem. Merito enim non
„cunctatur præſidere ſuperbo, qui ſe jure regem
„gloriatur ſuper omnes filios ſuperbiæ. Quis da-
„bit mihi centum in mei cuſtodiam deputari paſto-
„res? Quanto plures ſentio mei curam gerere,
„tanto ſecurior exeo in paſcua. Stupenda inſania!
„Animarum non cunctor turbas mihi cuſtodiendas
„colligere, & unum ſuper propriam gravor habere
„cuſtodem? Et quidem ſubjecti me de reddenda
„pro ſe ratione ſollicitant; qui autem præſunt mi-
„hi, ipſi potius, Paulo dicente, pervigilant tan-
„quam rationem pro me reddituri. Illi etſi hono-
„rant, onerant: hi non tam premunt, quam pro-
„tegunt. Scio me legiſſe: *Judicium duriſſimum his,*
„*qui præſunt: exiguo autem conceditur miſericordia.*
„Quid igitur vos, o Monachi, Sacerdotum gravat
„auctoritas? Metuitis infeſtationem? Sed ſi quid
„patimini propter juſtitiam, beati! Sæcularitatem
„contemnitis? Sed ſæcularior nemo Pilato, cui
„Dominus aſtitit judicandus. *Non haberes*, inquit,
„*in me poteſtatem, niſi tibi data eſſet deſuper.* Jam
„tunc per ſe loquebatur, & in ſe experiebatur,
„quod poſt per Apoſtolos clamavit in Eccleſiis:
„*Non eſt poteſtas, niſi a Deo*: &: *Qui reſiſtit poteſtati,*
„*Dei ordinationi reſiſtit.* Ite nunc ergo reſiſtere
„Chriſti Vicario, cum nec ſuo adverſario Chriſtus
„reſtiterit. Aut dicite, ſi audetis, ſui Præſulis
„Deum ordinationem neſcire, cum Romani Præſi-
„dis poteſtatem Chriſtus ſuper ſe quoque fateatur
„fuiſſe cœlitus ordinatam.„

Hic locus Bernardi tam eſt excellens, & ſen-
tentias tot, tantasque cum de ſuo, tum de Scriptu-
rarum promptuario repræſentat, ac tam apte, tam
ſolide colligat inter ſe, ut plane putem, ipſum
Mar-

Marcum Tullium, ſi Bernardi perſonam geſſiſſet, melius, uberiusque non fuiſſe locuturum.

CAPUT VII.

Specimina circa genus dicendi abruptum *atque* laconicum.

Stylus laconicus nomen a *Laconibus*, ſeu Lacædemoniis habet. Hi enim nobili quodam faſtu celebres, cum brevitati in omnibus ſtuderent, conciſis fere, atque abruptis ſententiis ſtruebant ſermonem, cujus præcipua in eo gratia eſſet, quod multa pauciſſimis complecterentur. Ex quo habes *primo*, ſtylum laconicum, etſi affinitatem cum *ſententioſo* habet, revera tamen haud parum ab eo diſcrepare. Nempe laconicus non ita perſeverat in ſententiis, ſed has non minus, quam verba ipſa abrumpit. Cum vero eas adhibet, non ingenium, non acumen magnopere affectat, ſed emphaticas, ſignificantes, ac veluti libratas vult, quæ brevitatem ſimul, ſeveritatem, & magnanimitatem quamdam ſingularem oſtentent. Itaque non tam auribus dantur, quam animis, & ut primum quis in hujus generis dictionem inciderit, advertit continuo fœtas, ut ſic loquar, aut certe fartas voces, quæ veluti oracula quædam plus cogitandum relinquant, quam præferant. *Secundo* non ergo ſolæ ſententiæ, ſed neque brevitas ſola Laconiſmum facit: ſed utrumque ſimul, ubi ſcilicet, quæ diffundi alias ſolent, atque etiam fuſius amplificari, velut in pugnum contrahuntur. Qua in re nullum unquam diſpendium eſt, neque enim in paucis illis minus collectum habetur, quam ante ſparſum erat in quamplurimis: fere uti in pecuniis accidit, ubi num-

mus

mus unus aureus, tantumdem aut etiam plus valoris habet, quam ærei, argenteive complures *.

Jam quod ad Patres ſpectat, etſi eſt indubitatum, eorum non paucos laconiſmo nec raro, nec obiter uſos eſſe, neminem tamen unum ſcio, qui in concionibus illum ſæpe, ne dicam, conſtanter adhiberet. Et recte id quidem; quando & profanus dicendi præceptor admonuit, *brevitatem laudem eſſe interdum in aliqua parte dicendi: in univerſa eloquentia laudem non habere.* Solus fere Tertullianus paulo diutius in eo genere perſeverat; quod cum illi in *Apologetico*, in *Præſcriptionibus*, atque etiam in *Moralibus* quibusdam *libellis* feliciter ceſſit, at non in omnibus; quando ea de cauſa ſæpiſſime aſper, horridus, difficilis, atque obſcurus in ſcribendo evaſit.

Porro inter Græcos Patres haud dubie Isidorus Pelusiota, inter Latinos Hieronymus principes in genere iſto extiterunt. Et Isidorus quidem hoc habet peculiare, quod cum breviter, & ſententioſe ſemper dicit, merisque nervis conſtat, tantum tamen abeſt, ut abſtruſior ſit, vel aridior, ut contra parem non habeat perſpicuitate; tam plane, tam aperte, diſerteque dicit ſanctiſſimus, cordatiſſimusque orator. Hieronymus quoque Laconicus paſſim, qui paucis quam plurima comprehendat, & uni non raro, brevique ſententiæ animi ſui imaginem imprimat, ac rigorem. Sed & Gregorius ille Nazianzenus, præſertim in epiſtolis hoc genus adamavit. Dixi, præſertim in Epiſtolis; cum enim in ceteris ſcriptis, ubi gradatim aſſurgere, nec ſplendide minus, quam numeroſe ferri ſolet, laconiſmum ſubin inſpergit, latiore ſenſu id facit, quam conſueverint ceteri, ut cui breve aliquid tam-

* **Acrius & vehementius eſt id, quod paucis verbis ſummam continet ſignificationem, Demetrius Phaler. *de Elocut.***

tamdiu maneat, quamdiu nihil, niſi quod neceſſarium ſit, comprehendit. Sic enim ait *Epiſt. 3 ad Nicobulum. Laconice loqui non eſt, ut, putas paucas ſyllabas ſcribere, ſed de plurimis rebus paucas. Atque hac ratione ego, & maxime breviloquum Homerum eſſe pronuntio, & prolixum Antimachum. Qui tandem iſtud? quia rebus, non autem literis longitudinem æſtimans.*

Præter hos Clemens Alexandrinus, Ambrosius, Synesius, Nilus, Leo, Bernardus, uti cetera genera dicendi, ſic iſtud quoque paſſim adhibuerunt. Quo magis miror, eſſe, qui negent ſimpliciter hanc dictionem ad forum noſtrum, ſacramque eloquentiam pertinere. Pertinet utique, & pertinuit ſemper, niſi oculos nobis eruamus; & in Epiſtolis quidem, in Narrationibus, in documentis, & collectionibus capitum, in dialogis item, affectibus, & oratiunculis privatorum non eſt alia iſta aptior, jucundior, ſalutarior. In Hiſtoria quoque, & in Dogmatis, ſi quis alius, valet, quod in illa quidem Sulpitius Severus, in iſtis S. Joannes Damascenus præclare profecto oſtenderunt. Ne ergo laconiſmum averſemur, modo nimius non ſit, & in illis quoque materiis aſſumatur, quæ uberiorem requirunt, & pleniorem tractationem, puta, ubi ad populum dicimus, neque alium, quam promiſcuum auditorem congregamus. Alias autem nihil vetat, interdum Laconem fieri. Ut enim ſapienter Hieronymus * advertit: *Ejusdem eloquentiæ eſt & pauca multis, & multa paucis poſſe dicere.* Id tantum caveatur, ut ne oſtentationi quid demus hac in parte, & malimus pleniſſime intelligi, quam ſonantius exaudiri **.

Ecce

* *Epiſtol ad Pammachium adverſus Errores Joannis Hieroſolymitani.*

** De Laconiſmo habemus *ſyntagma* Erycii Puteani.

Ecce jam ſpecimina Laconiſmi Patrum.

TERTULLIANUS *Libro de Patientia cap.* 7. ita nos contra jacturam opum obarmat.

„Quod ergo nobis appetere minime opus eſt, „quia nec Dominus appetivit, detruncatum, vel „etiam ademptum non ægre ſuſtinere debemus. „Cupiditatem omnium malorum radicem Spiritus „Domini per Apoſtolum pronuntiavit. Eam non „in concupiſcentia alieni tantum conſtitutam inter„pretemur; nam & quod noſtrum videtur, alie„num eſt. Nihil enim noſtrum, quoniam Dei om„nia, cujus ipſi quoque nos. Itaque ſi damno af„fecti impatienter ſenſerimus, non de noſtro amiſ„ſum dolentes, ad fines cupiditatis deprehende„mur. Alienum quærimus, cum alienum amiſſum „dolentes, ægre ſuſtinemus. Qui damni impatien„tia concitatur, terrena cœleſtibus anteponendo, „de proximo in Deum peccat. Spiritum enim, „quem a Deo ſumpſit, ſæcularis rei gratia concu„tit. Libenter igitur terrena amittamus, cœleſtia „tueamur. Totum licet ſæculum pereat, dum pa„tientiam lucrifaciam. „

Idem in *Præſcriptionibus adverſus hæreticos cap.* 7. & 8. ita nova dogmata a Pſeudophiloſophis procuſa, ab Eccleſia faceſſere jubet.

„Quid ergo Athenis, & Hieroſolymis? quid „Academiæ, & Eccleſiæ? quid hæreticis, & Chriſti„anis? Noſtra inſtitutio de porticu Salomonis eſt, „qui & ipſe tradiderat, Dominum in ſimplicitate „cordis eſſe quærendum. Viderint, qui Stoicum, „& Platonicum, & Dialecticum Chriſtianiſmum „protulerunt. Nobis curioſitate opus non eſt poſt „Chriſtum Jeſum, nec inquiſitione poſt Evange„lium. Cum credimus, nihil deſideramus, ultra „credere. Hoc enim prius credimus, non eſſe, „quod ultra credere debeamus. „

Idem

Idem *Libro de corona militis cap.* 11. neceſſitatem, quosdam ethnicos ritus admittendi in caſtris, ita a milite Chriſtiano repellit.

„Nec enim delictorum impunitatem, aut mar„tyriorum immunitatem militia promittit. Nuſ„quam Chriſtianus aliud eſt. Unum Evangelium, „& idem Jeſus, negaturus omnem negatorem, & „confeſſurus omnem confeſſorem Dei, & ſalvum „facturus animam pro nomine ejus amiſſam, per„diturus autem de contrario adverſus nomen ejus „lucri habitam. Apud hunc tam miles eſt paga„nus fidelis *, quam paganus eſt miles infidelis. „Non admittit ſtatus fidei allegationem neceſſita„tis. Nulla eſt neceſſitas delinquendi, quibus una „eſt neceſſitas non delinquendi. „ Quam ſpartanam ſententiam apud Chryſoſtomum quoque *hom.* 5. *ad popul.* reperire eſt, qui forte Tertullianum græce verſum videre potuit.

Idem Tertullianus in *præſtanti ad Martyras* Libello, in quo eos carcere detentos admirabili facundia ad agones præparat, inter alia Laconica hæc habet:

„Chriſtianus etiam extra carcerem ſæculo re„nuntiavit, in carcere autem etiam carceri. Ni„hil intereſt, ubi ſitis in ſæculo, qui extra ſæcu„lum eſtis. Et ſi aliqua amiſiſtis vitæ gaudia, ne„gotiatio eſt, aliqua amittere, ut majora lucreris. „Nihil adhuc dico de præmio, ad quod Deus Mar„tyres invitat. Ipſam interim converſationem Sæ„culi & carceris comparemus, ſi non plus in car„cere ſpiritus acquirit, quam caro amittit. Imo & „quæ juſta ſunt, caro non amittit, per curam Ecc„leſiæ, & agapen fratrum: & inſuper, quæ ſem„per

* *Paganus* bic non gentilem ſignificat, ſed a militia alienum, quo ſenſu ſæpe ſumitur ab antiquis.

„per utilia fidei, ſpiritus adipiſcitur. Non vides „alienos Deos, non imagines eorum incurris, non „ſolennes Nationum dies ipſa comixtione partici„pas, non nidoribus ſpurcis verberaris, non „clamoribus ſpectaculorum atrocitatem, vel furo„rem, vel impudicitiam celebrantium cæderis, non „in loca libidinum publicarum oculi tui impin„gunt. Vacas a ſcandalis, a tentationibus, a re„cordationibus malis, jam & a perſecutione. Hoc „præſtat carcer Chriſtiano, quod eremus Prophe„tis. Ipſe Dominus in ſeceſſu frequentius agebat, „ut liberius oraret, ut ſæculo cederet. Gloriam „denique ſuam diſcipulis in ſolitudine demonſtra„vit. Auferamus carceris nomen, ſeceſſum voce„mus. Etſi corpus includitur, etſi caro detinetur, „omnia ſpiritui patent. Vagare ſpiritu, ſpatiare „ſpiritu, & non ſtadia opaca, aut porticus longas „proponens tibi, ſed illam viam, quæ ad Deum „ducit. Quoties eam ſpiritu deambulaveris, toties „in carcere non eris. Nihil crus ſentit in nervo *, „cum animus in cœlo eſt.„

Minutius quoque Felix, imitator Tertulliani, Laconiſmis, ſi quis alius abundat, præſertim *ſub finem Octavii.*„

S. Gregorius Nazianzenus cognominem ſibi S. Gregorium Nyſſenum, de perpetuis peregrinationibus conqueſtum epiſtola, quæ ordine 34 eſt, ſic conſolatur:

„Locorum circuitu angeris tibique inſtabilis eſſe „videris, quemadmodum ligna, quæ aquis ferun„tur. Abſit, vir eximie, abſit, ut ita affectus ſis, „illorum enim curſus coactus eſt, tuus autem cir„cuitus Deo gratus, & acceptus fixumque tibi ac „certum eſt prodeſſe, quamvis loco minime fixus „ſis; niſi vero quis ſolem accuſet, quia in orbem cur-

* *Nervus* eſt machina, qua pedes captivorum includi ſolent.

„currit, radios fundens, atque omnibus rebus, „quas obit, vitam afferens, aut etiam inerrantes „ſtellas laudans, planetas vituperet, quorum error „quoque ipſe compoſitus eſt, atque concinnus.„

Idem *epiſt.* 62. *Euſtochio* Sophiſtæ, quem ob caninam facundiam increpaverat, ad literas ſuas indignanti, ita reſcribit:

„Quale illud eſt, quod ignoravi! quam ſtul„tum, & ineptum! virum Sophiſtam caſtigare in„ſtitui. O ſingularem audaciam! Ac ne vulgari qui„dem proverbio eruditus ſum, ut, cum calvus eſ„ſem, cum ariete obverſa fronte ne congrederer, „nec crabronem laceſſerem, & irritarem, hoc eſt, „linguam ad maledicendum paratiorem. Quan„quam illud quidem non admodum me diſcruciat. „Multis enim, ut audio, adjunctus ſum, ac ſi vi„xeris, multis etiam anteponar. Hoc vero acer„bius me angit, quod tibi minime probavi, me „hoc amico animo facere. Et tamen opto, ut tum cor„pore, tum animo valeas, ac linguam, ſi fieri poſ„ſit, coerceas. Nunc autem, quod ad nos at„tinet, æquo animo (*eam*) feremus.„

Hæ duæ Epiſtolæ breviſſimæ cum ſint, neſcio ſane, an non plus dicant aliis longiſſimis; adeo quo minores ſunt verbis, eo ſunt ſenſu, & pondere graviores.

S. Hieronymus *Epiſt.* 11. *nunc* 123. *ad Ageruchiam:*

„Si ſcandalizat, inquit, eſca fratrem, in æter„num carnem non manducabo. Dicamus & nos: „Si Scandalizat ſoror, vel frater non unum, ſed „totam Eccleſiam, nec ſororem videbo, nec fra„trem. Melius eſt rem familiarem minui, quam „ſalutem animæ perire. Melius eſt amittere, quod, „velimus, nolimus, aliquando periturum eſt. Me„lius eſt ſponte dimittere, quam id amittere, pro „quo omnia dimittenda ſunt.

Idem HIERONYMUS *epiſt.* 10. *nunc* 54. *ad Furiam* Viduam ſane præcellenter:

„An vereris, ne proles Furiana deficiat, & ex „te parens tuus non habeat puſionem, qui reptet „in pectore, & cervicem ejus ſtercore linat? quippe „ni omnes habent filios, qui habuere matrimonia; „& quibus nati ſunt liberi, ſuo generi reſponderunt? Exhibuit Ciceronis filius patrem in eloquen„tia? Cornelia veſtra, pudicitiæ ſimul, & fœcundi„tatis exemplar Gracchos ſe genuiſſe lætata eſt? „Ridiculum eſt, ſperare pro certo, quod multos & „non habere videas, & cum habuerint, perdidiſſe. „Cui dimittes tantas divitias? Chriſto, qui mori „non poteſt. Quem habebis hæredem? Ipſum „quem & Dominum. Contriſtabitur pater. Sed „lætabitur Chriſtus. Lugebit familia. Sed Angeli „gratulabuntur. Faciat Pater, quod vult de ſub„ſtantia ſua, non es ejus, cui nata es, ſed cui „renata, & qui te grandi pretio redemit. Sanguine „ſuo.„

Et *Epiſtola* 22. *ad Euſtochium propius initium*:

„Poteris tibi ipſa colligere, quomodo primus „de paradiſo homo, ventri magis obediens, quam „Deo in hanc lacrimarum dejectus eſt vallem: et „ipſum Dominum Sathanas fame tentaverit in de„ſerto: et Apoſtolus clamitet: Eſcæ ventri, & ven„ter eſcis; Deus autem & hunc, & illas deſtruet. „Et de Luxurioſis: Quorum Deus venter eſt. Id „enim colit unusquisque, quod diligit. Ex quo „ſolicite providendum eſt, ut quos ſaturitas de „paradiſo expulit, reducat eſuries. Quod ſi vo„lueris reſpondere, te nobili ſtripe generatam ſem„per in deliciis, ſemper in plumis, non poſſe a „vino, & eſcutentioribus cibis abſtinere, nec his „legibus vivere: diſtrictius reſpondebo: Vive ergo „lege tua, quæ Dei non potes.„

In *Apologia* quoque *ultima adverſus Ruffinum*:

„Vis

„Vis ergo me tacere? Ne accuſes. Depone gla„dium, & ego ſcutum abjiciam. In uno tibi con„ſentire non potero, ut parcam hæreticis, ut me „Catholicum non probem. Si iſta eſt cauſa diſcor„diæ, mori poſſum, tacere non poſſum.„

S. Isidorus Pelusiota *Libro I. epiſt.* 164. Martyrio elato homini ſcribit hunc in modum:

„Superbis Deus reſiſtit; quandoquidem etiam „ipſorum principi ab initio ſeſe oppoſuit. Conſi„dera igitur, quantum eſt, & Deum hoſtem, at„que adverſarium habere, & veterem hoſtem ſo„cium.„

Neſcias, an brevitatem literarum magis mirere, an nervum. Ejusdem generis ſunt ſequentes epiſtolæ.

Epiſtola 175. *ejusdem Libri* 1. *ad Cyrenium* Ducem, reprehenſiones ægerrime ferentem, ſic habet:

„Et modulum noſtrum exploratum habemus, & „eo loco poſiti ſumus, ut coarguendos improbos „habeamus, quod ſi eorum, quæ facis, commemo„rationem fugis, actioni finem impone, & com„memorationis locus non erit. Nam quod quis „facere non erubeſcit, non eſt, cur mærore con„ſternetur, cum id appellatur. Quod ſi ſola quo„que appellatio contumeliæ habitus eſt, an non „ejus actio contumelia exiſtet?„

Ibidem *epiſt.* 389. *ad Theraſium* officialem cæſareum:

„Lubens ex te ſciſcitarer, qui cavillis nos pe„tis, atque acerbum, & infeſtum te nobis judi„cem præbes, ſi te Imperator ad propugnaculum „collocaſſet, turrisque urbis cuſtodem conſtituiſſet, „ea autem ſuffoderetur, atque concuteretur, ut „hoſtibus ad urbem aditus pateret, an non inſtru„mentis omnibus, atque armis, quæ vel recondita „haberes, vel comminiſci poſſes, utereris, prohi-

„bens, ac tela jaciens, conatumque hujuſmodi „frangens, atque tum urbem, ac te ipſum a pe„riculo vindicans, tum Imperatori fidem, ac be„nevolentiam conſervans? Nobis autem, quos Deus „Eccleſiæ ſuæ magiſtros præfecit, eo nomine ſuc„cenſes, quod Ario, qui non modo cum pio gre„ge bellum gerit, ſed etiam permultos jam inter„emit, obſiſtimus? Ego vero eam ob cauſam pe„riculum omne contemno, ac quidlibet potius fa„cere deſierim, quam ut non illum, quam maxime „queam, feriam.„

Quid quod erga ipſummet Imperatorem Laconiſmum hunc ſuum Iſidorus exprompſit. Scribit enim *Libro itidem I. epiſt.* 311.

„Si tu tantum temporis tibi ſumas, ut iis, quæ „Epheſi decernenda ſunt, interſis, non dubito, „quin ea ita ſe habitura ſint, ut a nemine repre„hendi queant. Sin autem turbulentis odiis calcu„los permiſeris, quisnam a cavillis, ac dicteriis „concilium vindicabit? Huic autem malo reme„dium attuleris, ſi Miniſtros tuos a dogmatum „præſcriptione removeas, ut qui magno hiatu ab „eo diſtincti, ac dirempti ſunt, ut ſimul & Im„peratori, & Deo inſervire ſtudeant. Ne alioqui „Imperio quoque motum, ac jactationem afferant, „perfidiæ ſuæ machinas ad Eccleſiæ petram effrin„gentes. Nam ea firmo loco defixa eſt, eamque „cauſam habet, ut ipſi ne inferi quidem portæ „dominentur, quemadmodum is, qui eam con„ſtabilivit, pollicitus eſt. „

Plura ejusdem ſancti Doctoris dedimus Libro noſtro tertio, cum peculiaris de eloquentia illius Diſſertatio eſſet.

S. Bernardus *Libro* 4. *de Conſideratione cap.* 7. **Eugenium Papam his verbis animat ad Romanorum faſtum, & contumaciam perfringendam.**

Fate-

„Fateor populum iſtum extitiſſe uſque adhuc „dura fronte & indomito corde: ſed utrum etiam „indomabili, neſcio, unde liquido ſcire poſſis. „Poteſt fore, quod necdum fuit. Si diffidis tu, ſed „apud Deum non erit impoſſibile omne verbum. „Si dura fronte ſunt, durato & tu econtra tuam. „Nil tam durum, quod duriori non cedat. Do- „minus ad Prophetam: *Dedi frontem tuam durio- „rem frontibus eorum.* Unum eſt, quod te abſol- „vit, ſi egiſti cum populo illo, ut poſſis dicere: „Popule meus, quid tibi debui facere, & non fe- „ci? Si ſic feciſti, nec profeciſti, eſt demum, quod „facias, & dicas: Exi de Hur Chaldæorum: & „dicito: Quia oportet me & aliis civitatibus ev- „angelizare. Puto quod nec pœnitebit exilii, or- „be pro urbe commutato. „

Et *cap.* 7.

„Ubi malitiæ juncta potentia eſt, aliquid tibi „ſupra hominem præſumendum. Vultus tuus ſu- „per facientes mala. Timeat ſpiritum iræ tuæ, qui „hominem non veretur, gladium non formidat. „Timeat orationem, qui admonitionem contem- „pſit. Cui iraſceris tu, Deum ſibi iratum, non „hominem putet. Qui te non audierit, auditurum „Deum, & contra te paveat. „

CAPUT VIII.

Specimina circa genus dicendi vehemens, incitatum & rapidum.

Non agimus hìc de affectibus, qui ſint præ ceteris vehementes; de his enim jam alibi accurate a nobis, atque etiam copioſe eſt diſputatum. Quæſtio eſt de toto eo genere dictionis, quod ad vim, & pugnam comparatum ſit, & in quo affectum quemcunque ab argumento oblatum, ita

aut indui vides, aut ſimulari, ut eundem velut oculis uſurpare te putes, aut ipſis etiam manibus contrectare. De hoc CICERO *in Oratore num.* 128. ita loquitur: Παθητικὸν *nominant, quo perturbantur animi & concitantur, in quo uno regnat oratio* . . . *vehemens, incenſum, incitatum, quo cauſæ eripiuntur, quod cum rapide fertur, ſuſtineri nullo pacto poteſt.* Etſi vero non negem, magnam hujus dictionis partem a natura venire, & calidiore ingenio fundi, ita & illud dari mihi jure poſtulo, arte ipſa, uſu, atque induſtria non perfici tantum, verum & parari vehementiam in dicendo poſſe.

Porro apud Patres non paucos reperias, huic maxime generi addictos. Et quidem alii etiam citra affectum, ubi a temperato genere non recedunt longius, calorem tamen ubique præferunt, & licet flammas, atque ignes non ſpargant, ſcintillas tamen excutiunt. Alii cum in generoſa quædam, & ſua ſcilicet argumenta incidunt, inſolitum quemdam vigorem aſſumunt commoti, effervescentes, citati, deſudantes; nam & æſtuare ſtatim & procurrere, & manus conſerere, ut impreſſionem fieri dicas, atque aſſultum ex omni parte parari. Strictus, & exacutus eſt ille verbi gladius, quo accingi alias ſolent, quemque veluti reconditum in vagina geſtabant. Itaque fulgurat, voratque carnes, ac ſanguine totus reſpergitur. Neque enim invenio, quo aptius explicem, quam dare ſolent cladem valentes lacerti, productus ſpiritus, vox meſſoria, quæ tonet, & non tam verba, quam fulmina mittat. Porro id genus in reprehenſione, ubi in vitia invehuntur, potiſſimum ſolent adhibere; id quod cum natura duce, tum maxime ſcripturarum exemplis didicerunt. Quid enim Prophetis vehementias, quando quaſi tubæ exaltant vocem ſuam, cum annuntiant populo Dei ſcelera eorum, & domui Jacob peccata eorum? Quid incitatum magis, & quod altius

altius penetret, quam verba arguentium, & increpantium Apoſtolorum? *Scriptum eſt*, ait S. Gregorius *Libro IV. Moral. cap.* 9. *verba ſapientium quaſi ſtimuli, & quaſi clavi in altum defixi. An Joannis verba clavi non erant, cum dicebat: Progenies viperarum, quis vobis demonſtravit fugere ab ira ventura? An verba Stephani clavi non erant, cum dicebat: Vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis? An verba Pauli clavi non erant, cum diceret: O inſenſati Galatæ, quis vos faſcinavit?*

Ut enim medici, cum collectam diu ſaniem, & inveterata ulcera, aliter rumpere, & expellere non poſſunt, ferrum atque ignem arripiunt, ſicque, maximo licet ægri dolore, ac repugnantia, morbum invadunt, ut vitam ſervent: ita & hic fieri oportebat; & video Patrum quam plurimos, nominatim Clementem Alexandrinum, Tertullianum, Cyprianum, Chrysostomum, Hieronymum hac præ ceteris ſimilitudine uti ad eam qualemcunque ſævitiam excuſandam. Unum Cyprianum audiamus, qui *Libro de Lapſis*, ubi ſane vehemens eſt, ita admonet: „Qui peccantem blandimentis adulantibus „palpat, peccandi fomitem ſubminiſtrat, nec com„primit delicta illa, ſed nutrit. At qui conſiliis „fortioribus redarguit, ſimul atque inſtruit fra„trem, promovet ad ſalutem. *Quos diligo*, in„quit Dominus, *redarguo, & caſtigo*. Sic oportet „& Dei Sacerdotem non obſequiis decipientibus „fallere, ſed remediis ſalutaribus providere. Im„peritus eſt medicus, qui tumentes vulnerum ſi„nus manu parcente contrectat, & in altis receſſi„bus viſcerum virus incluſum dum ſervat, exagge„rat. Aperiendum vulnus eſt, & ſecandum, & „putaminibus amputatis medela fortiore curandum. „Vociferetur, & clamet licet, & conqueratur æger „impatiens per dolorem. Gratias aget poſtmo-

 „dum

„dum, cum ſenſerit ſanitatem.„ Vide tamen, quæ Libro præcedenti *cap. ult.* de *moderatione Patrum in reprehendendo dixi.* Sed nec illud gravabor admonere, Patres etſi more oratorum quædam exaggerent, cavere tamen Hyperbolas audaciores, & nimias, diſerteque eorum quidam, in paucis eloquens ait * *Vere ſermo eſt umbra rei*, jam æqualis ſcilicet, jam minor, jam major, quæ tamen tantum non detrahit, ut corpus de ſe ſatis vaſtum denique oculos effugiat: ſed neque tantum addit, aut ita producit, ut palum turrim, aut tumulum montem putes.

Porro ex ipſis iis Patribus, qui habentur ceteris vehementiores, exempla quædam repræſento.

Quam ardet illud Tertulliani *Libro de Idololatria. cap.* 6. & 7. ubi in Chriſtianos quosdam ſculptores invehitur, victus cauſa ea fabricantes, quibus Ethnici ad idola abuterentur. Maxime vero vir aliunde fervidus ideo concitatur, quod horum quosdam in Clerum adlectos ſciret.

„Si nulla lex Dei prohibuiſſet idola fieri a no„bis, nulla vox Spiritus ſancti fabricatoribus ido„lorum non minus, quam cultoribus comminare„tur, de ipſo Sacramento noſtro interpretaremur, „nobis adverſas eſſe fidei ejusmodi artes. Quo„modo enim renuntiavimus diabolo, & angelis „ejus, ſi eos facimus? Quod repudium diximus „his, non dico, cum quibus, ſed de quibus vivi„mus? Quam diſcordiam ſuſcepimus in eos, qui„bus exhibitionis noſtræ gratia obligati ſumus. „Potes lingua negaſſe, quod manu confiteris? ver„bo deſtruere, quod facto ſtruis? unum Deum „prædicare, qui tantos efficis? verum Deum præ„dica-

* *Oratione de Regno.* Recole etiam, quæ in eandem rem ſupra de *Stylo ſublimi* diximus.

„dicare, qui falſos facis? Facio, ait quidam, ſed „non colo. Quaſi ob aliam cauſam colere non au„deat, niſi ob quam & facere non debeat, ſcilicet „ob Dei offenſam utrobique. Imo tu colis, qui „facis, ut coli poſſint. Colis autem non ſpiritu „viliſſimi nidoris alicujus, ſed tuo proprio, nec „anima pecudis impenſa, ſed anima tua. Illis in„genium tuum immolas, illis ſudorem tuum li„bas, illis prudentiam tuam accendis. Plus es il„lis, quam Sacerdos, cum per te habeant Sacer„dotem. Diligentia tua numen illorum eſt. Ne„gas, te, quod facis, colere? ſed illi non negant, „quibus hanc ſaginatiorem, & auratiorem, & ma„jorem hoſtiam cædis *, ſalutem tuam. Tota die „ad hanc partem zelus fidei perorabit, ingemens, „Chriſtianum ab idolis in Eccleſiam venire, de ad„verſaria officina in domum Dei venire, attollere „ad Deum patrem manus matres idolorum, his „manibus adorare, quæ foris adverſus Deum ado„rantur: eas manus admovere corpori Domini; „quæ dæmoniis corpora conferunt. Nec hoc ſuf„ficit; parum ſit, ſi id ab aliis manibus accipiant; „quod contaminant, ſed etiam ipſæ tradunt aliis; „quod contaminaverunt. Adleguntur in Ordinem „Eccleſiaſticum artifices idolorum. Pro ſcelus! „ſemel Judæi Chriſto manus intulerunt, iſti quo„tidie corpus ejus laceſſunt. O manus præciden„dæ! Viderint jam, an per ſimilitudinem dictum „ſit: *Si te manus tua ſcandalizat, amputa eam.* Quæ „magis amputandæ, quam in quibus Domini cor„pus ſcandalizatur?„

S. Cyprianus *Libro de diſciplina, & habitu Virginum ad finem* acerrime invehitur in ſacras Deo Virgi-

* *Auratiorem* dicit, quia quorumdam animalium cornua, antequam cæderentur, deaurari ſolebant.

Virgines, quæ nuptiis intereſſe, & promiſcua balnea adire non horrebant:

„Nec illa prætereo, quæ dum negligentia in „uſum veniunt, contra pudicos & ſobrios mores „licentiam ſibi de uſurpatione fecerunt. Quaſdam „non pudet nubentibus intereſſe, & in illa laſci„vientium libertate ſermonum colloquia inceſta „miſcere: audire, quod non decet, quod non li„cet, dicere: obſervare, & eſſe præſentes inter ver„ba turpia, & temulenta convivia, quibus libidi„num ſomes accenditur, ſponſa ad patientiam „ſtupri, ad audaciam ſponſus animatur. Quis illi „in nuptiis locus eſt, cui animus ad nuptias non „eſt? aut voluptaria illic, & læta eſſe quæ poſ„ſunt, ubi & ſtudia, & vota diverſa ſunt? Quid il„lic diſcitur, quid videtur? quando a propoſito „ſuo virgo deficit, quando, pudica quæ venerat, „impudica diſcedit? Corpore licet virgo, ac men„te permaneat, oculis, auribus, lingua minuit illa, „quæ habebat. Quid vero, quæ promiſcuas bal„neas adeunt, quæ oculis ad libidinem curioſis pu„dori ac pudicitiæ corpora dicata proſtituunt, quæ „cum viros, atque nudæ vident turpiter ac vi„dentur, nonne ipſæ illecebram vitiis præſtant? „nonne ad corruptelam, & injuriam ſuam deſi„deria præſentium ſollicitant, & invitant? Vide„rit, inquis, qua illuc mente quis veniat: mihi „tantum reficiendi corpuſculi cura eſt, & lavandi. „Non te purgat iſta defenſio, nec laſciviæ & pe„tulantiæ crimen excuſat. Sordidat lavatio iſta, „non abluit, nec emundat membra, ſed maculat. „Impudice tu neminem conſpicis? Sed ipſa conſpi„ceris impudice. Oculos tuos turpi oblectatione non „polluis? Sed dum oblectas alios, ipſa pollueris. Spe„ctaculum de lavacro facis. Theatro ſunt fœdiora, quo „convenis. Verecundia illic omnis exuitur, ſimul „cum amictu veſtis honor corporis, ac pudor po-

nitur,

„nitur, denotanda, & contrectanda virginitas re-
„velatur. Jam nunc conſidera, an cum veſtita eſt,
„verecunda ſit inter viros virginitas talis, cui ad
„inverecundiam proficit audacia nuditatis. Sic er-
„go frequenter Eccleſia virgines ſuas plangit, ſic
„ad infames earum, ac deteſtabiles fabulas inge-
„miſcit, ſic flos Virginum extinguitur, honor con-
„tinentiæ, ac pudor cæditur, gloria omnis, ac
„dignitas profanatur. Sic ſe expugnator inimicus
„per artes ſuas inſerit, ſic inſidiis per occulta fal-
„lentibus diabolus obrepit, ſic dum ornari cultius,
„dum liberius evagari virgines volunt, eſſe virgi-
„nes deſinunt, furtivo dedecore corruptæ, viduæ,
„antequam nuptæ, non mariti, ſed Chriſti adul-
„teræ, quam fuerant præmiis ingentibus virgines
„deſtinatæ, tam magna ſupplicia pro amiſſa virgi-
„nitate ſenſuræ. „

Lactantius *Libro V. Inſtitut. divinar. cap.* 11. & 12. hunc in modum contra crudelitatem gentilium inſurgit:

„Nam quis Caucaſus, quæ India, quæ Hircania
„tam immanes, tam ſanguinarias unquam beſtias
„aluit? quoniam ferarum omnium rabies usque ad
„ventris ſatietatem furit, fameque ſedata protinus
„conquieſcit. Illa eſt vera beſtia, cujus unius juſ-
„ſione funditur ater ubique cruor, crudelis ubique
„luctus, ubique pavor, & plurima mortis imago.
„Nemo hujus tantæ belluæ immanitatem poteſt pro
„merito deſcribere, quæ uno loco recubans, ta-
„men per totum orbem dentibus ferreis ſævit, &
„non tantum artus hominum diſſipat, ſed & oſſa
„ipſa comminuit, & in cineres furit, ne quis extet
„ſepulturæ locus; quaſi vero id affectent, qui Deum
„confitentur, ut ad eorum ſepulchra veniatur, ac
„non ut ipſi ad Deum perveniant. Quænam illa
„feritas, quæ rabies, quæ inſania eſt, lucem vivis,
„terram mortuis denegaſſe? Dico igitur nihil miſe-
„rius

„rius eſſe iis hominibus, quos miniſtros furoris „alieni, quos ſatellites impiæ juſſionis neceſſitas aut „invenit, aut fecit. Non enim honor ille, aut pro„vectio dignitatis fuit, ſed hominis damnatio ad „carnificinam, Dei vero ad pœnam ſempiternam. „Quæ autem per totum orbem ſinguli geſſerint, „enarrare impoſſibile eſt. Quis enim voluminum „numerus capiet tam infinita, tam varia genera cru„delitatis? accepta enim poteſtate pro ſuis moribus „quisque ſævivit. Alii præ nimia timiditate plus „auſi ſunt, quam jubebatur: alii pro ſuo proprio „adverſus juſtos odio: quidam naturali mentis feri„tate, nonnulli, ut placerent, & hoc officio viam „ſibi ad altiora munirent: aliqui ad occidendum „præcipites extiterunt, ſicut unus in Phrygia, qui „univerſum populum cum ipſo pariter conventiculo „concremavit. Sed hic quanto ſævior, tanto cle„mentior invenitur: illud vero peſſimum genus „eſt, cui clementiæ ſpecies falſa blanditur, ille „gravior, ille ſævior eſt carnifex, qui neminem „ſtatuit occidere. Itaque dici non poteſt, hujus„modi Judices quanta, & quam gravia tormento„rum genera excogitaverint, ut ad effectum pro„poſiti ſui pervenirent. Hæc autem non tantum ideo „faciunt, ut gloriari poſſint, nullum ſe innocen„tium peremiſſe (nam & ipſe audivi aliquos glorian„tes, quia adminiſtratio ſua in hac parte fuerit in„cruenta) ſed & invidiæ cauſa, ne aut ipſi vincan„tur, aut illi virtutis ſuæ gloriám conſequantur. „Itaque in excogitandis pœnarum generibus nihil „aliud, quam victoriam excogitant. Sciunt enim „certamen eſſe illud, & pugnam. Vidi ego in Bi„thynia Præſidem gaudio mirabiliter elatum, tan„quam barbarorum gentem aliquam ſubegiſſet, „quod unus, qui per biennium magna virtute reſti„terat, poſtremo cedere viſus eſt. Contendunt „igitur, ut vincant, & exquiſitos dolores corpori-

„bus

„bus immittunt, & nihil aliud devitant, quam ut „ne torti moriantur. Quaſi vero mors tantummo-„do beatos faciat, ac non etiam tormenta, quæ „quanto fuerint graviora, tanto majorem virtutis „gloriam pariunt. Illi autem pertinaci ſtultitia ju-„bent curam tortis diligenter adhiberi, ut ad alios „cruciatus membra renoventur, & reparetur novus „ſanguis ad pœnam. Quid tam pium, tam bene-„ficum, tam humanum fieri poteſt? Non curaſſent „tam ſolicite, quos amarent. Hæc eſt Deorum di-„ſciplina, ad hæc opera cultores ſuos erudiunt, „hæc ſacra deſiderant. Quin etiam ſceleratiſſimi „homicidæ contra pios jura impia condiderunt; „nam & conſtitutiones ſacrilegæ, & diſputationes „Juriſperitorum leguntur injuſtæ. Domitius de „officio Proconſulis libro ſeptimo reſcripta princi-„pum nefaria collegit, ut doceret, quibus pœnis „affici oporteret eos, qui ſe cultores Dei confite-„rentur. Quid iis facias, qui jus vocant carnifici-„nas veterum Tyrannorum adverſus innocentes ra-„bide ſævientium: & cum ſint injuſtitiæ, crudeli-„tatisque doctores, juſtos ſe eſſe tamen, ac pruden-„tes videri volunt, cœci & hebetes, & rerum, & „veritatis ignari. Adeone vobis, o perditæ mentes, „inviſa juſtitia eſt, ut eam ſummis ſceleribus ad-„æquetis? Adeone apud vos perit innocentia, ut „ne morte quidem ſimplici dignam judicetis, ſed „ſuper omnia facinora habentur nullum facinus „admittere, pectusque purum ab omni ſceleris con-„tagione præſtare? Et quoniam communiter cum „Deorum cultoribus loquimur, liceat per vos be-„nefacere vobiſcum. Hæc eſt enim lex noſtra, „hoc opus, hæc Religio. Si vobis ſapientes vi-„demur, imitamini: ſi ſtulti, contemnite, aut „etiam ridete, ſi libet; nobis enim ſtultitia noſtra „prodeſt; quid laceratis, quid affligitis? Non in-„videmus ſapientiæ veſtræ: hanc ſtultitiam malu-

„mus,

„mus, hanc ampleĉtimur: hoc nobis credimus ex-
„pedire, ut vos diligamus, & in vos ipſos, qui
„odiſtis, omnia conferamus.„

S. CHRYSOSTOMUS, qui parem vehementia inter græcos non habet *homilia* II. *in ad Romanos* nobiles, tenui, orum oppreſſoresquam valide ſtringit, premit, atque elidit!

„An non cædes eſt, quæſo te, imo cæde pe-
„jus, pauperem fami tradere, & in carcerem tru-
„dere, & cum fame tormentis, & mille cruciati-
„bus tradere? licet enim tu hæc non facias, cum
„faciendi occaſionem præbeas, id plus, quam mi-
„niſtri tui, perpetras. Homicida enim gladium
„infigit, & cum brevi tempore dolorem intulerit,
„non ultra cruciatum adhibet. Tu vero ſycophan-
„tiis, moleſtiis, inſidiis lucem illi in tenebras con-
„vertens, id efficis, ut ſexcenties mori mallet.
„Cogita quot mortes pro una perpetres; quodque
„omnium graviſſimum eſt, abripis divitias, acqui-
„ris, non paupertate preſſus, non fame cogente,
„ſed ut equi frænum, domus teĉtum, & colum-
„narum capitella multo auro oblinantur. Equa
„gehenna hæc digna non fuerint; quando fra-
„trem, & eum, qui arcanis bonis tecum particeps
„eſt, qui a Domino honoratus eſt, in mille ca-
„lamitates conjicis, & pavimentum domus, &
„lapides, nec non brutorum animalium, quæ hoc
„non ſentiunt, corpora ornes? Canis tibi multæ
„curæ eſt; homo autem, imo potius Chriſtus ob
„canem, & omnia ſupradiĉta in extremam conji-
„citur famem. Quid hac confuſione deterius?
„quid hac iniquitate gravius? quot ignei fluvii tali
„animæ ſufficiant? Is, qui ad imaginem Dei fa-
„ĉtus eſt, ſtat indecore opertus ob tuam inhuma-
„nitatem: mulorum autem, uxorem tuam geſtan-
„tium, capita, itemque pelles, & ligna, queis te-
„ĉtum illud texitur, multo fulgent auro! ſi ſo-
„lium,

„lium, ſive ſella, ſi ſuppedaneum ornandum, au„ro, & argento omnia decorantur: Chriſti vero „membrum, & is, cujus cauſa de cœlo deſcendit, „& pretioſum ſanguinem effudit, propter avaritiam „tuam ne cibo quidem neceſſario utitur: ſed le„cti undique argento ornati ſunt, ſanctorum vero „corpora neceſſario tegumento carent. Apud te „Chriſtus minori in pretio habetur, quam cetera „omnia, quam domeſtici, quam muli, quam le„ctus, quam ſolium, quam ſuppedaneum. Mitto „cetera his viliora vaſa, & vobis cogitanda relin„quo. Quod ſi horreſcis hæc audiens, abſtine ab „agendo, & quæ dicta ſunt, nihil tibi damni in„ferent. Abſcede, & huic inſaniæ finem imponi„to. Nam inſanum prorſus eſt hujusmodi ſtu„dium. Idcirco his dimiſſis vel ſero tandem in „cœlum reſpiciamus, futuram illam diem in men„tem revocemus, cogitemus tremendum illud tri„bunal, & rationes reddendas, atque incorru„ptum judicium. Conſideremus Deum omnia vi„dentem non e cœlo fulmina mittere, licet hæc „geſta plus, quam fulminibus digna ſint. Atta„men non id ille facit, neque mare in nos immit„tit, neque ut media terra hiſcat, efficit: non ſo„lem extingnit, non cœlum cum ſtellis dejicit, „non omnia demum de medio tollit, ſed in ſuo „ordine relinquit, ut creatura omnis nobis mini„ſtret. Hæc ergo cogitantes benignitatis magnitu„dinem exhorreſcamus, & ad nobilitatem noſtram „redeamus.„

Ejusdem fere eſt generis, quod ſequitur. Cum enim Conſtantinopolim vir ſanctus veniſſet, divitum tantus erat luxus, tanti ſumptus apparatusque menſarum, ut non ſine ſtupore apud eum legantur. Inter alia ergo, quæ totis viribus inſectatur, erat mos damnabilis, atque pudendus, quem & in loco paulo ante dato ſubtiliter tetigit, ut mu-

 lie-

lieres vaſa purgando corpori deſtinata, argentea adhiberent. In hunc ergo *hom.* 7. *in ad Coloſſenſes aperte* jam & citra ullam diſſimulationem ita prorumpit:

„Quid vero mulieres, pudet quidem, ſed ta-
„men neceſſe eſt dicere, matulas facientes argen-
„teas? Oporteret vos pudere, quæ hæc facitis.
„Chriſto eſuriente, tu ita indulges deliciis, imo
„vero deſipis? Quasnam hæ non luent pœnas!
„Deinde rogas, cur latrones, cur parricidæ, cur
„mala, cum diabolus vos ita agitet, ac diſcerpat?
„nam diſcos habere argenteos ne hoc quidem
„animo convenit philoſophico, ſed totum eſt
„plane deliciarum. Immunda autem vaſa facere
„argentea, an aliquid habet deliciarum! non di-
„xerim deliciarum, ſed inſaniæ, imo vero pejus
„inſania. Scio multos me propter hoc habere lu-
„dibrio; ſed non curo, modo aliquid proſim.
„Revera amentes, & furentes faciunt divitiæ. Si
„panes ipſos eſſet, vellent & terram eſſe auream,
„& parietes aureos, fortaſſe & cœlum & aerem
„ex auro. Quis furor! quæ iniquitas! quæ fe-
„bris! alius perit frigore, qui eſt factus ad Dei
„imaginem, tu autem hæc fabricaris? O faſtum &
„arrogantiam! Quid amplius feciſſet inſanus? Ex-
„crementa tanti facis, ut ea argento excipias? Scio vos
„audientes obtorpeſcere, ſed obtorpeſcere debent, quæ
„hæc faciunt, & viri, qui morbis hujusmodi deſervi-
„unt. Eſt enim hæc intemperantia, & crudelitas,
„& inhumanitas, & feritas, & laſcivia. Quæ Scyl-
„la, quæ chimæra, quis draco, vel potius quis
„dæmon, quis diabolus hoc fecerit? Quid prodeſt
„fides, cum toleratur (talis) aliquis ex gentibus,
„imo vero non ex gentibus, ſed ex dæmonibus?
„Si caput non eſt ornandum auro, & margaritis,
„qui argento utitur ad tam immundum miniſte-
„rium, quamnam aſſequetur veniam?„

„Et

„Et alii quibusdam interjectis: Ecce prædico, non „amplius ſuadeo, ſed impero,& denuntio; audiat qui „velit, qui non vult autem, non pareat: Quod ſi „pergatis hæc facere, non tolerabo, neque vos ex„cipiam, neque ſinam, ut hæc limina tranſeatis. „Quid enim mihi opus eſt ægrotantium multitu„dine? quid vero ſi vos erudiens, non prohibeo, „quæ non ſunt ſupervacanea? atqui Paulus pro„hibuit aurum, & margaritas. Ridemur a græcis, „res noſtræ videntur eſſe fabulæ. Et viris hoc ſua„deo. Accedis ad ludum literarium, philoſophiam „diſcens ſpiritualem! aufer illum faſtum. Hoc „& viris ſuadeo, & fœminis. Duodecim erant „diſcipuli, & audi quid Chriſtus eis dicat: *Num* „*& vos vultis abire*? nam ſi ſemper adulemur, „quando vos recreabimus? quando proficiemus. „At ſunt, inquit, aliæ hæreſes, & transmutantur „(deſerendo Eccleſiam). Frigida eſt hæc oratio; „melior eſt unus faciens voluntatem Domini, quam „mille iniqui. Nam tu quoque, dic mihi, utrum „malis, millene habere ſervos fugitivos, & fures, „an unum benevolum? Ecce ſuadeo, & jubeo, „ut & faciei ornamentum, & ejusmodi vaſa con„teras, & des pauperibus, & ne ſic inſanias. Qui „vult, reſiliat, qui vult, accuſet, & reprehendat; „nullum patior. Quando ſum judicandus, ſtans „ante tribunal Chriſti, procul vos ſtatis, & gra„tia veſtra in nihilum cedit, me reddente ratio„nem. Hæc verba omnia corrumpunt: *Ne diſce*„*dat*, inquit, *& ad aliam hæreſim deficiat. Eſt im*„*becillus, te demitte, & te ei aliquantiſper accomo*„*da.* Quouſque? ſemel, & bis, & ter, non per„petuo. Ecce rurſus denuntio, & cum beato „Paulo proteſtor, quod ſi rurſus venero, non par„cam. Quando autem vos recte geſſeritis, tunc „ſcietis, quantum lucrum, quanta ſit utilitas. Certe „rogo, & obſecro, neque genua quidem veſtra „dubi-

„dubitem apprehendere, & pro eo ſupplicare. Quæ „eſt hæc mollities, quæ deliciæ, quæ contumelia? „Contumelia enim eſt, non deliciæ. Quæ amentia, „quæ inſania! tot pauperes circumſiſtunt eccleſiam, „& tam multos filios habens Eccleſia tam divites „nulli pauperi poteſt opem ferre; ſed alius qui„dem eſurit, alius vero eſt ebrius: alius in argento „egerit, alius ne panem quidem habet, quo ve„ſcatur! quænam eſt hæc inſania, quænam tanta „feritas! abſit, ut ſit nobis faciendum periculum „ulciſcendi eos, qui non obediunt, ita ut indig„natione moti illos plectamus: ſed lubentes, & pa„tientes illi hæc omnia obeant, ut in gloriam Dei „vivamus, & a ſupplicio, quod illic eſt, liberemur, „& bona aſſequamur promiſſa iis, qui ipſum dili„gunt, gratia, & benignitate Domini noſtri &c.„

Ipſe ſtylus quam maxime abruptus, conciſus, extemporalis indicant, quo ardore, qua vehementia hæc pronuntiata ſint.

Idem S. Doctor homilia illa recens edita *Tomo* 6. *Montfauc. pag.* 272. acerrime increpat eos, qui in hebdomada ſancta relicto templo ad Circenſes, & Theatra cucurrerant.

S. Hieronymus, cujus eſt nota vis, ac vehementia in dicendo, *Epiſtola* (ſeu potius Invectiva) 48. *nunc* 147. *ad Sabinianum Diaconum* quo impetu fertur, quibus lacertis, quo ardore infamem Clericum invadit, qui Virginem ſacram ex Monaſterio Bethlehemitico ad ſtuprum, & fugam ſolicitaverat! Inter alia hæc habet:

„Parce, quæſo, animæ tuæ! crede, Dei filium „futurum eſſe judicem! recordare a quo Epiſcopo „Diaconus ordinatus ſis! nec mirum, quamvis ſan„ctum hominem, tamen in homine deligendo po„tuiſſe falli, cum & Deum pæniteat, quod Saul „in Regem unxerit, & in duodecim Apoſtolis Ju„das ſit proditor repertus, & de quondam ordi-

„nis

„nis tui hominibus Nicolaus Antiochenus immun-
„ditiarum omnium, & Nicolaitarum hæreſeos au-
„ctor extitiſſe referatur. Non tibi illa nunc re-
„plico, quod plures Virgines ſtupraſſe narreris,
„quod a te nobilium violata matrimonia publico
„cæſa ſint gladio; quod per lupanaria impurus,
„& helluo cucurriſti. Magna quidem iſta ſunt
„pondere ſuo, ſed fiunt eorum, quæ illaturus ſum,
„comparatione leviora. Rogo quantum crimen
„eſt, ubi ſtuprum, & adulterium parum eſt? In-
„feliciſſime mortalium! tu ſpeluncam illam, in
„qua Dei Filius natus eſt, & veritas de terra orta
„eſt, & terra dedit fructum ſuum de ſtupro con-
„dicturus ingrederis? Non times, ne de præſepi
„infans vagiat, ne Puerpera Virgo te videat, ne Ma-
„ter Domini contempletur? Angeli clamant, pa-
„ſtores currunt, ſtella deſuper rutilat, Magi ado-
„rant, Herodes tenetur, Hieroſolyma conturbatur,
„& tu cubiculum virginis decepturus virginem
„irrepis? Paveo miſer, & tam mente quam cor-
„pore perhorreſco, ponere tibi volens ante oculos
„tuos opus tuum. Tota Eccleſia nocturnis vigiliis
„Chriſtum Dominum perſonabat, & in diverſa-
„rum gentium linguis unus in laudibus Dei ſpi-
„ritus concinebat: tu inter oſtia quondam præſe-
„pis Domini, nunc altaris amatorias epiſtolas ful-
„ciebas, quas poſtea illa miſerabilis, quaſi flexo ad-
„oratura genu inveniret, & legeret. Et ſtabas
„deinceps in choro pſallentium & impudicis nuti-
„bus loquebaris. Pro nefas! non poſſum ultra
„progredi; prorumpunt lacrimæ ante, quam ver-
„ba, & indignatione pariter, ac dolore in ipſo
„meatu faucium ſpiritus coarctatur. Ubi mare il-
„lud eloquentiæ Tullianæ? Ubi torrens fluvius De-
„moſthenis? nunc profecto muti eſſetis ambo, &
„veſtra lingua torpeſceret. Inventa eſt res, quam
„nulla eloquentia explicare queat: repertum eſt

 „faci-

„facinus, quod nec Mimus fingere, nec ſcurra ludere, nec Atellanus poſſit effari . . . . Futuro matrimonio in ſpelunca illa venerabili quaſi quosdam obſides accipis capillos, ſudariola infelicis, & cingulum, dotale pignus, deportas, jurans ei, te nullam ſimiliter amaturum. Deinde curris ad Paſtorum locum, & Angelorum deſuper ſtrepitu concinente, in eadem verba teſtaris. Nihil dico amplius, quod in oſcula rueris, quod amplexatus ſis. Totum quidem de te credi poteſt, ſed veneratio præſepis, & campi non me ſinunt plus credere, quam te voluntate tantum, & animo corruiſſe. Miſer! nonne quando in ſpelunca cum virgine ſtare cœpiſti, caligaverunt oculi tui, lingua torpuit, conciderunt brachia, pectus intremuit, nutavit inceſſus? Poſt Apoſtoli Petri baſilicam, in qua Chriſti flammeo conſecrata eſt, poſt Crucis, & Reſurrectionis & Aſcenſionis Dominicæ ſacramenta, in quibus rurſum ſe in monaſterio victuram ſpoponderat, audes crinem accipere tecum noctibus dormituræ, quem Chriſto meſſuerat in ſpelunca? Deinde a veſpere uſque mane feneſtræ illius aſſides, & quia propter altitudinem hærere vobis cominus non licebat, per funiculum vel accipis aliquid, vel remittis? Vide quanta diligentia Domini fuerit, ut nunquam domi virginem, niſi in Eccleſia videris, & cum talem uterque veſtrum habuerit voluntatem, niſi per feneſtram, nocte facultas vobis non fuerit colloquendi? Oriebatur tibi, ut poſtea didici, ſol invito, exanguis, marcidus, pallidus, ut ſuſpicione omni careres, Evangelium Chriſti, quaſi Diaconus lectitabus. Nos pallorem jejunii putabamus. Exangue os contra inſtitutum, ac morem tuum quaſi confectum vigiliis mirabamur. Jam tibi & ſcalæ, per quas deponeres miſeram, parabantur, jam iter diſpoſitum, decreta navigia, condicta

„dies,

„dies, fuga animo pertractata: & ecce Angelus „ille cubiculi Mariæ janitor, cunarum Domini cu„ſtos, & infantis Chriſti gerulus, coram quo tanta „faciebas, ipſe te prodidit. O funeſtos oculos „meos! o diem illum omni maledictione digniſſi„mum, in quo epiſtolas illas tuas, quas hucuſque „retinemus, conſternata mente legi! quæ ibi tur„pitudines? quæ blanditiæ? quanta de condicto „ſtupro exultatio! Hæccine Diaconum, non dicam „loqui, ſed ſcire potuiſſe? Ubi, miſer, iſta didiciſti, „qui in Eccleſia te nutritum eſſe jactabas? niſi quod „in eisdem epiſtolis juras te nunquam pudicum, „nunquam fuiſſe Diaconum. Si negare volueris, „manus tua te redarguet, ipſi apices proclamabunt. „Habeto igitur interim lucrum ſceleris, non poſ„ſum tibi ingerere, quæ ſcripſiſti. Jaces itaque ad„volutus genibus meis, & miſericordiam, ut tuis „verbis utar, ſanguinis deprecaris. Et o te miſe„rum! neglecto judicio Dei, me tantum, quaſi vin„dicem times. Ignovi, fateor; quid enim aliud „poſſum tibi facere Chriſtianus? Hortatus ſum, ut „ageres pœnitentiam, & in cilicio, & cinere vo„lutareris, ut ſolitudinem peteres, ut viveres in „monaſterio, ut Dei miſericordiam jugibus lacri„mis implorares. At tu bonæ ſpei columen ex„cetræ ſtimulis inflammatus, factus es mihi in ar„cum perverſum, & contra me convitiorum ſagit„tas jacis. Inimicus tibi factus ſum, vera dicens. „Non doleo de maledictis. Quis enim neſciat, ni„hil, niſi flagitioſum, tuo ore laudari. Hoc plango, „quod te ipſe non plangis, quod te non ſentis „mortuum, quod quaſi gladiator paratus Libiti„næ in proprium funus ornaris. Amiciris lin„teis, digitos annulis oneras, dentes pulvere te„ris, raros in rubenti calvaria diggeris capillos, „taurina cervix, toris adipeis intumeſcens, nec „quia propter libidinem fracta eſt, inclinatur. Su-

„per hæc unguenta fragras, mutas balneas, & con-„tra renaſcentes capillos pugnas, per forum, ac „plateas nitidus, ac politus amator incedis. Fa-„cies meretricis facta eſt tibi, neſcis erubeſcere. „Convertere miſer ad Dominum, ut ad te Domi-„nus convertatur. Age pœnitentiam, ut & ille „agat pœnitentiam ſuper omnibus, quæ locutus „eſt, malis, ut faceret tibi. Quid neglecto vul-„nere proprio, alios niteris infamare? quid me „bene tibi & ſedulo conſulentem, quaſi phreneti-„cus, morſu laceras? Eſto, ego flagitioſus ſim, ut „vulgo jactitas: ſaltem mecum age pœnitentiam; „criminoſus, ut infimulas; imitare lacrimas cri-„minoſi. Num mea peccata virtutes tuæ ſunt? „An malorum tuorum putas ſolatium, ſi multos „tui ſimiles habeas? Fluant paululum de oculis la-„crimæ, inter ſericum, & linteamina, quibus tibi „videris fulgidus, & formoſus. Intellige te nu-„dum, conſciſſum, ſordidatum, mendicantem. „Nunquam eſt ſera pœnitentia. Quamvis de Hi-„eroſolymis deſcenderis, & ſis in itinere vulnera-„tus, inde te Samaritanus impoſitum jumento, „curandumque ad ſtabulum referet.„

SALVIANUS omnium vehementiſſimus vires, ner-voſque omnes paſſim colligit, atque inſtar arcus tenſi ſummo impetu jacit ſententias. Audiamus, quem ad modum Afrorum ſua ætate perditiſſimos, & inquinatiſſimos mores execretur *Libro VI. de gubernat. circa medium:*

„Quid enim piaculorum eſt non illic ſemper „admiſſum? Nec de omnibus dico, quia & enor-„mia fere ſunt, & ſciri, ac dici tanta non poſſunt. „De ſola vel maxime obſcœnitate impuritatum lo-„quor, & quod eſt gravius, ſacrilegiorum. Præter-„mitto in aliquo rabiem cupiditatis, vitium totius „generis humani. Prætereo avaritiæ inhumanita-„tem, quod proprium eſt Romanorum pœne om-

„nium

„nium malum. Relinquatur ebrietas, nobilibus, „ignobilibusque communis. Taceatur ſuperbia, & „tumor. Tam peculiare hoc divitum regnum eſt, „ut aliquid forſitan de jure ſuo ſe putent perdere, ſi „hinc ſibi alius quidquam voluerit vindicare. Tran- „ſeatur denique omne faudum, falſitatum, perju- „riorum nefas. Nulla unquam his malis romana „civitas caruit, etſi ſpecialius hoc ſcelus afrorum „omnium fuit. Nam ſicut in ſentinam profundæ „navis colluviones omnium ſordium, ſic in mores „eorum, quaſi ex omni mundo, vitia fluxerunt. „Nullam enim improbitatem ſcio, quæ illic non „redundaverit, cum utique etiam paganæ, ac feræ „gentes, etſi habeant ſpecialiter mala propria, non „ſint tamen in his omnia execratione digna. Go- „thorum gens perfida, ſed pudica eſt: Alanorum „impudica, ſed minus perfida: Franci mendaces, „ſed hoſpitales: Saxones crudelitate efferi, ſed ca- „ſtitate mirandi. Omnes denique gentes habent „ſicut peculiaria mala, ita etiam quædam bona. In „Afris pene omnibus neſcio, quid non malum. Si ac- „cuſanda eſt inhumanitas, inhumani ſunt: ſi ebrie- „tas, ebrioſi: ſi falſitas, fallaciſſimi: ſi dolus frau- „dulentiſſimi: ſi cupiditas, cupidiſſimi: ſi perfidia, „perfidiſſimi. Impuritas eorum, atque blaſphemia „his omnibus admiſcenda non ſunt, quia illis, quæ „ſupra diximus, malis aliarum gentium vitia, his au- „tem etiam ſua ipſa vicerunt. Ac primum ut de im- „puritate dicamus, quis neſcit Africam totam ob- „ſcœnis libidinum tædis ſemper arſiſſe, non ut ter- „ram, ac ſedem hominum, ſed ut Ætnam putes „impudicarum fuiſſe flammarum. Nam ſicut Æt- „na inteſtinis quibuſdam naturæ ferventis ardoribus, „ſic illa abominandis jugiter fornicationum igni- „bus æſtuavit. Nec volo hac in re aſſertionibus „meis credi, teſtimonium requiratur generis hu- „mani. Quis non omnes omnino Afros generaliter

Digitized by Google

„ſciat impudicos, niſi ad Deum forte converſos, id „eſt, fide ac religione mutatos? Sed hoc tam ra„rum eſt, & novum, quam rarum videri poteſt, „quemlibet Gajum non eſſe Gaium, aut quemcun„que Sejum non eſſe Sejum. Tam infrequens enim „eſt hoc, & inuſitatum, impudicum non eſſe Af„rum, quam novum & inauditum Afrum non eſſe „Afrum. Ita enim generale in eis malum impuri„tatis eſt, ut quicunque ex eis impudicus eſſe deſie„rit, Afer non eſſe videatur. Nec diſcurram per „loca ſingula, aut cunctas diſcutiam civitates, ne „ſtudioſe videar quærere, atque inveſtigare, quæ „dicam. Una tantum univerſarum illic urbium „principe, & quaſi matre contentus ſum, illa ſcili„cet romanis arcibus ſemper æmula, armis quon„dam, & fortitudine, poſt ſplendore, & digni„tate. Carthaginem dico, & urbi romanæ maxi„me adverſariam, & in Africano orbe quaſi Romam; „quæ mihi ideo in exemplum ac teſtimonium ſola „ſufficit, quia univerſa penitus, quibus in toto „mundo diſciplina reipublicæ vel procuratur, vel „regitur, in ſe habuit. Illic enim omnia officiorum „publicorum inſtrumenta, illic artium liberalium „ſcholæ, illic Philoſophorum officinæ, cuncta de„nique vel linguarum gymnaſia, vel morum: illic „quoque etiam copiæ militares, & regentes mili„tiam poteſtates: illic honor Proconſularis: illic „quotidianus Judex, & Rector, quantum ad no„men quidem Proconſul, ſed quantum ad poten„tiam Conſul: illic denique omnes rerum diſpenſa„tores, & differentes inter ſe tam gradu, quam „vocabulo dignitates, omnium, ut dicam, platea„rum, & compitorum procuratores, cuncta ferme „& loca urbis, & membra populi gubernantes. „Hac ergo tantum contenti ſumus ad exemplum, „ac teſtimonium ceterarum, ut intelligamus ſcili„cet, quales illæ fuerint civitates, quæ minores

„habue-

„habuerunt probi officii procurationes, cum vide-
„rimus, qualis extiterit, ubi ſummi ſemper fuere
„Rectores. Quo loco prope eſt, ut pœniteat me
„promiſſionis meæ, id eſt, quod ſuperius ſpopon-
„di; cunctis prope Afrorum criminibus prætermiſſis
„de impuritatibus præcipue, ac blaſphemiis eorum
„eſſe dicturum. Video enim quaſi ſcaturientem vi-
„tiis civitatem, video urbem omnium iniquitatum
„genere ferventem, plenam quidem turbis, ſed
„magis turpitudinibus, plenam divitiis, ſed magis
„vitiis, vincentes ſe invicem homines nequitia flagi-
„tiorum ſuorum: alios rapacitate, alios impuritate
„certantes, alios vino languidos, alios cruditate di-
„ſtentos, hos ſertis redimitos, illos unguentis ob-
„litos, cunctos vario luxus marcore perditos,* ſed
„pene omnes una errorum morte proſtratos: non
„omnes quidem vinolentia temulentos, ſed omnes
„tamen peccatis ebrios. Populos putares non ſani
„ſtatus; non ſui ſenſus, non animo incolumes,
„non gradu, quaſi in morem Baccharum crapulæ ca-
„tervatim inſervientes. Jam vero illud cujuſmodi,
„aut quam grave, genere quidem diſpar, ſed ini-
„quitate non diſpar, niſi hoc diſpar, forte quia ma-
„jus. Proſcriptiones dico orphanorum, viduarum
„afflictiones, pauperum cruces, qui ingemiſcentes
„quotidie ad Deum, ac finem malorum imprecan-
„tes, & quod graviſſimum eſt, interdum vi nimiæ
„amaritudinis etiam adventum hoſtium poſtulantes,
„aliquando a Deo impetraverunt, ut everſionem
„tandem a barbaris in commune tolerarent, quam
„ſoli a Romanis ante toleraverant. Sed eſto, hæc
„omnia prætermittantur, quia & in omni ferme
„aguntur orbe Romano: & ſpopondi me de his ma-
„lis

---

* Depravatus eſt locus, qui ſequitur: ego legerem *mole proſtratos;* verum neque *το errorum* huc videtur pertinere poſſe.

„lis hoc loco pauca dicturum. Quid ergo impudi-
„citia, atque impuritas, de qua loquor, nunquid
„non ad everſionem Afrorum ſola ſuffecerat? Quæ
„enim fuit pars civitatis non plena ſordibus? quæ
„intra urbem platea, aut ſemita non lupanar? Adeo
„omnia pene compita, omnes vias aut quaſi foveæ
„libidinum interciderant, aut quaſi retia prætexe-
„bant; ut etiam qui ab hac re penitus abhorrerent,
„tamen vitare vix poſſent. Latronum quodammo-
„do excubias videres, commeantium viatorum ſpo-
„lia captantes, qui inſidiarum frequentium denſita-
„te ita omnes admodum calles, omnes anfractus ac
„diverticula ſepſiſſent, ut nullus ferme tam cautus
„eſſet, qui non in aliquos inſidiarum laqueos incur-
„reret, etiam qui ſe de plurimis expediſſet. Fœ-
„tebant, ut ita dixerim, cuncti urbis illius cives
„cœno libidinis, ſpurcum ſibimetipſis mutuo im-
„pudicitiæ nidorem inhalantes. Sed horrori eis ta-
„men horrida iſta non erant, quia idem omnes hor-
„ror infecerat. Unam illic putes fuiſſe libidinum,
„fornicationumque ſentinam, cœnum quaſi ex om-
„ni platearum, & cloacarum labe collectum. Et
„quæ illic ſpes eſſe poterat, ubi præter id, quod in
„Domini templo erat, nihil videre penitus, niſi
„ſordidum, licebat? Quamquam quid dicam in Dei
„templo? hoc quippe totum ad Sacerdotes tantum,
„& Clerum pertinet; quos non diſcutio, quia Do-
„mini mei miniſterio reverentiam ſervo, & quos ita
„ſolos puros fuiſſe arbitror in altario, ſicut pereun-
„tibus Sodomis ſolum Loth fuiſſe legimus in monte.
„Cæterum quantum ad plebem pertinet, quis in illo
„numero tam innumero caſtus fuit? Caſtum dico?
„Quis non fornicarius, non adulter, & hoc ſine
„ceſſatione, ſine termino? Rurſum clamitem ita-
„que neceſſe eſt; quæ ſpes in illo populo eſſe pote-
„rat, ubi cum unus interdum adulter plebem eccle-
„ſiaſticam polluat, ibi inter tot millia, ſi diligen-
„tiſſi-

„tiſſime quæreres, caſtum vel in Eccleſia invenire „vix poſſes. Plus multo dicam. Utinam hæc eſ- „ſent ſola, quæ diximus, & contenta illic virorum „impuritas fuiſſet ſolis ſordidarum mulierum forni- „cationibus inquinari. Illud gravius, & ſceleſtius, „quod illa, de quibus beatus Apoſtolus Paulus cum „ſumma animi lamentatione conqueritur, in Afris „pene omnia fuerunt; ſcilicet *quia maſculi, relicto* „*naturali uſu fœminæ, exarſerunt in deſideriis ſuis in* „*invicem, maſculi in maſculos turpitudinem exercentes,* „*& mercedem, quam oportuit, erroris ſui in ſemetip-* „*ſis recipientes. Et ſicut non probaverunt Deum habe-* „*re in notitia, tradidit illos Deus in reprobum ſenſum,* „*ut faciant, quæ non convenit.* Numquid hoc bea- „tus Apoſtolus de barbaris, ac feris gentibus dixit? „Non utique. Sed de nobis, id eſt ſpecialiter de „Romanis; quos quidem Afri, quia nequaquam „olim vincere imperio, ac ſublimitate valuerunt, „quod potuerunt unum, impuritate vicerunt. Qui- „cunque ergo jure ſe mihi iraſci putat, magis Apo- „ſtolo iraſcatur; ſcilicet, quia, quod dicimus nos, „fuiſſe Afros, hoc ille dixit, Dominos eorum eſſe „Romanos. Sed forte vel id occultum, quod lo- „quimur, erat, aut ſaltem hoc providebant procu- „ratores publicæ paſſim diſciplinæ, ne oculos civi- „tatis ſcelera propalata pollueren? Quod ſi factum „utique fuiſſet, quamvis multi extitiſſent opere ipſo „ſordidi, non omnes tamen fuerant viſu, atque „animo ſordidati, & ſolet res flagitioſa, quando „agitur occulte, fidem facinoris non mereri; ſupra „omnem autem monſtruoſi piaculi execrationem eſt, „ſcelus ſummum admittere, & pudorem ſceleris non „habere. Quid rogo fieri illic prodigioſius potuit? „In urbe Chriſtiana, in urbe Eccleſiaſtica, quam „quondam doctrinis ſuis Apoſtoli inſtituerant, quam „paſſionibus ſuis Martyres coronarant, viri in ſe- „metipſis fœminas profitebantur! & hoc ſine pudo-

„ris

„ris umbraculo, ſine ullo verecundiæ amictu. Ac „ſic, quaſi parum piaculi eſſet, ſi malo illo malo„rum tantum inquinarentur auctores, per publicam „ſceleris profeſſionem fiebat etiam ſcelus integræ ci„vitatis. Videbat quippe hoc univerſa urbs, & pa„tiebatur: videbant judices, & acquieſcebant: po„pulus videbat, & applaudebat. Ac ſic diffuſo per „totam urbem dedecoris, ſceleriſque conſortio, „etſi hoc commune omnibus non faciebat actus, „commune omnibus faciebat aſſenſus. Sed finis „aliquando forſitan mali, aut emendatio aliqua la„bis iſtius fuit? Quis credere, aut etiam audire poſ„ſit, convertiſſe in muliebrem tolerantiam viros non „uſum ſuum, atque naturam, ſed etiam vultum, „inceſſum, habitum, & totum penitus, quidquid aut „in ſexu eſt, aut in uſu viri. Adeo verſa in diver„ſum omnia erant, ut cum viris nihil magis pudori „eſſe oporteat, quam ſi muliebre aliquid in ſe habe„re videantur, illic nihil viris quibusdam turpius „videretur, quam ſi in aliquo viri viderentur. Sed „paucorum hoc, inquis, dedecus fuit, & quod non „a pluribus perpetratum eſt, cunctis nocere non „potuit. Jam quidem ſupra dixi, ſæpiſſime in „Dei populo etiam unius facinus peſtem fuiſſe mul„torum, ſicut ex furto Achan, populus ruit, ſicut „ex zelo Saulis orta eſt peſtilentia, ſicut ex ſancti „David dinumeratione mortalitas. Ita eſt enim Dei „Eccleſia, quaſi oculus. Nam in oculum etiamſi „parva ſordes incidat, totum lumen occœcat: ſic „in eccleſiaſtico corpore etiamſi pauci ſordida fa„ciant, prope totum eccleſiaſtici ſplendoris lumen „obfuſcant. Et ideo Salvator ipſe principalem Ec„cleſiæ partem oculum nominavit, dicens: *Lucer„na corporis tui eſt oculus tuus. Si oculus tuus fue„rit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit: ſi au„tem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum „tenebroſum erit.* Unde & Apoſtolus: *Neſcitis*, in„quit,

„quit, *quia modicum fermentum totam maſſam corrum-„pit?* Quamvis ego illic non modicum de hoc „malo, ſed nimis fuiſſe dicam, non quia molles „plurimi fuerint, ſed quia mollities paucorum la-„bes eſt plurimorum. Nam etſi pauci ſunt, qui „dedecoroſa ſuſtineant, multi ſunt, qui paucorum „ſordibus polluantur. Sicut enim una meretrix „multos fornicatores facit: ſic plurimam populi „partem inquinat paucorum effœminatorum abomi-„nanda permixtio. Et neſcio, qui eorum ante „Deum deteriores ſint, cum æquali in ſcriptis ſa-„cris forte damnentur. *Neque enim molles*, inquit, „*neque maſculorum concubitores regnum Dei poſſidebunt.* „Illud ergo magis ingemiſcendum, atque lugen-„dum eſt, quod tale hoc ſcelus crimen etiam to-„tius reipublicæ videbatur, & univerſa Romani no-„minis dignitas facinoris prodigioſi inurebatur in-„famia. Cum enim muliebrem habitum viri ſu-„merent, & magis, quam mulieres, gradum fran-„gerent, cum indicia ſibi quædam monſtruoſæ im-„puritatis innecterent, & fœmineis tegminum illi-„gamentis capita velarent, atque hoc publice in „civitate Romana, urbe illic ſumma, & celeberri-„ma: quid aliud, quam Romani Imperii dedecus „erat, ut in medio reipublicæ ſinu execrandiſſi-„mum nefas palam liceret admitti? Poteſtas quippe „magna, & potentiſſima, quæ inhibere ſcelus ma-„ximum poteſt, quaſi probat debere fieri, ſi ſciens „patitur perpetrari; in cujus enim manu eſt, ut „prohibeat, jubet agi, ſi non prohibet admitti. „Iterum, quia dolor exigit, ab his, qui iraſcun-„tur, requiro, in quibus hæc barbaris gentibus „aut facta ſint unquam, aut fieri publica impurita-„te licuerit? „

Hæc & ejusmodi plura ſi in Salviano conſi-deerm, libet in illud prorumpere; quod S. Isido-rus Pelus. *L.* 2. *Epiſt.* 146. de Demoſthene pro-nuntia-

nuntiavit: *In gravi, & amarulento, & commoto, ac pugnaci dicendi genere, atque tum quantum ad ſenſus, tum quantum ad dictiones attinet, plurimum ab aliis diſſidenti omnes a tergo relinquit.*

S. BERNARDUS *Epiſt.* 111. ex perſona Heliæ novitii ita reſcripſit parentibus, qui eundem, modis omnibus ad ſæculum revocare laborabant:

„Sola cauſa, qua non liceat obedire parentibus, „Deus eſt. Ipſe enim dicit: *Qui amat patrem, & „matrem plus quam me, non eſt me dignus.* Si me „vere ut boni, ut pii parentes diligitis, ſi veram, „ſi fidelem erga filium pietatem habetis, quid me, „patri omnium Deo placere ſatagentem, inquieta-„tis, & ab ejus ſervitio, cui ſervire regnare eſt, „retrahere attentatis? Vere nunc cognoſco, quia „inimici hominis domeſtici ejus. In hoc vobis obe-„dire non debeo, in hoc vos non agnoſco parentes, „ſed hoſtes. Si diligeretis me, gauderetis utique, „quia vado ad meum, atque veſtrum, imo univer-„ſorum patrem. Alioquin quid mihi & vobis? „Quid a vobis habeo, niſi peccatum, & miſeriam? „Hoc ſolum, quod geſto corruptibile corpus, de „veſtro me habere fateor & agnoſco. Non ſufficit „vobis, quod me in hanc ſæculi miſeriam miſeri „miſerum induxiſtis, quod in peccato veſtro, & „peccatores, & peccatorem genuiſtis, quod in pec-„cato natum de peccato nutriſtis: niſi etiam invi-„dendo mihi miſericordiam, quam conſecutus ſum „ab eo, qui non vult mortem peccatoris, filium „inſuper gehennæ faciatis? O durum patrem! o ſæ-„vam matrem! o parentes crudeles & impios, imo „non parentes, ſed peremptores! quorum dolor „ſalus pignoris, quorum conſolatio mors filii eſt: „qui me malunt perire cum eis, quam regnare ſine „eis: qui me rurſus ad naufragium, unde tandem „nudus evaſi, rurſus ad ignem, unde via ſemiuſtus „exivi, rurſus ad latrones, a quibus ſemivivus reli-

„ctus

„ctus ſum, ſed miſerante Samaritano jam aliquan-„tulum convalui, revocare conantur: & militem „Chriſti, prope jam rapto cœlo, triumphantem „(quod non in me glorior, ſed in eo, qui vicit mun-„dum) ab ipſo jam introitu gloriæ, tanquam ca-„nem ad vomitum, tanquam ſuem ad lutum, ad „ſæculum reducere moliuntur. Mira abuſio! do-„mus ardet, ignis inſtat a tergo, & fugienti prohi-„betur egredi, evadenti ſuadetur regredi. Et hæc „ab his, qui in incendio poſiti ſunt, & obſtinatiſſi-„ma dementia, ac dementiſſima obſtinatione fuge-„re periculum nolunt. Pro furor! Si vos contem-„nitis mortem veſtram, cur etiam appetitis meam? „ſi, inquam, negligitis ſalutem veſtram, quid „juvat etiam perſequi meam? Quare vos non po-„tius ſequimini me fugientem, ut non ardeatis? „an hoc eſt veſtri cruciatus levamen, ſi me etiam „perimatis, & hoc ſolum timetis, ne ſoli pereatis? „ardens ardentibus quod ſolatium præſtare pote-„rit? quæ, inquam, conſolatio damnatis, ſocios „habere ſuæ damnationis? quodve remedium mo-„rientibus, alios videre morientes? Non hoc mi-„hi perſuadet dives ille, qui in tormentis deſpe-„ratus de ſui liberatione rogabat nuntiari fratribus „ſuis, ne & ipſi venirent in locum eundem tor-„mentorum, timens procul dubio ex ſuorum cru-„ciatu angeri ſuum. Quid ergo? ibo, & conſo-„labor lugentem matrem meam mei ad tempus vi-„ſitatione, ut in æternum lugeam & me, & ipſam „ſine conſolatione? ibo, inquam, & ſatisfaciam „patri meo iraſcenti pro mei ad tempus abſentia, „conſolandus & ipſe ad tempus de ejus præſentia, „ut poſtmodum & quiſque pro ſe, & utrique pro „alterutro inconſolabili deſolemur triſtitia? En po-„tius, exemplo Apoſtoli, non acquieſcens carni „& ſanguini vocem audiam Domini jubentis: *Di-„mittite mortuos ſepelire mortuos ſuos*: & cantabo

„cum David: *Renuit conſolari anima mea:* & cum „Hieremia: *Diem hominis non concupivi: Domine tu* „*ſis.* Quid enim? funes ceciderunt mihi in præ„claris, & cœleſtis hæreditas præclara eſt mihi: „& terrena adulatur promiſſio, blanditur conſo„latio carnis? guſtato ſpiritu, neceſſe eſt deſipere „carnem: affectanti cœleſtia terrena non ſapiunt: „æternis inhianti faſtidio ſunt tranſitoria. Deſinite „igitur, parentes mei, deſinite & vos fruſtra plo„rando affligere, & me gratis revocando inquie„tare; ne ſi adjeceritis nuntios ultra mittere pro „me, plus me elongare cogatis. Si autem dimit„titis, Claram Vallem in perpetuum non dimit„tam. Hæc requies mea in ſæculum ſæculi: hic „habitabo; quoniam elegi eam. Ibi pro meis, „atque veſtris peccatis jugiter orabo, ibi precibus „aſſiduis, quod & vos cupitis, impetrabo, ſi po„tero, ut qui ejus amore ab modico tempore „hoc invicem ſeparamur, in alio ſæculo ſimul fe„lici, & inſeparabili ſocietate in ejus amore vi„vamus per omnia ſæcula ſæculorum, amen.

CAPUT IX.

Specimina circa genus dicendi grave.

Gravitas a pondere, quod Sermoni ſolet tribuere, nomen accepit. Affine quidem hoc genus dicendi cum ceteris, quæ hucuſque memoravimus, ſic tamen, uti a ſingulis aliquantum diſtinguntur. Habet enim plus dignitatis, quam ſublimitatis, plus moderationis, quam vehementiæ, & rapiditatis. Itaque ſublimitati cuidam miſcenda eſt, a qua non parum accipit virium; nam & gravia quælibet, quo altiore loco, eo majore impetu cadunt: nimium tamen attolli non debet; ſecus oſtentationis, aut artificii præbebit ſpecimen, quæ ambo, dicere vix poſſum, quam multum demant

maje-

majeſtati. Vehementiam porro & ipſam oportet temperari, quæ ſi continua eſt, & paſſim adhibetur, obſcurat gravitatem. Quare & Senes, & Philoſophi, & viri Principes vel indigniſſimis in rebus veluti inhibent, atque refrænant ardentiorem orationem, maluntque ita dicere, uti ſe deceat, & unde intelligant auditores, eſſe multo plura, atque etiam duriora, quæ profundere nullo negotio poſſent, ſi argumenti tantum, non item & perſonæ ſuæ vellent rationem habere. Ut autem, quod res eſt, fateamur, gravitas in animo eſt ſita, potius quam in ſermone, nec parum opinioni innititur, quam vulgo de virtute, zelo, libertate, temperantia, candore, doctrina dicentis habent: his enim ubi ſententiæ grandes, atque laconicæ, ornatus mediocris, dictionum & figurarum delectus quidam acceſſerit, gravem continuo, dignamque efficient dictionem; videbitur enim in ea imago animi, veluti in ſpeculo relucens; hæc vero adſtantibus impreſſa auget docilitatem mirum in modum, & ſicuti in plauſibile aliquod, dignumve argumentum incidat, momenti ac ponderis quam plurimum habet. Iſtuc expendentibus nobis minime jam obſcurum erit, Patres tantam paſſim in dicendo gravitatem præferre, ut in quibus præſidia ejus non magna tantum, ſed ſumma, ſed cumulatiſſima omnia fuerunt. Vide, quæ *Libro primo*, *Diſſertatione tertia* de auctoritate, & eodem Libro Diſſertatione quinta de *Perſona* Patrum copioſe admodum diſputavi. Nunc vero exemplis ipſis paulo apertius id declarabo.

S. Justinus Martyr *Apologiam* ſuam *primam*, quam pro Chriſtianis ad Imperatores Antoninum Pium ejusque filios adoptivos M. Aurelium, & L. Verum dedit, hiſce verbis auſpiciatur:

„Præſcribit ratio, ut, qui vere pii, & philoſo-„phi ſunt, * verum unice colant, & diligant, re-„cuſantes majorum opiniones ſequi, ſi pravæ ſint. „Neque enim id ſolum ſana ratio præcipit, ut ne „eos ſequamur, qui injuſte quid fecere, aut docu-„ere; ſed omnino vel præ ſua ipſius anima, verita-„tis amatori, quamvis mors intentetur, ſtatuen-„dum, & eligendum eſt, ut æqua dicat, & fa-„ciat. Quod igitur pii, & philoſophi appellami-„ni, & juſtitiæ cuſtodes, ac doctrinæ amatores „ubique auditis, utrum tales ſitis, demonſtrabi-„tur. Neque enim ea mente acceſſimus, ut vobis „hoc ſcripto aſſentaremur, aut ad gratiam allo-„queremur, ſed ut poſtularemus, ut judicium ad „accuratam & diligentem in inquirendo rationem „faciatis, nec anticipata opinione, aut ſuperſtitio-„ſis hominibus placendi ſtudio detenti, aut impetu „a ratione alieno, aut dudum inſidente animis „malo rumore ſententiam in vosmet ipſos feratis. „Sic enim tenemus, nihil nos mali a quoquam „perpeti poſſe, niſi maleficii arguamur, aut im-„probi deprehendamur. Vos autem occidere qui-„dem poteſtis, lædere vero nequaquam. Sed ne „hæc quis alienam a ratione, & temerariam vo-„cem eſſe exiſtimet, oramus, ut quæratur de cri-„minibus, quæ Chriſtianis objiciuntur, ac ſi rem „ita ſe habere pateat, ut quemlibet alium punire „decet, ita puniantur. Sed ſi nihil arguere quis-„quam habeat, ratio vera non præcipit, ut ob ma-„lum rumorem hominibus innocentibus injuriam „faciatis, vel potius vobismet ipſis, qui non judi-„cio, ſed affectu negotia faceſſere in animum in-„ducitis. Atque hanc quidem præclaram eſſe, ſo-„lamque juſtam conditionem ſanus quiſque pronun-„tiabit,

* **Tales enim illi & venditabant ſeſe, & appellari volebant.**

„tiabit, ut inoxiam quidem privati, & inculpatam „vitæ, & doctrinæ ſuæ rationem exhibeant: ſimi„liter autem, & qui præſunt, non vim, & tyran„nidem, ſed pietatem, & philoſophiam ſequentes, „ſententiam dicant. Sic enim & in iis, qui præ„ſunt, & in iis, qui parent, præclare agatur. „Dixit enim alicubi quidam veterum: *Niſi philo„ſophentur, & qui regunt, & qui reguntur, fieri non „poſſit, ut beatæ ſint civitates.* Noſtrum igitur mu„nus eſt, ut vitæ, & doctrinæ noſtræ inſpiciendæ „copiam omnibus faciamus, ne pro iis, qui res „noſtras ſibi videntur ignorare, pœnam eorum, „quæ cæcutientes peccaverint, ipſi debeamus. Ve„ſtrum autem, ut audita, quemadmodum ratio „præſcribit, cauſa boni judices reperiamini. Nihil „enim deinceps excuſationis, re cognita, apud „Deum relinqueretur, ſi æqua non feceritis.„

En quam libere, quam ſincere moneat, ut æqua judicent, neque loquatur aliter, quam ſentiat & cogitet.

Sed longe gravior Cyprianus in celebri *epiſtola* 55. *ad Cornelium,* præcipue ad finem, ubi ita habet:

„An ad hoc, frater chariſſime, deponenda eſt „catholicæ Eccleſiæ dignitas, & plebis intus poſi„tæ fidelis, atque incorrupta majeſtas, & ſacerdo„talis quoque auctoritas, ac poteſtas, ut judicare „velle ſe dicant de Eccleſiæ præpoſito, extra Ec„cleſiam conſtituti? de chriſtiano hæretici? de ſano „ſaucii? de integro vulnerati? de ſtante lapſi? de „judice rei? de ſacerdote ſacrilegi? Quid ſupereſt, „quam ut Eccleſia Capitolio cedat, & recedenti„bus Sacerdotibus, ac Domini altare removenti„bus in Cleri noſtri ſacrum venerandumque con„ſeſſum ſimulacra, atque idola cum aris ſuis tran„ſeant, & Novatiano declamandi adverſum nos, „atque increpandi largior, & plenior materia præ-

„ſtetur, ſi ii, qui ſacrificaverunt, & Chriſtum publice negaverunt, non tantum rogari, & ſine acta pœnitentia admitti, ſed adhuc inſuper cœperint terroris ſui poteſtate dominari? Si pacem poſtulant, arma deponant: ſi ſatisfaciunt, quid morantur? aut ſi comminantur, ſciant, quia a Dei ſacerdotibus non timentur. Neque enim & Antichriſtus, cum venire cœperit, introibit Eccleſiam, quia minatur: aut armis ejus, & violentiæ cedetur, quia reſiſtentes perempturum ſe eſſe profitetur. Armant nos hæretici, dum nos putant ſua comminatione terreri, nec in pace nos dejiciunt, ſed magis erigunt, & accendunt, dum ipſam pacem perſecutione pejorem fratribus faciunt. Et optamus quidem, ne quod loquuntur furore, impleant crimine, ne qui verbis perfidis, & crudelibus peccant, factis quoque delinquant. Oramus, ac deprecamur Deum, quem provocare illi, & exacerbare non deſinunt, ut eorum corda miteſcant, ut furore depoſito ad ſanitatem mentis redeant, ut pectora, operta delictorum tenebris, pœnitentiæ lumen agnoſcant, & magis petant fundi pro ſe preces, atque orationes Antiſtitis, quam ipſi fundant ſanguinem ſacerdotis. Si autem in ſuo furore permanſerint, atque in iſtis inſidiis, ac minis ſuis parricidalibus crudeliter perſeveraverint, nullus Dei ſacerdos ſic infirmus eſt, ſic jacens, & abjectus, ſic imbecillitate humanæ mediocritatis invalidus, qui non contra hoſtes, & impugnatores Dei divinitus erigatur, cujus non humilitas, & infirmitas vigore, & robore Domini protegentis animetur. Noſtra nihil intereſt, aut a quo, aut quando perimamur, mortis, & ſanguinis præmium de Domino recepturi. Illorum flenda, & lamentanda conditio eſt, quos ſic diabolus excæcat, ut æterna gehennæ ſupplica non cogitantes, Antichri-

„tichriſtijam propinquantis adventum conentur „imitari. „

S. Athanasius *verſus finem Apologiæ de fuga ſua*, cum oſtendiſſet exemplo Sanctorum, & ipſius Chriſti Arianorum ſe inſidias, & furorem fugiſſe, ita argumentum concludit:

„Hæc itaque cum ſint Salvatoris præcepta, hu„juſmodique Sanctorum geſta, dicant mihi illi, „quos digne pro factis compellare nequimus, un„denam ipſi didicerint perſecutiones movere. Il„lud ſane nequaquam Sanctis acceptum referent; „reſtat igitur, ut a diabolo illud acceperint, qui „ait: *perſequar, & comprehendam!* fugere ſiquidem „Dominus injunxit, & Sancti ipſi fuga ſe prori„puere: perſequi vero diaboli proprium eſt faci„nus, qui id poſtulat, ut ſibi omnes perſequi li„ceat. Cuinam igitur obſequendum, jam iterum „reſpondeant! Dominine verbis, an vanis ſuis „ſermocinationibus? Quorum vero opera ſunt imi„tanda? Sanctorumne, an eorum, quos illi arbi„trio ſuo cooptarint? Quandoquidem autem ne „illi fortaſſe hoc diſcernere valent, obcæcati quip„pe mente, & conſcientia, ut ait Heſaias, arbi„truntur amarum eſſe dulce, & dulce amarum: „quivis ex nobis Chriſtianus pertranſiens, pudore „illos ſuffundat, magna hæc voce clamans: *Me„lius eſt confidere in Domino, quam illorum ſtultilo„quiis attendere. Domini enim verba vitam æternam „habent; verba autem ab illis prolata doli, & ſan„guinis plena ſunt.* „

De S. Basilio admirabile ſpecimen gravitatis libro ſequenti dabitur, quando *de Narrationibus* agemus.

S. Ambrosius *Epiſtola* 20, *alias* 33, & 14 *ad Sororem* narrat reſponſum quod Cæſaris Miniſtris, atque Tribunis dediſſet, cum Baſilicam ſuam Arianis tradere quamprimum juberetur:

„Reſpondi, ſi a me peteret, quod meum eſſet, „id eſt fundum meum, argentum meum, quid„vis hujusmodi meum, me non refragaturum; „quamquam omnia, quæ mei eſſent, eſſent pau„perum. Verum ea, quæ ſunt divina, imperatoriæ „poteſtati non eſſe ſubjecta. Si patrimonium pe„titur, invadite! ſi corpus, occurram. Vultis in „vincula rapere? vultis in mortem? voluptati eſt „mihi. Non ego vallabor circumfuſione populo„rum, nec altaria terrebo vitam obſecrans, ſed „pro altaribus gratius immolabor.„

Infra autem idem magnanimus Præſul:

„Denique etiam ſpeciali expreſſione Calligonus „præpoſitus cubiculi mandare mihi auſus eſt: *Me „vivo tu contemnis Valentinianum? caput tibi tollo.* „Reſpondi: Deus permitat tibi, ut impleas, quod „minaris. Ego enim patiar, quod Epiſcopi, tu „facies, quod Spadones. Minas tuas non timeo. „Carnem enim occidere potes; animam autem non „potes. Vitam iſtam corporis potes eripere, me„ritum non potes extinguere. Anima namque, „quæ Deo ſubdita eſt, humanæ poteſtati non „eſt ſubjecta. An nocere te putas? imo magnum „mihi commodum præſtas. Vitam adimis tempo„ralem, ut ſuccedat perpetua *.„

Quæ gloria gravitatis, quod pauculis vocibus enſes obtundat, faciatque armatos coram inermibus trepidare! Et Ambrosius quidem vicit, nam quod ipſe ibidem teſtatur, cum Imperatorem Comites obſecrarent, uti prodiret ad Eccleſiam, idque *petitu militum* facere ſe dicerent, reſpondit: *Si vobis juſſerit Ambroſius, vinctumme tradetis.* Certe nec Baſilicam Ambroſius tradidit, neque ad Conſiſtorium in aulam vocatus ad cauſam fidei exami-

* Iſta a verbis. *quod Spadones*, ſola habet editio Romana a Sixto V. curata.

examinandam, comparuit. Imo hoc ipſo facto auctoritatem, quam ante habuerat, ex magna maximam fecit.

Sed nihil ſimile iis, quæ *Epiſtola* 40. *alias* 29. & 17. ad Imperatorem Theodoſium perſcribit:

„Exercitus, inquit, ſemper jugibus fere curis „ſum, Imperator beatiſſime, ſed nunquam tanto „in æſtu fui, quanto nunc, cum video cavendum, „nequid ſit, quod adſcribatur mihi etiam de ſa„crilegii periculo. Itaque peto, ut patienter ſer„monem meum audias. Nam ſi indignus ſum, „qui a te audiar, indignus ſum, qui pro te offe„ram, cui tua vota, cui tuas comittas preces. „Ipſe ergo non audies eum, quem pro te audiri „velis? non audies pro ſe agentem, quem pro aliis „audiſti? nec vereris judicium tuum, ne cum in„dignum putaris, quem audias, indignum feceris, „qui pro te audiatur? Sed neque imperiale eſt, li„bertatem dicendi denegare, neque Sacerdotale, „quod ſentias, non dicere. Nihil enim in vobis „Imperatoribus tam populare, & tam amabile eſt, „quam libertatem etiam in iis diligere, qui obſe„quio militiæ vobis ſubditi ſunt. Siquidem hoc „intereſt inter bonos, & malos principes, quod „boni libertatem amant, ſervitutem improbi. Ni„hil etiam in Sacerdote tam periculoſum apud „Deum, tam turpe apud homines, quam quod „ſentiat, non libere denuntiare. Siquidem Scri„ptum eſt: *Et loquebar in teſtimoniis tuis in con„ſpectu Regum, & non confundebar.* Et alibi: *Fili „hominis! ſpeculatorem te poſui domui Iſraël, in eo, „inquit, ut ſi avertatur juſtus a juſtitiis ſuis, & fe„cerit delictum; quia non diſtinxiſti ei,* hoc eſt, non „dixiſti, quid ſit cavendum: *non retinebitur memo„ria juſtitiæ ejus; & ſanguinem ejus de manu tua ex„quiram. Tu autem ſi diſtinxeris juſto, ut non pec„cet, & ipſe non peccaverit, juſtus vita vivet, quia*

„*diſtinxiſti ei; & tu animam tuam liberabis.* Malo „igitur Imperator, bonorum mihi eſſe tecum, quam „malorum conſortium; et ideo clementiæ tuæ di-„ſplicere debet Sacerdotis ſilentium, libertas pla-„cere. Nam ſilentii mei periculo involveris, liber-„tatis bono juvaris. Non ergo importunus inde-„bitis me interſero, alienis ingero; ſed debitis ob-„tempero, mandatis Dei noſtri obedio. Quod „facio primum tui amóre, tui gratia, tuæ ſtudio „conſervandæ ſalutis. Si id mihi vel non creditur, „vel interdicitur, dico ſane divinæ offenſæ metu. „Nam ſi meum periculum te exueret, patienter „me pro te offerrem, ſed non libenter. Malo „enim te ſine meo acceptum Deo eſſe, & glorio-„ſum periculo. Sin autem ſilentii mei, diſſimula-„tionisque culpa & me ingravat, nec te liberat, „malo importuniorem me, quam inutiliorem, aut „turpiorem judices. Siquidem ſcriptum eſt, di-„cente ſancto Apoſtolo Paulo, cujus non potes do-„ctrinam refellere: Inſta opportune, importune: „argue, obſecra, increpa, in omni patientia & do-„ctrina. Habemus ergo & nos, cui diſplicere plus „periculi ſit, præſertim cum etiam Imperatoribus „non diſpliceat ſuo quemque fungi munere, & „patienter audiatis unumquemque pro ſuo ſugge-„rentem officio; imo corripiatis, ſi non utatur mi-„litiæ * ſuæ ordine. Quod ergo in iis libenter „accipitis, qui vobis militant, num hoc in Sacer-„dotibus poteſt moleſtum videri, cum id loqua-„mur, non quod volumus, ſed quod jubemur? „*Cum ſtabitis ante Reges, & Præſides, nolite cogi-„tare, quid loquamini. Dabitur enim vobis in illa „hora, quid loquamini. Non enim vos eſtis, qui lo-*

„*quimi-*

* Id eſt, cujusvis publicæ functionis, miniſterii, & officii, quo etiam ſenſu in principio Epiſtolæ ſumendum eſt.

„*quimini; ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in* „*vobis.* Et tamen ſi in cauſis Reipublicæ loquar, „quamvis etiam illic juſtitia ſervanda ſit, non tanto „adſtringar metu, ſi non audiar: in cauſa vero Dei „quem audies, ſi Sacerdotem non audias, cujus „majore peccatur periculo? quis tibi verum aude- „bit dicere, ſi Sacerdos non audeat? Novi te pium, „clementem, mitem, atque tranquillum; fidem „ac timorem Domini cordi habentem: ſed plerum- „que aliqua nos fallunt. Habent aliqui zelum „Dei, ſed non ſecundum ſcientiam. Ne igitur hoc „etiam fidelibus animis obrepat, cavendum arbi- „tror. Novi pietatem tuam erga Deum, lenitatem „in homines. Obligatus ſum beneficiis tuarum „indulgentiarum. Et ideo plus metuo, amplius „ſollicitor, ne etiam ipſe tuo me poſtea judicio „condemnes, quod mea diſſimulatione, aut adula- „tione prolapſionem non evitaveris. Si in me pec- „cari viderem, non deberem tacere (ſcriptum eſt „enim: Si frater tuus in te peccaverit, corripe il- „lum primo, deinde increpa, duobus aut tribus „teſtibus: ſi non te audierit, dic Eccleſiæ) Cauſam „ergo Dei tacebo? Quid igitur ſit, quod metuam, „conſideremus &c.„

Et qui placet illud Chryſoſtomi *homilia in Terræ motum*, quæ eſt 6. *de Lazaro?*

„Illam utique veſperam terræ motus perpetuo „cum animis veſtris volvite. Nam alii quidem om- „nes ob terræ motum timore correpti erant: ego „vero propter cauſam terræ motus. Satis me capi- „tis, quid dixerim? illi quidem pertimeſcebant, „ne concideret civitas, & interirent: ego vero, „quod nobis Dominus iratus eſſet, metuebam. „Non enim grave eſt mortem obiiſſe, ſed grave eſt „Dominum irritaſſe. Itaque non jam ob terræ „motum pavebam, ſed ob cauſam terræ motus. „Cauſa enim terræ motus Dei eſt ira, porro cauſa „divi-

„divinæ iræ noſtra ſunt peccata. Noli unquam „ſupplicium timere, ſed ſupplicii parentem pec„catum. Concutitur civitas? quid tum poſtea? „mens vero tua non conquaſſetur. Quandoqui„dem & in morbis, & in vulneribus non eos lu„gemus, qui curantur, ſed qui inſanabili morbo „laborant.„

S. Augustinus *Epiſt.* 147. *nunc* 33. *ad Proculejanum* Epiſcopum Donatiſtam magno pondere ſchiſma aliquando finire jubet:

„Rogo te, quid nobis eſt cum veteribus diſ„ſenſionibus, ut hucusque vulnera illa duraverint, „quæ animoſitas hominum ſuperborum noſtris „membris inflixit? quorum vulnerum putrefactione „etiam dolorem perdidimus, quo ſolet medicus „implorari. Vides quanta, & quam miſerabili fœ„ditate Chriſtianæ domus familiæque turbatæ ſint. „Mariti, & uxores de ſuo lecto ſibi conſentiunt, „& de Chriſti altari diſſentiunt. Per illum ſibi „jurant, ut inter ſe pacem habeant, & in illo ha„bere non poſſunt. Filii cum parentibus unam „domum habent ſuam, & domum Dei non ha„bent unam. Succedere in eorum hæreditatem „cupiunt, cum quibus de Chriſti hæreditate ri„xantur. Servi, & Domini communem Deum „dividunt, qui formam ſervi accepit, ut omnes „ſerviendo liberaret. Honorant nos (Epiſcopos) „veſtri: honorant vos noſtri. Per coronam no„ſtram nos adjurant veſtri: per coronam veſtram „vos adjurant noſtri. Omnium verba ſuſcipimus, „neminem offendere volumus. Quid nos ſolus „Chriſtus offendit, cujus membra laniamus? Et „homines quidem cauſas ſuas ſæculares apud nos „finire cupientes, quando eis neceſſarii fuerimus, „ſic nos Sanctos, & Dei ſervos appellant, ut nego„tia terræ ſuæ peragant: aliquando agamus & nos „negotium ſalutis noſtræ, & ſalutis ipſorum. Non „de

„de auro, non de argento, non de fundis, & „pecoribus, pro quibus rebus quotidie ſubmiſſo „capite ſalutamur, ut diſſenſiones hominum terminemus; ſed de ipſo capite noſtro tam turpis „inter nos, & perniciosa diſſenſio eſt. Quantumlibet capita ſubmittant, qui nos ſalutant, ut eos „concordes in terra faciamus: de cœlo uſque ad „crucem ſubmiſſum eſt caput noſtrum, in quo „concordes non ſumus. Rogo te, atque obſecro, „ſi eſt in te aliqua humanitas, quam multi prædicant, hic appareat bonitas tua, ſi non propter „honores tranſitorios ſimulatur; ut contremiſcant „in te viſcera miſericordiæ, & velis aliquando rem „diſcuti, inſtando nobiſcum orationibus, & omnia „pacifice conferendo; ne miseræ plebes, quæ noſtris honoribus obſequuntur, premant nos obſequiis ſuis in judicio Dei, ſed potius noſtra non „ficta charitate nobiſcum revocatæ ab erroribus, & „diſſenſionibus, in veritatis & pacis itinera dirigantur. Opto te coram oculis Dei beatum eſſe, Domine honorabilis, & dilectiſſime.„

S. Leo magnus *ſermone* 2. *de Conſecratione ſua* quam admirabili eſt gravitate! Verum quia ille alteri locus ſervatus eſt ſpecimen alium repræſento, paulo previus, *ex ſerm.* 4. *de collectis*, ubi judicium Dei operibus miſericordiæ vult præveniri:

„Præveniatur diſpoſita cenſura juſtitiæ, & nunquam a cordis oculis divinæ diſcretionis imago „diſcedat. Veniet enim in majeſtatis ſuæ gloria „Dominus, ſicut ipſe prædixit, aderitque cum eo „radians in ſplendoribus ſuis innumerabilis Angelicarum multitudo Legionum. Congregabuntur „ante Thronum potentiæ ejus omnium gentium „populi, & quidquid hominum univerſis ſæculis „toto orbe terrarum progenitum eſt, in conſpectu judicantis adſtabit. Separabuntur ab injuſtis „juſti, a nocentibus innocentes, & cum præpara-

„tum

„tum ſibi regnum recenſitis miſericordiæ operibus „filii pietatis acceperint, exprobrabitur duritia ſte-„rilitatis injuſtis, & nihil habentes ſiniſtris com-„mune cum dextris, in ignem ad diaboli, & an-„gelorum ejus tormenta diſpoſitum omnipotentis „judicis damnatione mittentur, cum illo habituri „pœnæ communionem, cujus elegerunt facere „voluntatem. Quis igitur iſtam ſortem æterno-„rum cruciatuum non paveſcat? quis mala nunquam „finienda non timeat? Sed cum ideo denuntiata ſit „ſeveritas, ut miſericordia quæreretur, in diebus „præſentibus cum miſericordiæ eſt largitate viven-„dum, ut homini poſt periculoſam negligentiam „ad pietatis opera revertenti poſſibile ſit ab hac „ſententia liberari. Hoc enim agit potentia Judi-„cis, hoc gratia Salvatoris, ut relinquat impius „vias ſuas, & ab iniquitatis ſuæ conſuetudine pec-„cator abſcedat. Miſereantur pauperum, qui ſibi „volunt parcere Chriſtum. Faciles ſint in alimenta „miſerorum, qui volunt ad ſocietatem pervenire „fidelium. Non ſit vilis homini homo, nec in „quoquam deſpiciatur illa natura, quam rerum „Conditor ſuam fecit. Cui enim laborantium „licet negare, quod Chriſtus ſibi profitetur impen-„di? Juvatur conſervus, & gratiam refert Domi-„nus. Cibus egeni regni cœleſtis eſt pretium, & „largitor temporalium hæres efficitur æternorum.„

Qua vero gravitate velut poteſtatem habens, BERNARDUS loquitur? brevitatis cauſa non niſi illa adſcribo, quibus *epiſtolam* 220. ad Ludovicum Regem Galliarum concluſit.

„Nolite quæſo, nolite, Domine mi Rex! Regi „veſtro, imo omnium conditori tam evidenter in „ſuo regno, & in ſua poſſeſſione audere reſiſtere, „& manum extendere tam frequenti, & temera-„rio auſu adverſus terribilem, eum, qui auffert „ſpiritum Principum, terribilem apud Reges terræ.

„Acri-

„Acriter loquor, quia acriora vobis formido; quod „non ita vehementer timerem, niſi vos vehementer diligerem.„

Iſta de ſtylo gravi ſufficere poſſunt, quando eorum plurima cum aliis locis, tum maxime Libro noſtro primo Diſſertatione quinta capite primo jam attulimus.

CAPUT X.

Specimina circa genus dicendi floridum, *ſeu (ut alii appellant)* vividum, pictum, luminoſum.

Genus hoc, ut peregrinum quibusdam videatur, ipſe ideo Tullius agnovit. *Eſt quoddam,* inquit, *etiam inſigne & florens, pictum & expolitum orationis genus, in quo omnes verborum, omnes ſententiarum illigantur lepores* *. Nihilo ſecius virtus ea ſtyli propior vitio eſt; quare cauto, & ſapiente viro eſt opus, quoties unque ille adhibetur. Floſculos afferimus, ubi fructus quæritur; nam delectatio quamvis & ipſa non inutiliter quæratur, utilitati tamen præcipue debet ſervire, non ſibi. Inenarrabilis eſt florum copia, atque varietas, & quam facile nobis verba formare, tam facile eſt rerum naturæ ſuas has copias effundere. Ludit enim in his rebus & in magno gaudio fertilitatis veluti laſcivit. Itaque cum ceteris partibus, quæ uſus, atque alimenti gratia gignit, annum, imo ſæculum ſæpe tribuat, flores in diem germinat, magna, ut videatur, admonitione mortalium, quæ ſubito perfecerint, celerrime etiam marceſcere ſolere. Ut ergo flores adhibere ſubin licet, ſic maxime curandum, ne nimii ſint, ne plus coloris, quam odoris habeant, ne exotici, atque ob ipſam peregrinitatem monſtroſi ſint, ne in plurium manus ante vene-

* *In Oratore num.* 96.

venerint, ne obviis naribus ad motæ; floribus enim delicatiſſime utimur, tamdiu gratis, quamdiu recentibus; quod ſi obſoleſcant, ſad quiſquilias pertinent, atque in fimum projiciuntur. S. GISBERT, cujus eſt in ſermonibus cenſendis quam acre, tam limatum, & ſolers judicium, apertum ſe hujus generis hoſtem profitetur: * putat autem hac dictione haud parum de exiſtimatione dicentis imminui, & efficaciam ipſius ſermonis obtundi. Itaque vult ſplendida, & luminoſa abeſſe a Concionibus, neque locum aliquando habere, niſi tum, quando ipſi auditores advertunt oblata illa, minime vero quæſita eſſe. Quam in rem locum Auguſtini affert *Libro IV. de doctrina Chriſtiana cap.* 14. *ubi* in Cypriano quædam ejuſmodi, tum a converſione, & pigmentis Rhetorum adhuc recenti condonanda verius cenſet, quam imitanda. Locum iſtum integrum dedimus, ſed & alia, quæ eo ſpectabant ſolicite notavimus in *Diſſertatione de Eloquentia S. Cypriani cap.* 2. Verum, ut candide loquar, paulo moroſior hic videtur celeberrimus Cenſor, certe Patres non paucos ſcio, impenſe hoc genere delectatos; & ex noſtris quidem AMBROSIUM, HIERONYMUM, EUCHERIUM: ex græcis NAZIANZENUM, BASILIUM, SELEUCIENSEM, atque ipſum maxime, cui tantopere Gisbertus aſſurgit, CHRYSOSTOMUM. Hi omnes, ſicubi res ferat, frequentes ſunt hac in parte, & auditorum genio, ne dicam deliciis, multo plura concedunt, quam ille nunc conceſſa velit. Itaque ſic mihi perſuadeo, virum ſummum, qui luxuriem ingeniorum noſſet de induſtria præceptum hoc ſuum exaggeraſſe, & ut proverbio dicitur, petiſſe injuſtum, quo certius ſcilicet, id quod juſtum, & moderatum eſt, a junioribus quibusdam obtineret. Nunc vero

* *Capite* 8.

vero exempla ipſa videamus, ejusmodi certe, quæ nec Giſbertus, ut opinor, facile rejecerit.

Tertullianus *initio Libri I. adverſus Marcionem* hoc maxime ſtylo regionem Ponti deſcribit.

„Hoſpitalem Pontum nec de ſitu æſtimes; ita „ab humanioribus fretis noſtris, quaſi quodam „barbariæ ſuæ pudore ſeceſſit. Gentes ferociſſimæ „inhabitant, ſi tamen habitatur in plauſtro Se„des incerta, vita cruda, libido promiſcua, & plu„rimum nuda: etiam cum abſcondunt, ſuſpenſis „de jugo pharetris indicibus, ne temere qui inter„cedat. Ita nec armis ſuis erubeſcunt. Paren„tum cadavera cum pecudibus cæſa convivio con„vorant. Qui non ita deceſſerint, ut eſcatiles fu„erint, maledicta mors eſt. Nec fœminæ ſexu mi„tigantur, ſecundum pudorem ubera excludunt, „penſum ſecuribus faciunt, malunt militare, quam „nubere. Duritia de cœlo quoque. Dies nun„quam patens, ſol nunquam liber, unus aër ne„bula, totus annus hybernum, omne quod fla„verit, Aquilo eſt. Liquores ignibus redeunt, „amnes glacie negantur, montes pruina exagge„rantur. Omnia torpent, omnia rigent, nihil il„lic niſi feritas calet. Illa ſcilicet, quæ fabulas „ſcenis dedit de Sacrificiis Taurorum, & amori„bus Colchonum, & crucibus Caucaſorum. Sed „nihil tam barbarum, ac triſte apud Pontum, quam „quod illic Marcion natus eſt.„

Non minus vivide contumelias primordiorum noſtrorum expinxit *Libro de carne Chriſti cap.* 4. contra eundem hæreſiarcham, qui hæc omnia indigna Deo, atque probroſa afferebat:

„Igitur ſi neque ut impoſſibilem, neque ut pe„riculoſam Deo repudias corporationem, ſupereſt, „ut quaſi indignam rejicias, & accuſes. Ab ipſa „quidem exorſus odio habita nativitate, perora, „age jam ſpurcitias genitalium in utero elemento-

„rum, humoris & ſanguinis fœda coagula; car-
„nis ex eodem cœno alendæ per novem menſes.
„Deſcribe uterum de die in diem inſoleſcentem,
„gravem, anxium, nexum, totum incertum libi-
„dinibus faſtidii, & gulæ. Invehere jam & in
„ipſum mulieris enitentis pudorem, vel pro peri-
„culo honorandum, vel pro natura religioſum.
„Horres utique & infantem cum ſuis impedimen-
„tis; profuſum undique, & oblitum. Dedigna-
„beris, quod pannis dirigitur, quod vinctionibus
„formatur, quod blanditiis deridetur. Hanc ve-
„nerationem, o Marcion, naturæ deſpuis! & quo-
„modo natus es? odiſti naſcentem hominem: &
„quomodo diligis aliquem? Te quidem plane non
„amaſti, cum ab Eccleſia, & fide receſſiſti.„

S. Ambrosius, cum viduam evangelicam, quæ duo minuta miſerat in Gazophilacium, liberalitatis exemplum proponeret, ita habet *Libro de Viduis cap.* 5:

„Uberior eſt nummus e parvo, quam the-
„ſaurus e maximo; quia non quantum detur, ſed
„quantum reſideat, expenditur. Nemo plus tri-
„buit, quam quæ nihil ſibi reliquit. Quid tu
„dives egeni comparatione te jactas, & cum tota
„onereris auro, pretioſam per humum trahens
„veſtem, quaſi inferior tuis, & parva divitiis, ho-
„norari deſideras, quia inopem collatione viciſti?
„Et flumina ſuperfluunt cum redundant; gratior
„tamen hauſtus e rivulo eſt. Spumant, & muſta
„dum fervent, nec damnum putat agricola, quod
„effluxerit. Gementibus areis, dum cæditur meſſis,
„frumenta deſiliunt: ſed deficientibus meſſibus non
„deficit hydria de farina *, & plena olei teſta de-
„fu-

* Factum viduæ evangelicæ confirmat illo alterius viduæ pauperis, quæ tempore famis, cum divites ſua ſervarent, in paupertate ſua tantum reperit, quo Prophetam aleret.

„ſudat. Exinanivit tamen dolia divitum ſiccitas, „cum viduæ pauxillulum olearium redundarit. „Non ergo quid faſtidio exſpuas, ſed quantum de- „votione conferas, æſtimandum eſt. Denique nul- „la plus tribuit, quam illa, quæ de filiorum ali- „mentis pavit prophetam. Et ideo, quia nulla „plus contulit, nulla plus meruit.„

Hæc picturata, coloribus nativis quidem, miſtis tamen, & artificio temperatis. Maxime vero in *Libris de Virginibus* flores ſparſit Ambrosius, atque omnia odoribus replevit, ut adeo ad calcem *Libri II.* probe advertens, quantum ingenio indulſiſſet, culpam ingenue deprecaretur. Maurini Editores in Admonitione præmiſſa: *Excuſata iſta*, ajunt, *forte paulo nimia, quam in oratione adhibuerat, arte, ac facundia, id eo conſilio factum aſſerit, ut vi majori, & ſuavitate ad Deum animos pelliceret.* Sed audiendus ipſe eſt; ſic enim una, quod dicunt, fidelia duos parietes dealbabimus; quando hoc ipſo loco, ubi expurgat ſeſe, & veniam petit, quam maxime florulentus, & vernans eſt:

„Hæc ego vobis, Sanctæ Virgines, nondum tri- „ennalis Sacerdos munuſcula paravi, licet uſu in- „doctus, ſed veſtris edoctus moribus. Quantus „etenim adoleſcere uſus potuit tam parva initiatæ „religionis ætate? Si quos hic flores cernitis, de „veſtræ vitæ collectos legite ſinu. Non ſunt hæc „præcepta Virginibus, ſed de Virginibus exempla. „Veſtræ Virtutis effigiem noſtra depinxit oratio. „Veſtræ gravitatis imaginem quaſi in ſpeculo quo- „dam ſermonis iſtius cernitis refulgere. Vos ſi „quam noſtro gratiam inhalaſtis ingenio, veſtrum „eſt; quidquid iſte redolet liber. Et quoniam „quot homines, tot ſententiæ: ſi quid defæcatum „eſt in ſermone noſtro, omnes legant: ſi quid „decoctum, maturiores probent: ſi quid mode- „ſtum, pectoribus inhæreat, genas pingat: ſi quid

 floru-

„florulentum, ætas florulenta non improbet. De-„buimus ſponſæ excitare amorem; ſcriptum eſt „enim: *Diliges Dominum Deum tuum.* Debuimus „in nuptiis calamiſtris quibusdam crines ſaltem ora-„tionis ornare. Scriptum eſt enim: *Plaude manu,* „*& percute pede.* Debuimus perpetuos * ſpargere „thalamos roſis. Etiam in his conjugiis tempora-„libus nubenti prius plauditur, quam impera-„tur **; ne ante dura offendant imperia, quam „blanditiis amor fotus inoleſcat. Equorum (juve-„num) vis plauſæ ſonitum diſcit amare cervicis, „ne recuſet jugum. Denique prius aſſueſcitur ver-„bo laſciviæ, quam verbere diſciplinæ. Aſt ubi „colla ſubdiderit jugo, & habena conſtringit, & „ſtimulus urget, & compares trahunt, & jugalis „invitat. Sic etiam Virgo noſtra debuit prius amo-„re pio ludere, aurea thori cœleſtis fulcra mirari „in ipſo veſtibulo nuptiarum, & poſtes frondium „fertis cernere coronatos, & chori ſtrepentis inte-„rius haurire delicias, ne ſe prius Dominico jugo „timefacta ſubduceret, quam vocata inclinaret. „*Veni igitur huc a Libano, ſponſa, veni huc a Li-„bano, tranſibis, & pertranſibis.* Sæpius enim no-„bis iſte verſiculus recantandus eſt, ut vel domi-„nicis vocata verbis ſequatur, ſi qua non credat „humanis. Hoc nos magiſterium non invenimus, „ſed accepimus. Sic inſtituit myſtici carminis do-„ctrina cœleſtis: *Oſculetur me oſculis oris ſui; quia* „*ubera tua ſuper vinum, & odor unguentorum tuo-„rum ſuper omnia aromata. Unguentum exinanitum* „*eſt nomen tuum.* Totus iſte deliciarum locus lu-„dum ſonat, plauſum excitat, amorem provocat. „*Ideo*, inquit, *adoleſcentulæ dilexerunt, & attraxe-„runt te. Retro odorem unguentorum tuorum curra-„mus.*

* Æternos ſcil.

** **Præcepta Virginitatis innuit, quæ deinceps ille per-tractat.**

„*mus. Induxit me Rex in tabernaculum ſuum.* Ab „oſculis cœpit, ut ad tabernaculum perveniret.„

S. Chrysostomus *homilia* 6. *in acta* diſcrimen inter manſuetam, atque iracundam animam admirabili hac pictura expreſſit:

„Verum quod voluptatem habeant (præcepta „Dei) hinc palam eſt. Qua enim conditione pu„tas eſſe iracundum? qua patientem, & mitem? „Nonne hujus anima ſolitudini cuipiam ſimilis eſt, „multam quietem habenti: illius autem foro, tur„bæ, ubi multus clamor ſequentium camelos, „mulos, & aſinos, qui occlamant accedentibus, „ne conculcentur? nonne medias civitates exhibet, „ubi hinc aurifabrorum, inde ærariorum magnus „ſtrepitus? ubi alii quidem invadunt: alii vero in„vaduntur? Sed hujus anima, ceu vertex montis, „qui leni aura, puriſque radiis fruitur, limpida fon„tium fluenta emittit, multamque ex frondibus gra„tiam habet; perinde atque vernis pratis, ac hor„tis, quæ plantis, floribus, & aquæductibus or„nantur. Quod ſi & ſonus aliquis auditur, ſua„vis eſt, & multam fundit audientibus voluptatem. „Nam vel aves in ſummis arboribus cantillant, „vel cicadæ, luſciniæ, hirundines concordem, & „unam quamdam muſicam efficiunt: vel zephyrus „blande ramos allidit, ac pinorum ſtridulo ſono „vel cygnos plerumque imitatur; vel pratum roſas „& lilia producens, quæ ſe mutuo collidant, pela„gus quoddam exhibet, lenibus undis commo„tum. Imo multas quis invenerit rei ejus imagi„nes. Nam ſi quis roſas inſpiciat, iridem ſe pu„tabit videre; ſi violas, mare undoſum: ſi lilia, „cœlum. Neque ſpectaculo tantum, & viſu (ta„lis) delectatur, ſed etiam corpore. Recreatur „enim, & reſpirat ita, ut in cœlo ſe potius, quam „in terra eſſe putet. Eſt & alius quidam ſonus, „quando aqua ex cacumine defluens ſponte per

 „præ-

„præcipitia fertur, ac leniter ſubjectis ſilicibus obſtrepit: atque hac ratione membra noſtra voluptate relaxat, quæ ſovendo corpori ſomnum conciliet. Libenter audiſtis narrationem, & hinc forte amor ſolitudinis vobis injectus. Verum hac ſolitudine multo ſuavior eſt patientis anima. Non enim ut pratum deſcriberemus, neque ut ad oſtentationem verba funderemus, hanc aggreſſi ſumus imaginem, ſed ut per deſcriptionem hanc videretis, quanta ſit patientium voluptas, & quod ſuavius multo, atque utilius ſit, cum viro patiente & manſueto verſari, quam in hujusmodi locis degere. „

Idem *homilia* 2. *de verbis Iſaiæ vidi Dominum* hunc in modum orditur:

„Gaudeo conſpiciens vos ad audienda ſacra eloquia concurrentes, idque indicium maximum eſſe judico veſtri in Dei cultu, ac pietate progreſſus. Quemadmodum enim appetentia cibi corporis bonam valetudinem declarat, ſic & ſermones appetere ſpirituales animæ ſanitatem arguit. Gaudeo quidem igitur propter hoc: cæterum vereor, ne forte non poſſim aliquid afferre dignum iſto veſtro deſiderio. Sic & mater amans dolet, quoties lactantem habens puerum, non poteſt illi largiter præbere lactis fontem. Attamen quamquam lacte caret, mammam tamen dat. Ille vero acceptam trahit, ſugitque, & ore papillam refrigeſcentem calefaciens, plus quam erat, elicit alimenti. Mater vero dolet quidem, dum ipſius diſtenduntur ubera, nec tamen repellit puerum; mater enim eſt, & omnia præoptat perpeti potius, quam ut partum ſuum contriſtet. Itaque ſi matres erga fœtus ſuos tantum exhibent amorem, multo magis oportet nos erga veſtram charitatem ſimiliter affectos eſſe. Nam ſpiritus partus vehementiores ſunt, quam naturæ. Itaque

„tametſi

„tametſi nobis menſa multam habet penuriam, ne „ſic quidem tamen eam occultabimus; ſed noſtra „omnia in medium proferentes apponemus vobis. „Quod ſi paucula hæc ſunt, viliaque, præbebi„mus tamen.„

S. Hieronymus epiſt. 3. nunc 60. ad Heliodorum eadem vernanti dictione mortem Nepotiani ſui deſcripſit, his verbis:

„Quid te ſubtrahis, quid tergiverſaris oratio? „quaſi enim mortem illius differre poſſimus, & „vitam facere longiorem, ſic timemus ad ultimum „pervenire. Omnis caro fœnum, & omnis glo„ria ejus quaſi flos fœni. Ubi nunc decora illa „facies? ubi totius corporis dignitas, qua veluti „pulchro indumento pulchritudo animæ veſtieba„tur? marceſcebat pro dolor! flante auſtro lilium, „& purpura violæ in pallorem ſenſim migrabat. „Cumque febribus æſtuaret, & venarum fontes hau„riret calor, laſſo anhelitu triſtem avunculum con„ſolabatur. Lætus erat vultus, & univerſis circa „plorantibus ſolus ipſe ridebat. Projicere pallium, „manus extendere, videre, quod alii non vide„bant, & quaſi in occurſum ſe erigens ſalutare „venientes. Intelligeres illum non emori, ſed emi„grare, & mutare amicos, non relinquere. Vol„vuntur per ora lacrimæ, & obfirmato animo „non queo dolorem diſſimulare, quem patior. Quis „crederet in tali illum tempore noſtræ neceſſitudi„nis recordari, & luctante anima ſtudiorum ſcire „dulcedinem? Apprehenſa avunculi manu: hanc, „inquit, tunicam, qua utebar in miniſterio Chriſti, „mitte dilectiſſimo mihi, ætate patri, fratri colle„gio: & quidquid a te nepoti debebatur affectus, „in illum transfer, quem mecum pariter diligebas. „Atque in talia verba defecit, avunculi manum „mei recordatione contrectans. Scio, quod noluë„ris amorem in te civium ſic probare, & affectum

„patriæ magis quæſiſſe in proſperis. Sed hujuſcemodi officium in bonis jucundius eſt, in malis „gratius. Tota hunc civitas, tota planxit Italia: corpus terra ſuſcepit, anima Chriſto reddita eſt.„

Idem *Epiſt.* 26 *nunc* 66. *ad Pammachium*, qui poſt mortem uxoris Paulinæ cum ſuas, tum illius maximas facultates in pauperes erogarat, Xenodochio apud portum Romanum exſtructo:

„Tales Paulina morte ſua nobis liberos dedit, „quos vivens concupiverat poſſidere. *Lætare ſterilis, quæ non paris, erumpe, & clama, quæ non parturis;* quoniam quot Romæ ſunt pauperes, „tot filios repente genuiſti. Ardentes gemmæ, „quibus antea collum, & facies ornabantur, egentium ventres ſaturant: veſtes ſericæ, & aurum in „fila lenteſcens in mollia lanarum veſtimenta mutata ſunt, quibus repellatur frigus, non quibus „nudetur ambitio. Deliciarum quondam ſuppellectilem virtus inſumit. Ille cæcus extendens „manum, & ſæpe, ubi nemo eſt, clamitans hæres Paulinæ, cohæres Pammachii eſt: illum truncum pedibus, & toto corpore ſe trahentem teneræ puellæ ſuſtentat manus: fores, quæ prius ſalutantium turbas vomebant, nunc a miſeris obſidentur. Alius tumenti aqualiculo mortem parturit: alius elinguis, & mutus, & ne hoc quidem habens, unde roget, magis rogat, dum rogare non poteſt: hic debilitatus a puero non ſibi „mendicat ſtipem: * ille putrefactus morbo regio „ſupervivit cadaveri ſuo. Non mihi ſi linguæ „centum ſint, oraque centum, omnia pœnarum „percurrere nomina poſſim. Hoc exercitu comitatus incedit, in his Chriſtum confovet, horum „ſordi-

* Non ſibi, ſed parentibus ſcilicet, qui illum mendicitatis cauſa jam infantem debilitaverant.

„ſordibus dealbatur munerarius pauperum, & egen-„tium candidatus: ſic feſtinat ad cœlum. „

S. Eucherius ubique pigmenta, & gemmas & flores immiſcet, atque ita Sermoni gratiam ſingularem novit conciliare. Et quidem *in Paræneſi ad Valerianum* ut brevitatem vitæ hujus adumbraret, ita venantiſſima dictione & pulcherrima phraſi:

„Quid iſtud, quæſo, quid iſtud eſt? nihil ita „quotidie homines ut mortem vident, nihil ita „obliviſcuntur, ut mortem. Agitur humanum ge-„nus rapida in occaſum mortalitate, omnisque po-„ſteritas ſuccedentium ſæculorum lege decurrit. „Patres noſtri præterierunt, nos abibimus, poſteri „ſequentur. Velut ex alto undarum jactus aliis „atque aliis ſupervenientibus in litoris extrema „franguntur, ita in terminum mortis ſucciduæ al-„liduntur ætates. Hæc nos conſideratio diebus, „ac noctibus, hæc nos conditionis noſtræ memo-„ria circumſtrepat. Debitum vitæ finem, jam „jamque affuturum putemus, qui nobis tanto ma-„gis appropinquabit, quanto magis diſtulit. Vi-„cinum ſperemus diem; longinquum eſſe neſci-„mus. *Præparemus*, ut ſcriptum eſt, *ad exitum* „*vias noſtras.* Si cogitamus iſta, ſi iſta meditamur, „non timebimus mortem timendo. Beati, qui vos „jam reconciliaſtis Chriſto! Non magnus mortis „iſtos timor infeſtat, qui jam diſſolvi optant, & „eſſe cum Chriſto, qui ſummum vitæ iſtius diem „jam parati, jam quieti in ſilentio expectant. Non „enim multum refert, quando finiant temporariam, „qui tranſeunt in æternam.„

CAPUT XI.

Specimina circa genus dicendi tenerum, dulce, unctuoſum.

Novum genus, & ſæcularium nulli compertum, hoc loco proponimus. Illud videlicet, quod ſuavitatem, neſcio quam, diffundit, in quo ſapor quidam plus quam humanus ineſt, ex quo ſentias, cor, pietatem, & materna viſcera loqui, imo veluti unguenta quædam, & mella promanare. Equidem gratiæ id opus non naturæ; tamen & in hac quædam ſunt præſidia, quo excoli magis, & felicius adhiberi hoc genus poſſit. HOMERUS teſte Hieronymo *Epiſt.* 2. *nunc* 52. *ad Nepotianum de Lingua Neſtoris* memorat *dulciorem melle orationem fluxiſſe.* Quod, ego ſi quid video, placida indoles, amœna vox ac tot annorum vegeta ſenectus effecit. Sed & AUGUSTINUS *Libro IV. de Doctrina Chriſtiana cap.* 5. & 14. ſuavitatem quamdam apud externos agnoſcit, ſed præpoſteram illam, *qua exigua, & fragilia bona ſpumeo verborum ambitu ornantur, quali nec magna, atque ſtabilia decenter, & graviter ornarentur:* vel aliam, *cui tantum operæ impenſum eſt ab hominibus, ut non ſolum non facienda, verum etiam fugienda ac deteſtanda tot, & tanta mala, atque turpia malis, & turpibus diſertiſſime perſuaſa ſint, non ut eis conſentiatur, ſed ut ſola delectationis gratia lectitentur.* Hanc rejici vult S. Doctor, illam vero modis omnibus retineri, ut quæ ad docendum, & movendum quam maxime conducat. *Sicut autem*, inquit, *ſæpe ſumenda ſunt & amara ſalubria, ita ſemper vitanda eſt pernicioſa dulcedo. Sed ſalubri ſuavitate, vel ſuavi ſalubritate quid melius? quanto enim magis illic appetitur ſuavitas, tanto facilius ſalubritas prodeſt.* Uti illa dulcedo vana, atque nociva ſenſus mulcet, ita iſta ſe

cordi inſinuat. Nam & cordis quædam lingua eſt, cordis nimirum, quod plenum ſit charitate, manſuetudine, teneritate, quod commotum ante & pietate mollitum quidquid ſenſerit, in alios deinde transfundat. Hanc linguam corda continuo intelligunt; habent enim verba ſibi propia, affectuumque, & ſenſationum ſympathia quadam tanguntur. Porro hoc genus neque effuſas laudes, neque admirationem, neque ſtrepitum excitat, ſed ubi per intellectum, & per aures intimum, & ineffabilem guſtum infuderit, anima veluti relicto oratore ad ſe ipſam converſa alia plura reperit, quibus tota occupetur.

Hanc ergo ſtyli dulcedinem qui reddere ſibi familiarem cupit, aliud ſane non habet, quam ut Patres diligenter legat. Patres inquam, qui cum cœleſti ſuavitate imbuti eſſent, eandem ut in omni vita, ſic & in ſcriptis ſuis ubique exhalabant. Id quod in hunc diem in Ephræmo, Chrysostomo, Ambrosio, Augustino, Paulino, Eucherio, Bernardo experiuntur omnes, & admirantur. En exempla quædam.

S. Chrysostomus *homil.* 41. *in Geneſin* loquens de hoſpitalitate Abrahæ merum mel, merum saccharum fundit in Epilogo:

„Hunc, inquit, imitemur omnes, & magnam „geramus hoſpitalitatis curam; non ut fluxorum, „& corruptibilium retributionem ſolum accipia„mus, ſed ut reponamus nobis etiam immortalium „bonorum fruitionem. Nam ſi hoc facimus, nos „etiam hic Chriſtum ſuſcipiemus, & ſuſcipiet etiam „ipſe nos in manſionibus illis, quæ ab æterno præ„paratæ ſunt diligentibus ipſum, audiemusque ab „eo: *Venite benedicti Patris mei, in hæreditatem ac„cipite præparatum vobis regnum ab origine mundi.* „Cujus gratia, & propter quid? *Eſurivi enim, & „dediſtis mihi manducare: ſitivi, & potaſtis me; pe-*

„regri-

„*regrinus fui*, *& collegiſtis me*, *in carcere fui*, *&* „*inviſiſtis me*. Quid minus moleſtum, quam hæc? „num præcepit nobis curioſe ſcrutari, & inquirere, „quibusnam deberemus curam exhibere? Tu, quod „tuum eſt, inquit, oſtende, licet abjectus, & vi„lis ſit, ut apparet, quem foves. Quæ enim in „illos facta ſunt, ego ut mihi ipſi facta agnoſco. „Propterea addidit; *In quantum feciſtis uni fratrum* „*meorum minimorum, mihi feciſtis*. Igitur cum tan„ta ex hoſpitalitate ſint lucra, non contemnamus, „ſed quotidie hujus bonæ negotiationis merces in„ferre ſtudeamus. Scientes Dominum noſtrum „alacritatem magnam, non ciborum pondus re„quirere, non menſam ſumptuoſam, ſed mentem „hilarem, non tantum miniſterium a nudis verbis, „ſed charitatem a puro, ſinceroque corde. Idcir„co & Sapiens quidam dicebat: *Melior ſermo, quam* „*munus*. Sæpe enim ſermonis obſequium magis „recreat indigentem, quam donum ipſum. Hæc „cum ſciamus, ne ſimus difficiles erga eos, qui „ad nos accedunt; ſed ſi potuerimus eorum ino„piam ſublevare, hoc faciamus cum gaudio, læti„tiaque magna, non ut præbentes aliquid, ſed ut „ab eis maxima accipientes: quod ſi non poſſumus, „ne ſimus aſperi in eos, ſed verbis ſaltem eorum „curam agamus, & cum manſuetudine reſponde„amus eis. Quare enim dure compellas eum? num „cogit? num vim facit? orat, ſupplicat, obſecrat. „Qui autem hæc facit, contumelia dignus non eſt. „Quid dico? orat, & ſupplicat? innumera bene „apprecatur, & hæc omnia facit pro uno obolo; „neque tamen illum erogamus! & quam aſſeque„mur veniam? quam habebimus defenſionem? „Ipſi quidem quotidie lautam menſam nobis ap„poni curamus, & ſæpe plus, quam uſus requirit, „inſumimus. Illis vero neque parvum quid com„municamus, idque cum innumera bona per hos

„nos

„nos habituros expectemus. Sed o magnam de-„ſidiam! quantam enim jacturam facimus? quan-„tum lucri e manibus noſtris excedere permitti-„mus? occaſionem noſtræ ſalutis a Deo nobis da-„tam amandamus, neque cogitamus, vel in mente „verſamus, hinc parvitatem eorum, quæ damus, „inde immenſitatem eorum, quæ pro his accipi-„mus; ſed omnia arculis includentes aurum qui-„dem a rubigine abſumi permittimus, imo furum „manibus proponimus, veſtes quoque varias a ti-„neis arrodi ſinimus: nolumus autem, ut ea, quæ „abſque uſu jacent, bene diſpenſentur, ut iterum „nobis cuſtodiantur, ac per ea etiam ineffabilia „bona mereamur aſſequi. Quæ nobis omnibus „concedat gratia, & benignitate ſua Dominus no-„ſter Jeſus Chriſtus, cui cum Parte &c.„

Idem alium inſigni unctione locum dat *homil. 16. in 1. ad Timotheum*, quo duo ſibi proponit, atque etiam feliciter aſſequitur, ut Dominos ſervis pacatiores, Deo autem ſupremo Domino ſubmiſſiores faciat. Nihil dulcius hoc Epilogo:

„Si autem a Servis tantam obſequentiam exi-„git, cogitate quo nos affectu erga Dominum de-„beamus eſſe, qui nos de nihilo produxit, enutri-„vit, veſtivit. Si non alio modo, ſaltem ut no-„bis ſervi noſtri, ſic illi ſerviamus. Nonne totam „illi vitam tranſigunt ad requiem Dominorum cu-„randam, ad ſuam vero ſæpe partem veſperarum „tantum? nos vero contra noſtra ſemper, quæ „autem Domini ſunt, pauco tempore, idque cum „ille obſequio noſtro non egeat, ut Domini ſer-„vis egent: cum hæc officia rurſum in lucrum „noſtrum cedant. Illic enim miniſterium famuli „herum juvat; hic autem miniſterium famuli Do-„mino nihil, famulo lucrum refert. *Bonorum „enim meorum*, inquit, *non eges.* Dic enim mihi, „quid Deo lucri, ſi ego juſtus ſum? quid damni,

„ſi

„ſi injuſtus? nonne immortalis eſt illa natura? „nonne damni expers? nonne omni ſuperior paſ„ſione? Famuli nihil proprium habent, ſed omnia „Domini ſunt, quantumlibet illi divites fiant: nos „autem plurima propria habemus; nec ſine cauſa „talem honorem accepimus ab univerſorum Rege. „Quis herus pro famulo filium dedit ſuum? nul„lus, ſed mallent omnes famulos dare pro filiis: „hic vero contra filio ſuo non pepercit, ſed pro „nobis omnibus tradidit illum, pro inimicis, qui „ipſum oderant. Famuli etiam ſi oneroſa quædam „ipſis imperentur, non indigne ferunt, maxime „vero ſi grati fuerint: nos autem innumera mo„leſte ferimus. Famulis nihil tale promittit herus, „quale Deus nobis. Sed quid? libertatem præ„ſentem, quæ ſæpe ipſa ſervitute moleſtior eſt. „Sæpe namque fames invaſit, & ſervitute amarior „libertas illa fuit; nec non donum illud maxi„mum: apud Deum autem nihil temporaneum „eſt, nihil coruptibile. Sed quid? vis diſcere? „audi: *Non jam dicam vos ſervos,* inquit, *vos amici* „*mei eſtis.* Erubeſcamus, dilecti, timeamus. Sal„tem ut ſervi heris ſerviunt, nos Domino ſervia„mus: imo vero minimam ſervitutis illius partem „nos oſtendimus. Illi neceſſitate coacti philoſo„phantur, tegumenta ſolum, & victum habentes; „nos autem innumera vel habentes, vel ſperantes „benefactori propter delicias injurioſi ſumus. Si „non aliunde, ſaltem ab illis philoſophiæ normam „accipiamus. Solet quippe Scriptura non ad ſer„vos, ſed ad bruta animalia homines mittere, ut „cum apem, ut cum formicam jubet imitari: ego „vero ſaltem ſervos imitari rogo. Quæcunque „illi ob timorem noſtri faciunt, ea nos propter „Dei timorem faciamus. Non enim hoc vos fa„cere comperimus. Illi ob timorem noſtri millies „contumelia afficiuntur, & magis quam philoſo-

II„ „phi

„phi ſilentes ſtant, juſte, & injuſte probro affici-
„untur, & non contradicunt, ſed precantur, ſæpe
„etiam cum nihil mali fecerint. Non plus accipi-
„entes, quam neceſſarium ſit, ſæpe etiam minus,
„contenti ſunt; cum in ſtrato cubent ſolo pane
„repleti, reliqua vilia nacti, non accuſant, non
„indigne ferunt, noſtri timore coerciti. Si pecu-
„niæ ipſis credantur, integras illas reddunt. Ne
„mihi improbos ſervos dixeris, ſed eos, qui non
„admodum mali ſunt. Si comminemur, ſtatim
„reprimuntur. An non hæc vere philoſophia
„ſunt? Ne mihi dixeris, hæc ex neceſſitate fieri;
„quia tibi quoque inſtat gehennæ neceſſitas, & ne
„ſic quidem reſipiſcis, neque tantum Deo præſtas
„honorem, quantum a ſervis recipis. Habet qui-
„libet ſervus conſtitutum habitaculum, nec pro-
„ximi domicilium invadit, neque plura habendi
„cupiditate corrumpitur. Et hoc viderit quiſpiam
„in ſervis ob heri timorem obſervari, raroque vi-
„deris ſervum a ſervo quædam abripere, vel per-
„dere. Apud homines autem liberos contraria
„cernas, mordemus, devoramus, non timemus
„Dominum, conſervorum bona rapimus, furamur,
„percutimus ipſo vidente. Hoc autem ſervus non
„fecerit, ſed ſive cædat, non vidente hero; ſi
„convitietur, illo non audiente id facit. Nos au-
„tem Deo omnia & vidente, & audiente aude-
„mus. Heri metum ſemper illi ob oculos habent:
„nos Domini metum nunquam. Ideo omnia ſus,
„deque vertuntur, omnia confunduntur, & labe-
„factantur, & nos de peccatis noſtris ne cogita-
„mus quidem: ſi ſervi vero noſtri delinquant, ac-
„curate omnia vel minima examinamus. Hæc dico,
„non ut domeſticos ſupinos reddam, ſed ut ſupi-
„num animum convertam, ut negligentiam exci-
„tem, ut vel ſic ſerviamus Domino, ſicut famuli
„nobis ſerviunt: ſic Illi, qui nos efformavit, ut

„nobis,

„nobis, qui ejusdem ſunt ſubſtantiæ, & cum nihil „tale a nobis acceperint. Natura liberi ipſi quo-„que ſunt. *Dominentur piſcibus*, dictum eſt illis „quoque. Non eſt hæc naturalis ſervitus. ſed ex „cauſa, & occaſione nata, tamenque magno nos „honore proſequuntur; nos autem his cum ma-„gna accuratione inſiſtimus miniſterii noſtri gratia, „Deo autem ne minimam miniſterii partem præ-„bemus, cum tamen tota inde utilitas ad nos ver-„tatur. Quanto enim ſtudioſius Deo ſervierimus, „tanto majora emolumenta referemus. Ne nos „tanta utilitate privemus. Deus enim ſibi ſufficit, „nulloque eget, merces autem, & lucrum ad nos „redit. Quaſi ergo non Deo, ſed nobiſmet ipſis „miniſtrantes, ita ſimus affecti, obſecro, & ſervi-„amus illi cum timore, & tremore, ut promiſſa „bona conſequamur in Chriſto Jeſu Domino no-„ſtro, quicum Patre, unaque Spiritu Sancto &c."

Aliud ex eodem ſpecimen affert Gisbertus *cap.* 8. ubi de dictione hac dulci agit. Deſumptum eſt autem ex *homil.* 8. *in ad Romanos;* quod ideo monendum fuit, quia Chryſoſtomum nominaſſe contentus locum ipſe non allegat. Pulchrius autem videtur Exemplum ex *homil.* 27. *in ad Romanos*, ejuſdem fere argumenti de pace videlicet, & charitate proximi.

S. Augustinus *Enarrat.* 2. *in pſalmum* 26. *ad* illud: *Credo videre bona Domini in terra viventium.*

„Poſt illum circuitum, & jubilationem exul-„tans gaudio, & gemens in laboribus, ſuſpiravit „ad extremum, & ait: *credo videre bona Domini* „*in terra viventium.* O bona Domini! dulcia, im-„mortalia, incomparabilia, ſempiterna, incom-„mutabilia! Et quando vos videbo bona Domini? „credo videre. Sed non in terra morientium: „credo videre bona Domini in terra viventium."

Idem

Idem ſermone, ſeu *Tractatu de Paſtoribus cap.* 7. hac ſuaviſſima ſermocinatione errantes revocat.

„Hic inter manus latronum, & dentes Luporum „furentium utcunque verſamur, & pro his peri„culis noſtris ut oretis, oramus. Et contumaces „ſunt oves, quia quæruntur errantes. Alienas ſeſe „a nobis dicunt, errore ſuo, & perditione ſua „dicunt: quid nos vultis? quid nos quæritis? „Quaſi non ipſa cauſa ſit, quare eas velimus, & „quare quæramus, quia errant; & pereunt. Si „in errore ſum, ſi in interitu, quid me vis? quid „me quæris? Quia in errore es, revocare volo; „quia periſti, invenire volo. Sic volo errare, ſic „volo perire. Sic vis errare? ſic vis perire? quan„to melius ego nolo? prorſus, audeo dicere, im„portunus ſum. Audio enim dicentem Apoſto„lum; *Prædica verbum, inſta opportune, importune.* „Quibus opportune? quibus importune? oppor„tune utique volentibus, importune nolentibus. „Prorſus importunus ſum, audeo dicere. Tu vis „errare? tu vis perire? ego nolo. Non vult po„ſtremo ille, qui me tenet. Si voluero, vide, „quid dicat, vide, quid increpet: *Quod errabat,* „*non revocaſtis, & quod periit, non inquiſiſtis.* Te „magis timebo, quam ipſum? oportet nos omnes „exhiberi ante Tribunal Chriſti. Non timeo; non „enim poteſt evertere tribunal Chriſti, & conſti„tuere Tribunal Donati. Revocabo errantem, re„quiram perditam. Velis nolis id agam; etſi me „inquirentem lanient vepres ſylvarum; per omnia „anguſta me coarctabo, omnes ſepes excutiam. „Quantum mihi virium Dominus tenens donat, „omnia peragrabo, revocabo errantem, requiram „pereuntem. Si me pati non vis, noli errare, noli „perire.„

Aliud ex ejusdem *Expoſ. pſalmi* 149. dabimus infra, ubi de ſpe.

S. EUCHERIUS in *Paræneſi ad Valerianum* mellitiſſime:

„Nam quid iſtis opibus, ut de his primum di„cam, perniciofius, quæ raro niſi cum injuſtitia „congeruntur! Tali adminiſtratore res iſta capitur, „tali cuſtode ſervatur. *Radix enim*, inquit, om„nium malorum cupiditas. Adeo quædam ſocie„tas eſt pæne etiam nominis duabus his rebus vi„tiis, & divitiis. Nunquid nam non opes iſtæ „quædam materia contumeliarum ſunt. Unde „etiam quidam noſtrorum ait: *Quid enim aliud* „*ſunt divitiæ, niſi pignora* injuriæ? numquid non „velut expoſita improbis præmia, factioſorum ocu„los, animosque provocant, præſcriptionesque ipſas „quodammodo oſtendant, & invitant? Sed fac, ut „iſta non accidant, numquid quo poſt nos erran„tes, fugientesque commigrent, certi eſſe poſſu„mus? *Theſaurizat*, inquit, *& ignorat, cui con*„*gregabit ea.* Sed fac, ut veniat hæres, ex voto, „numquid non ſæpe cenſum hæres intercipit, opes„que congeſtas aut filius male educatus, aut ge„ner male electus abſumit? quid divitiæ iſtæ in „ſe voluptatis habent, quarum eſt & miſera poſ„ſeſſio, & incerta transmiſſio. Quo devius, ac „præceps hominum amor raperis? ſcis ea, quæ „tibi obveniunt diligere, & ipſum te diligere ne„ſcis. foris eſt, quod amas, extra te eſt, quod con„cupiſcis. Revertere potius in te, ut ſis tibi tu „charior, quam tua. Certe ſi ad te quiſpiam re„rum haud ignarus accedat, malis ipſum te amet, „quam iſta, quæ tecum ſunt: idque eliges, ut „ille vitæ tuæ potius, quam opibus tuis affectum „ſuum conferat. Vis hunc homini fidem ſervare, „non rebus. Quod tibi tribuere velis alium, ipſe „hoc tibi, qui es tibi fidiſſimus, tribue. Nos, „nos potius amemus, quam noſtra. Et hæc qui„dem adverſus facultates dicta ſint.„

SALVI-

Salvianus quoque *epiſtola* 4. *ad ſocerum*, *& ſocrum* dulciſſimus eſt, verum quod temporum injuria vitiatus eſt codex, & varias lacunas habet, difficile eſt integram ex eo plagulam tranſcribere.

S. Bernardus, cui dulcedo melliflui nomen fecit *Serm.* 1. *in Epiphania Domini*, cùm Chriſtum ſibi proponeret triginta ipſos annos latitantem, nunc vero baptizatum, & patris ſolenni teſtimonio proclamatum, ad verba illa *Ipſum audite* ita ſuaviſſime:

„Ecce Domine Jeſu, vel jam nunc loquere „Quouſque ſiles? quouſque diſſimulas? diu tacu„iſti, & valde diu. Vel jam nunc loquendi licen„tiam habes a patre. Quamdiu virtus, & Dei ſa„pientia quaſi infirmus aliquis, & inſipiens lates in „populo? quamdiu nobilis Rex, & Rex cœli fa„bri filium te pateris appellari pariter, & putari? „etenim Lucas Evangeliſta teſtatur, quoniam ad„huc *filius Joſeph putabatur*. O humilitas virtus „Chriſti! quantum confundis ſuperbiam noſtræ va„nitatis! parum aliquid ſcio, vel magis ſcire mihi „videor, & jam ſilere non poſſum. Impudenter „me, & imprudenter ingerens, & oſtentans, prom„ptulus ad loquendam, velox ad docendum, tar„dus ad audiendum. Et Chriſtus cum tanto tem„pore ſilebat, cùm ſeipſum abſcondebat, nunquid „inanem gloriam metuebat? quid timeret ab inani „gloria, qui eſt vera gloria patris? utique time„bat, ſed non ſibi. Nobis timebat ab illa, qui„bus noverat eſſe timendum. Novis cavebat, nos „inſtruebat. Tacebat ore, ſed inſtruebat opere, & „quod poſtea docuit verbo, jam clamabat exem„plo: *Diſcite a me quia mitis ſum, & humilis* „*corde!*„

Rurſum *Sermone* 1. *de diverſis*, qui *de nimia quadam fallacia præſentis vitæ* inſcribitur, mirabili ſuavitate animat fratres ſuos, ne ſinant ſe ærumnis,

 & mole-

& moleſtiis vitæ hujus abſterreri, intuentes in gloriam, quam hoc modo compararent:

„Hoc nempe erit illud æternum gloriæ pon„dus, de quo identidem ait Apoſtolus: *Momen„taneum*, inquit, *hoc & leve tribulationis noſtræ ſu„pra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus „operatur in nobis*. Perge ergo mumurare, & di„cere: longum eſt, grave eſt, non poſſum tam „immania, & tam diuturna portare. Apoſtolus „momentaneum, & leve perhibet eſſe, quod to„lerat. Et certe necdum a Judæis quinquies quad„ragenas una minus accepiſti, necdum nocte, ac „die in profundo maris fuiſti, necdum plus omni„bus laboraſti, poſtremo necdum uſque ad ſangui„nem reſtitiſti. Vide ergo quam non ſunt con„dignæ ad gloriam paſſiones. Quod tribulationis „eſt, momentaneum eſt, & leve, quod gloriæ, „æternum eſt, & pondus etiam ſupra modum in „ſublimitate. Quid in incertum tibi dies, & an„nos numeras. Tranſit hora, tranſit & pœna: „nec accedunt ſibi, ſed cedunt potius, & ſucce„dunt. Non ſic gloria, non ſic remuneratio, non „ſic merces ipſa laboris. Neſcit viciſſitudinem, „neſcit finem, manet tota ſimul, & manet in æter„num. *Cum dederit*, inquit, *dilectis ſuis ſomnum, „ecce hæreditas Domini!* ſufficit enim nunc cuique „diei malitia ſua, nec laborem ſuum poterit re„ſervare ſequenti, ſed omnium merces laborum „in una illa die reddetur, cui altera non ſucce„dit. *Repoſita eſt mihi corona juſtitiæ*, ait Apoſto„lus, *quam reddet mihi* non illis, ſed *in illum diem „juſtus judex*. Melior eſt enim dies una in atriis „illis ſuper millia. Guttatim pœna bibitur, liquan„do ſumitur, per minutias tranſit. Nam in remu„neratione torrens eſt voluptatis, & fluminis im„petus, torrens inundans lætitiæ, flumen gloriæ, & „flumen pacis. Flumen plane eſt, ſed quod af-

„fluat,

„fluat, non quod fluat, vel effluat. Flumen vo„catur non quod tranſeat, vel pertranſeat, ſed quod „abundet. Æternum, inquit, gloriæ pondus! „non enim nobis glorioſa veſtis, non glorioſa „domus, ſed ipſa gloria promittitur. Si quid ve„ro illorum, aut ſimilium aliquando dicitur, fi„gura eſt. Nam in veritate juſtorum expectatio „non aliquod lætum, ſed ipſa lætitia eſt. Gau„dent in cibis, gaudent in pompis, gaudent in „divitiis, gaudent & in vitiis homines: ſed luctus „extrema occupat ejusmodi gaudiorum, quod gau„dium in materia convertibili mutari neceſſe ſit, „re mutata. Accenditur cereus? non purum lu„men eſt, ſed lucerna. Siquidem ignis ipſe pro„pria fomenta conſumit, nec niſi ipſa conſumpti„one fovetur. Porro deficiente materia etiam ipſa „deficiet, & ubi illam videris prorſus exuſtam, „hunc quoque nihilominus extinctum eſſe repe„ries. Sicut ergo flammæ illius noviſſima fumus „occupat, & caligo, ſic lætitia lætæ rei in triſti„tiam commutatur. Nobis autem non favum mel„lis, ſed puriſſimum, & liquidiſſimum mel repo„ſuit Deus, ipſam plane lætitiam, vitam, gloriam, „pacem, voluptatem, amœnitatem, felicitatem, „jucunditatem & exultationem theſaurizavit nobis „Dominus Deus noſter. Et hæc omnia unum & „idipſum non niſi ipſe, ſicut ſupra meminimus, „dicente Apoſtolo, *quoniam erit Deus omnia in om„nibus.* Hæc merces noſtra, hæc corona noſtra, „hoc bravium noſtrum, ad quod utinam ſic cur„ramus, ut comprehendamus. Fratres! nunquam „prudens agricola ſeminandi opportunitatem re„putat longiorem, quod futuræ meſſis deſiderat „ubertatem. Veſtri autem dies non minus utique „quam capilli omnes numerati ſunt, & ſicut pi„lus de corpore, ſic & momentum de tempore „non peribit. Habentes ergo talem promiſſio-

„nem Chariſſimi! non deficiamus, aut fatigemur „aliquando, nec grave cauſemur onus Chriſti, quod „teſte ipſo leve eſt: vel jugum, quod revera ſuave „eſt; ſed ad omne, quod videmur portare, pon„dus diei æternum gloriæ pondus cogitemus. Ad „quam nos ſua miſeratione perducat virtutum Do„minus, & Rex gloriæ, cui interim devota humi„litate clamamus: non nobis Domine, non nobis, „ſed nomini tuo da gloriam. „

Hæc ſufficiant, vel ea de cauſa, quod ubi de affectu *Gaudii*, & *de Patrum ſuavitate in delectando* dictum eſt, data ſunt quædam, quæ huc pariter poſſint pertinere.

CAPUT XII.

Specimina circa genus dicendi ſalſum, pungens & ſatyricum.

Libro noſtro primo Diſſertatione quinta, capite primo luculenter oſtendimus, quantum Patres abeſſent a nugis, in quibus profani ſummopere laudarentur. Nihilominus extra Conciones, puta in Epiſtolis, & tractatibus leporem ſubin, & hilaritatem non improbarunt, exemplum ſcilicet ipſius Scripturæ ſecuti, ubi hujusmodi non pauca poſſis reperire. quam ſalſum enim illud *Libro III. Regum cap.* 18. *de* Sacerdotibus Baal, præſente populo ad meridiem uſquæ ignem cœlo devocantibus: *Cumque eſſet jam meridies, illudebat illis Elias dicens; Clamate voce majore! Deus enim eſt, & forſitan loquitur, aut in diverſorio eſt, aut in itinere, aut certe dormit, ut excitetur.* Ipſe Servator quam pungenti ſarcaſmo rapacium Phariſæorum eleemoſynas in riſum vertit cum *Lucæ* 11. *v.* 41. ita concluderet: *Verum tamen quod ſupereſt date eleemoſynam, & ecce*

& ecce omnia munda ſunt vobis *. Non autem pungunt Patres ſive longius, ſive ſæpius, ſed vel obiter tantum, vel certe temperanter; uti decebat eos viros, quorum & pietas ſumma, & gravitas prohibuit, ne riſui, atque laſciviæ locum darent; quando ipſi profani, cum remitterent animos, & ludo, jocoque indulgerent, non aliter id faciebant, quam ſomno, ſolemus, & quiete uti; tum ſcilicet, ut monet CICERO, ubi gravibus, ſeriiſque rebus jam ſatisfeciſſent. Quod ſi hæc non fuit cauſa, odia ſane, iramque ſic fregerunt, vel res invidioſas, quas argumentis diluere non licuit, ſalibus, & cachinnis amoliebantur. Qua ratione idem ipſe quem dixi TULLIUS L. Murrenam accuſationi Catonis eripuit, & in cauſa Flacci unito joco plenam victoriam reportavit **. Quod vero TERTULLIANUS, atque HIERONYMUS nimii in hoc fuiſſe Eraſmo videntur, nihil mirum. Nam ut alibi oſtendimus, monopolium quoddam ejus rei affectabat, & quo ſolus habere naſum videretur, eundem ceteris omnibus ademptum ibat. Sunt inquam ſalſiores aliis Patribus, ſed ſalva gravitate, ſalvo ardore, ſalva pietate, ut videas decuiſſe eos hoc genus, ut ſunt profecto nonnulli, qui non jucundius quam decentius in riſum ſolvuntur; quod ipſe divus Bernardus nugis adeo infenſus in Petro Cluniacenſi *** & mirari, & prædicare non dubitavit. Sed hoc ipſum ſpecimina, quæ ſequuntur, poſſunt facilius edocere.

TERTULLIANUS *Libro de Pœnitentia cap.* 5. in ruborem daturus eos, qui dicebant, ſe licet pec-

 carent,

* Vide in hunc locum Ludovicum Molinam *Tractatu II. Diſputat. 16. Partis poſterioris Tomi tertii de Juſtitia, & Jure.*

** Vide Ciceronem *Libro II. de oratore* ubi plura de ſalibus, & ridiculo.

*** *Epiſtola* 16. ex iis quæ ſunt Petri.

carent, timorem Dei non ponere, ſed in animo ſemper retinere, hæc habet:

„Sed ajunt quidam, ſatis Deum habere, ſi cor„de, & animo ſuſcipiatur, licet actu minus fiat. „Itaque ſe ſalvo metu, & fide peccare; hoc eſt „ſalva caſtitate matrimonia violare, ſalva pietate „parenti venenum temperare. Sic ergo & ipſi „ſalva venia in gehennam detrudentur, dum ſalvo „metu peccant. Primum exemplum perverſitatis, „quia timent, delinquunt. Opinor non delinque„rent, ſi non timerent. Igitur qui Deum nolit „offenſum, nec reverentur omnino, ſi timor of„fendendi patrocinium eſt. Sed iſta ingenia de ſe„mine hypocritarum pullulare conſueverunt, quo„rum invidia cum diabolo amicitia eſt, quorum „pœnitentia nunquam fidelis. „

Idem *Libro de Præſcriptionib. adverſ. hæreticos cap.* 3. ridens miracula hæreticorum:

„Volo igitur, inquit, & virtutes eorum pro„ferre, niſi quod agnoſco maximam virtutem eo„rum, qua Apoſtolos in perverſum æmulantur. „Illi enim de mortuis vivos faciebant, iſti de vi„vis mortuos faciunt.„

Iterum *Libro II. adverſus Marcionem cap.* 23. cum refutare vellet hæreſiarcham, qui levitatis in Deo genus fore aſſerebat, ſi probatos aliquando, poſt reprobaret, aut reprobandos, nunc probaret, hæc reſpondit:

„Si vero etiam circa perſonas levem vultis intel„ligi, cum reprobat aliquando probatos: aut im„providum, cum probat quandoque reprobandos; „quaſi judicia ſua aut damnet præterita, aut igno„ret futura? Atqui nihil tam bono & judici con„venit, quam pro præſentibus meritis & rejicere, „& adlegere. Adlegitur Saul, ſed nondum deſpe„ctor Prophetæ Samuelis. Rejicitur Salomon, „ſed jam a mulieribus alienis poſſeſſus, & idolis

„Moa-

„Moabitarum, & Sidoniorum mancipatus. Quid „ageret Creator, ne a Marcionitis reprehenderetur? „Bene adhuc agentes prædamnaret jam propter „futura delicta? Sed Dei boni non erat, nondum „merentes prædamnare. Proinde peccantes nunc „non recuſaret propter priſtina benefacta? ſed ju- „ſti judicis non erat, reſciſſis jam bonis priſtinis ſce- „lera donare. Aut quis hominum ſine delicto, ut „eum Deus ſemper adlegeret, quem nunquam „poſſet recuſare? Vel quis item ſine aliquo bono „opere, ut eum Deus ſemper recuſaret, quem „nunquam poſſet adlegere. Exhibe bonum ſem- „per, & non recuſabitur. Exhibe malum ſemper, „& nunquam adlegetur.. Lege etiam, quomo- „do ſectator Tertulliani MINUTIUS *circa medium* „*Octavii* Deo gentilium rideat. „

S. CYPRIANUS *epiſtola* 69. *Florentium Pupianum* cum ipſo, etſi jam ſex annis Epiſcopus eſſet, communicare non auſum, ſale plurimo perfricuit. Audiamus ſaltem aliqua.

„Etiam nunc in literis tuis animadverto eundem „te adhuc eſſe, qui prius fueras, eadem te de „nobis credere, & in eo, quod credideras, per- „ſeverare, & ne forte claritatis, & martyrii tui „dignitas noſtra communicatione maculetur *, in „mores noſtros diligenter inquirere, & poſt Deum „judicem, qui Sacerdotes facit, te velle, non di- „cam de me (quantus enim ego ſum?) ſed de „Dei, & Chriſti judicio judicare. Hoc eſt in „Deum non credere, hoc eſt rebellem adverſus „Chriſtum, & adverſus Evangelium ejus exiſtere, „ut cum ille dicat: *Nonne duo paſſereſaſſe* vene- „unt, & neuter eorum cadit in terram ſine pa- „tris voluntate: & probet majeſtas ejus, & veri- tas

* Forte & hoc ipſum ironicum, & Pupiana timiditas tacite notatur.

„tas ſine conſcientia, & permiſſu Dei etiam mi„nora non fieri, tu exiſtimes Sacerdotem Dei ſine „conſcientia ejus in Eccleſia ordinari? nam credere „quod indigni, & inceſti ſint, qui ordinantur, quid „aliud eſt, quam credere, quod non a Deo, nec „per Deum ſacerdotes ejus in Eccleſia conſtituan„tur? an putas majus eſſe de me meum, quam Dei „teſtimonium?

„Niſi ſi Sacerdos tibi fui ante Perſecutionem, „quando mecum communicabas; poſt perſecutio„nem ſacerdos eſſe deſivi? perſecutio enim veni„ens te ad ſummam martyrii ſublimitatem prove„xit: me autem proſcriptionis onere depreſſit, „cum publice legeretur: *Si quis tenet, vel poſſidet* „*de bonis Cæcilii Cypriani Epiſcopi Chriſtianorum*; „ut etiam qui non credebant Deo Epiſcopum con„ſtituenti vel diabolo crederent Epiſcopum pro„ſcribenti. „

„Annue aliquando, & dignare pronuntiare de „nobis, & Epiſcopatum noſtrum cognitionis tuæ „auctoritate firmare, ut Deus, & Chriſtus ejus „agere tibi gratias poſſint, quod per te ſit Anti„ſtes, & Rector altari eorum pariter, & plebi „reſtitutus. „

„Et cum ille diceret, ſcrupulum ſibi hærere „in animo de Epiſcopatu ejus. Quare in hunc „ſcrupulum non inciderunt Martyres ſancto ſpiritu „pleni, & ad conſpectum Dei, & Chriſti ejus paſſione „jam proximi? qui ad Cyprianum Epiſcopum lite„ras de carcere direxerunt, Sacerdotem Dei ag„noſcentes, & conteſtantes ei? quare in hunc „ſcrupulum non inciderunt tot Coëpiſcopi, col„legæ mei, qui vel cum de medio recede„rent, proſcripti ſunt, vel apprehenſi in carcere, „& in catenis fuerunt? aut qui in exilium rele„gati illuſtri itinere ad Dominum profecti ſunt,

aut

„aut qui quibusdam locis animadverſi cœleſtes co-„ronas de Domini glorificatione ſumpſerunt? „quare in hunc ſcrupulum non inciderunt de plebe „iſta noſtra, quæ apud nos eſt, & nobis de Dei „dignatione commiſſa eſt, tot Confeſſores quæſti-„onati, & torti, & inſignium vulnerum & cica-„tricum memoria glorioſi? tot virgines integræ? „tot laudabiles viduæ? Eccleſiæ denique univerſæ „per totum mundum nobiſcum unitatis vinculo „copulatæ? Niſi ſi omnes iſtis communicantes „mecum, ſecundum quod ſcripſiſti, polluto no-„ſtro ore polluti ſunt? & ſpem vitæ æternæ com-„municationis noſtræ contagione perdiderunt. Pu-„pianus ſolus integer, inviolatus, ſanctus, pudi-„cus, qui nobis miſcere ſe noluit, in paradyſo, „atque in Regno cœlorum ſolus habitabit.„

„De iis autem, quæ tu egiſti vel in perſecu-„tione, vel in pace ſtultum eſt, ut velim te judi-„care, quando tu magis judicem te noſtri con-„ſtitueris. Hæc pro animi mei pura conſcientia, „& Domini & Dei mei fiducia reſcripſi. Habes „tu Literas meas, & ego tuas. In die Judicii ante „tribunal Chriſti utraque recitabuntur.„

Nazianzenus *epiſt.* 155. Nicobulo, Alipianæ uxoris ſuæ ſtaturam perbrevem exprobranti:

„Alypianam apud nos cavillis inceſſis, ut par-„vam, ac tua proceritate indignam. O magne, „& vaſte, ac gigantine tum forma, tum robore! „nunc demum intellexi, animum menſuræ ſubjici, „& virtutem expendi, ac rupes margaritis præ-„ſtantiores eſſe, corvoſque luſciniis auguſtiores. „Tu vero magnitudine tua, & cubitis fruere, nec „Aloidis illis * ullo modo inferiorem te præbe. „Equum

* Alæi Gigantis filiis.

„Equum enim ducis, & haſtam vibras, & feræ „tibi curæ ſunt: ipſa autem nihil operis patrat; „nec magni roboris eſt radium terre, colum te„nere, ac telæ aſſidere

- - id enim fœminarum decus eſt.

„Quod ſi hoc quoque adjicias, etiam oratio„nis cauſa humi curvam eſſe, ac per ingentes men„tis agitationes perpetuam cum Deo conſuetudi„nem habere, quid hic de tua ſublimitate, corpo„risque menſura te jactabis? Vide tempeſtivum „ſilentium, loquentem audi, quam incompta ſit „animadverte, quam ut fœmina fortis, ac ſtrenua, „quas rei domeſticæ utilitates afferat, quam viri „amans ſit: ac tum illud Laconis dices: *Certe ani„mus in menſuram minime cadit, atque externum ho„minem oculos in internum conjectos habere oportet.* Si „hæc ad hunc modum conſideres, jocari deſines, „eamque ut parvam deridere; tuumque conjugium „fauſtum, ac felix judicabis.„

S. Ambrosius *epiſt.* 22. *ad Marcellinam Sororem alias* 84. *&* 54. Arianos miracula Martyrum, quorum ipſe corpora reperit, impugnantes, in ruborem daturus his ad populum verbis utitur:

„Celebritati veſtræ, qui ſolent invident, & quia „celebritatem veſtram invidis animis ferre non poſ„ſunt, cauſam celebritatis odere, atque in tantum „amentiæ prodeunt, ut negent Martyrum merita, „quorum opera etiam dæmones confitentur. Sed „hoc non mirum. Siquidem tanta eſt incredulo„rum perfidia, ut tolerabilior ſit diaboli plerumque „confeſſio. Dicebat enim diabolus: *Jeſu fili Dei „vivi, quid veniſti ante tempus torquere nos?* Et cum „audirent Judæi ipſi, tamen Dei filium denegabant. „Et nunc audiſtis clamantes dæmones, & confiten„tes martyribus, quod pœnas ferre non poſſint, & „dicentes: quid veniſtis ut nos tam graviter tor„queatis? Et Ariani dicunt: non ſunt iſti marty-

„res,

„res, nec torquere diabolum poſſunt, nec aliquem „liberare, cum tormenta dæmonum, ipſorum voce „probentur, & beneficia martyrum remediis cæco„rum, & abſolutorum indiciis declarantur. Ne„gant cæcum illuminatum; ſed ille non negat ſe „eſſe ſanatum. Ille dicit: Video, qui non vide„bam: ille dicit cæcus eſſe deſivi, & probat fa„cto. Iſti beneficium negant, qui factum negare „non poſſunt &c. Deteſtabilior iſtorum, quam „Judæorum pertinacia. Illi cum dubitarent vel „parentes interrogabant. Iſti occulte interrogant, „palam negant, jam non operi increduli, ſed au„ctori. Sed quæro quid non credant, utrum a „Martyribus poſſint aliqui viſitari? hoc eſt Chri„ſto non credere; ipſe enim dixit: *Et majora his „facietis.* An ab iſtis Martyribus, quorum merita „jam dudum vigent, corpora dudum reperta ſunt? „quæro hic utrum mihi, an Sanctis Martyribus in„videant. Si mihi: numquid a me aliquæ virtutes „fiunt? numquid meo opere, meo nomine? cur igi„tur mihi invident, quod meum non eſt? Si Mar„tyribus (Reſtat enim, ut ſi mihi non invident, „Martyribus invidere videantur) oſtendunt alterius „fidei fuiſſe Martyres, quam ipſi credunt. Neque „enim aliter eorum operibus inviderent, niſi fidem „in his fuiſſe eam, quam ipſi non habent, judi„carent.„

Ecce aculeum inter mella Ambroſii. Quam autem alte, quam penitus eum infigit! non credam ferrum adactum tantopere iis hominibus dolere potuiſſe, uti verba hæc doluerint.

S. Hieronymus *epiſt.* 99. *nunc* 45. *ad Aſellam*, quod odium ſibi ingens conflaſſet principibus fœminis ad vitam monaſticam traductis, ita ſe purgat, antequam navim conſcenderet, Romamque obtrectatricem relinqueret.

„Nihil

„Nihil mihi aliud objicitur, niſi ſexus meus, „& hoc nunquam objicitur, niſi cum Hieroſoly-„mam Paula, & Melania proficiſcuntur. Eſto. Cre-„diderunt mentienti, cur non credunt neganti? „idem eſt homo, ipſe qui fuerat. Fatetur inſon-„tem, qui dudum noxium loquebatur. Et certe „veritatem magis exprimunt tormenta, quam ri-„ſus; niſi quod facilius creditur, quod aut fictum „libenter auditur, aut non fictum, ut fingatur „impellitur. Antequam domum ſanctæ Paulæ noſ-„ſem, totius in me urbis ſtudia conſonabant. Om-„nium pæne judicio dignus ſummo ſacerdotio de-„cernebar. Beatæ memoriæ Damaſus meus ſer-„mo erat. Dicebar ſanctus, dicebar humilis, & „diſertus. Numquid domum alicujus laſcivioris „ingreſſus ſum? numquid me veſtes ſericæ, niten-„tes gemmæ, picta facies, auri rapuit ambitio? „nulla fuit alia Romæ matronarum, quæ meam „poſſet edomare mentem, niſi lugens, atque je-„junans, ſquallens ſordibus, fletibus pæne cæcata, „quam continuis noctibus miſericordiam Domini „deprecantem ſol ſæpe deprehendit? cujus canti-„cum pſalmi, ſermo Evangelium, deliciæ conti-„nentia, vita jejunium? nulla me potuit alia de-„lectare, niſi illa, quam manducantem nunquam „vidi? ſed poſtquam eam pro ſuæ merito caſtita-„tis venerari, colere, ſuſpicere cœpi, omnes me „illico deſeruere virtutes. O invidia primum mor-„dax tui! o Sathanæ calliditas ſemper ſancta per-„ſequens! nullæ aliæ Romanæ urbi fabulam præ-„buerunt, niſi Paula, & Melania, quæ contem-„ptis facultatibus, pignoribusque deſertis crucem „Domini, quaſi quoddam pietatis levavere vexil-„lum. Si balneas peterent, unguenta eligerent, „divitias, & viduitatem haberent materiam luxu-„riæ, & libertatis, Dominæ vocarentur, & San-„ctæ: nunc in ſacco, & cinere formoſæ volunt „videri,

„videri, & in gehennam ignis cum jejuniis & pœ„dore deſcendere. Videlicet non licet eis applau„dente populo perire cum turbis. Si gentiles „hanc vitam carperent, ſi Judæi, haberent ſola„tium non placendi eis, quibus diſplicet Chriſtus: „nunc vero, proh nefas! homines Chriſtiani, præ„termiſſa domorum ſuorum cura, & proprii oculi „trabe neglecta in alieno oculo feſtucam quærunt, „lacerant ſanctum propoſitum, & remedium pœ„næ ſuæ arbitrantur, ſi nemo ſit ſanctus, ſi omni„bus detrahatur, ſi turba ſit pereuntium, ſi mul„titudo peccantium. Tibi placet lavari quotidie: „alius has munditias ſordes putat. Tu attagenem „ructas, & de comeſo acipenſere gloriaris. Ego „faba ventrem impleo. Te delectant cachinnan„tium greges: me Paula, Melaniaque plangentes. „Tu aliena deſideras: illæ contemnunt ſua. Te „delibuta melle vina delectant. Illæ putant aquam „frigidam ſuaviorem. Tu te perdere exiſtimas, „quidquid in præſenti non habueris, comederis, „devoraveris: illæ futura deſiderant, & credunt „vera eſſe, quæ ſcripta ſunt: eſto inepte, & ina„niter, quibus Reſurrectio corporum perſuaſit. „Quid ad te.„

Idem *adverſus Vigilantium*, qui inter alia Eccleſiæ Inſtituta Monaſticen, & Cleri cœlibatum impugnabat, objectioni ejus: Si omnes ſe clauſerint, & fuerint in ſolitudine, quis celebraturus Eccleſias & ſæcularium ſalutem curaturus eſſet, hoc reponit:

„Hoc enim modo, ſi omnes tecum fatui ſint, „ſapiens eſſe quis poterit? Et virginitas non erit „appetenda. Si enim omnes Virgines fuerint, „nuptiæ non erunt, interibit humanum genus, in„fantes in cunis non vagient, obſtetrices abſque „mercedibus mendicabunt, & graviſſimo frigore „ſolus

„ſolus, atque contractus Dormitantius * vigilabit „in lectulo.„

Rurſum *ad finem Libri II. adverſus Jovinianum* novum Epicurum, ſubautem in hortutis ſuis inter adoleſcentulos, & mulierculas ita alloquitur:

„Egregia ſane vox, & quam audiat ſponſa Chri-„ſti! inter Virgines, & viduas, & cælibes (unde „& ipſum nomen inditum eſt, quod cœlo digni „ſint, quia coitu careant). Raro jejunate, cre-„bius nubite; non enim poteſtis implere opera „nuptiarum, niſi mulſum, & carnes, & nucleum „ſumpſeritis. Viribus opus eſt ad libidinem. Ci-„to caro conſumpta marceſcit. Nolite timere „fornicationem, qui ſemel in Chriſto baptizatus „eſt, cadere non poteſt. Habet enim ad deſpu-„mandas libidines ſolatia nuptiarum. Quod etſi „cecideritis, redintegrabit vos pœnitentia, & qui „in baptiſmate fuiſtis hypocritæ, eritis in pœni-„tentia ſolidæ fidei. Neque turbemini putantes in-„ter juſtum & pœnitentem aliquid intereſſe, & hu-„miliorem gradum dare quidem veniam, ſed co-„ronam tollere. Una eſt enim retributio, qui ad „dexteram ſteterit, introibit in regna cælorum. „His conſiliis ſubulci tui Paſtoribus noſtris ditio-„res ſunt, & hirci plurimas ſecum capras trahunt. „Equi inſanientes in fœminas facti ſunt, ſtatim ut „mulieres viderint, adhinniunt, & impatientiam „ſuam pro nefas! ſcripturarum ſolantur exemplis. „Sed & ipſæ mulierculæ miſeræ, & non miſera-„biles, præceptoris ſui verba cantantes: Quid enim „niſi ſemen requirit Deus? non ſolum pudicitiam, „ſed etiam verecundiam perdiderunt, majorique „procacitate defendunt libidinem, quam exercent. „Habes præterea in exercitu tuo plures ſuccentu-„ria-

* **Inverſo nomine ſic vocat, quod & Vigilias ſacras ſublatas vellet.**

„riatos, babes ſcurras, & velites in præſidiis, craſ-
„ſos, comptos, nitidos, clamatores, qui te pu-
„gnis, calcibusque defendant. Tibi cedunt de
„via nobiles, tibi oſculantur divites caput. Niſi
„enim tu veniſſes, ebrii, atque ructantes paradiſum
„intrare non poterant. Macte virtute! imo vitiis,
„habes in caſtris tuis & Amazonas exerta mamma,
„& nudo brachio & genu, venientes contra ſe vi-
„ros ad pugnam libidinum provocantes: & quia
„opulentus paterfamilias es, in aviariis tuis non
„turtures, ſed upupæ nutriuntur, quæ tota fœtidæ
„voluptatis luſtra circumvolent. Me carpe,
„me disjice, objice crimina, quæ volueris.
„Argue luxuriæ, & deliciarum. Magis me
„amabis, ſi talis fuero; ero enim de armento
„tuo.„

Iterum *Epiſt.* 23. *nunc* 38. *ad Marcellam* cum dixiſſet quosdam ſcandalizari, quod Bleſilla vidua hortatu ejus fuſcam veſtem ſumpſiſſet, iſtuc ſubjicit.

„Illæ chriſtianos oculos ſcandalizent potius,
„quæ purpuriſſo, & quibusdam fucis ora, oculos-
„que depingunt, quarum facies gypſeæ, & nimio
„candore deformes idola mentiuntur; quibus ſi
„forte improvidis lacrimarum ſtilla eruperit, ſulco
„defluit: quas nec numerus annorum poteſt docere,
„quod vetulæ ſint: quæ capillis alienis verticem
„ſtruunt, & præteritam juventutem in rugis anili-
„bus poliunt: quæ denique ante nepotum gregem
„trementes virgunculæ componuntur. Erubeſcat
„mulier chriſtiana, ſi naturæ cogit decorem, ſi
„carnis curam facit ad concupiſcentiam; in qua
„qui ſunt, ſecundum Apoſtolum Deo placere non
„poſſunt.„

Denique admirabilis ſatyra eſt tota *Epiſtol.* 47. *nunc* 117. *de vitando ſuſpect. contub.*

S Bernardus *Epiſtol.* 42. *ad Henricum Senonenſum Archiepiſcopum* de iis, qui ad dignitates eccleſiaſticas promoventur:

„Multi non tanta fiducia, & alacritate curre„rent ad honores, ſi eſſe ſentirent & onera. Gra„vari profecto metuerent, nec cum tanto labore, „& periculo quarumlibet affectarent infulas digni„tatum. Nunc vero quia ſola attenditur gloria, „& non pœna, purum eſſe Clericum erubeſcitur „in Eccleſia: ſeque viles æſtimant, & inglorios, „qui quocunque eminentiori in loco non fuerint „ſublimati. Scholares pueri, & impuberes adole„ſcentuli ob ſanguinis dignitatem promoventur ad „eccleſiaſticas dignitates. & de ſub ferula trans„feruntur ad principandum Presbyteris; lætiores „interim, quod virgas evaſerint, quam quod me„ruerint principatum, nec tam illis blanditur ade„ptum, quam ademptum magiſterium. *Et mox:* „Curritur in Clero paſſim ab omni ætate, & or„dine, a doctis pariter, & indoctis ad eccleſiaſti„cas curas, tanquam ſine curis jam quisque victu„rus ſit, cum ad curas pervenerit. Nec mirum „de his, qui necdum in ſemetipſis experti ſunt. „Videntes quippe illos, qui jam proprios hume„ros cupitæ ſarcinæ ſubmiſerunt, non ſolum non „gemere tanquam ſub onere, ſed inſuper appetere „plus onerari, non deterrentur periculis, quæ cu„piditate cæcati non vident, ſed favoribus amplius, „quos aliis invident, provocantur. O infinita ſem„per ambitio, & inſatiabilis avaritia! cum pri„mos honorum gradus meruerint in Eccleſia (me„ruerint autem vel vitæ merito, vel pecuniæ, ſeu „etiam carnis & ſanguinis, quæ regnum Dei non „poſſidebunt, prærogativa) non ideo corda quieſ„cunt, duplici ſemper æſtuantia deſiderio, quo „utique magis, & magis & dilatentur in plura, „& ad celſiora ſublimentur.„

In idem argumentum *poſt initia Declamationum ad Clericos.*

„Huic enim parvulo adhuc, aut forſitan necdum „nato eccleſiaſtica jam Beneficia provida ſane pa„rentum ſolicitudo parabat. Hunc nos, inquiens, „illi vel illi tradamus Epiſcopo, apud quem ha„bemus gratiam, aut cui forte ſervivimus, ut di„tetur de bonis Domini, nec in tot liberos noſtra „dividatur hæreditas. Illum Præpoſitus, aut De„canus, ut ſibi ſuccederet, plusquam materno „educavit affectu, in deliciis enutriens, & delictis. „Ille dignus Archidiaconatu, utpote filius Prin„cipis; magis autem ſi ſit Epiſcopi conſobrinus, „in quo nimirum tota eſt epiſcopata progenies. „Alius undique circuit ſedulus explorator, blandi„tur, obſequitur, ſimulat, & diſſimulat, miſera„que ſibi ſuffragia mendicare non erubeſcit, ma„nibus, & pedibus repens, ſi quo modo tandem „aliquando ſeſe ingerere queat in patrimonium „Crucifixi, & bona Domini, quæ ſola ex omni„bus hodie inveniuntur expoſita. Nimirum pere„gre profectus eſt; ſed in plenilunio forte, ut „ſua diſtricte repetat, reverſurus.„

Idem BERNARDUS *in Apologia ad Guilielmum Abbatem poſt medium* de potu vini apud Monachos.

„Jam vero de aquæ potu quid dicam, quando „ne ullo quidem pacto vinum aquatum admittitur? „Omnes nimirum, ex quo monachi ſumus, infir„mos ſtomachos habemus, & tam neceſſarium „Apoſtoli de *utendo vino* conſilium merito non ne„gligimus. *Modico* tamen, quod ille præmiſit, „neſcio cur prætermiſſo.„

Ibidem de vanis ornamentis templorum apud Religioſos quosdam uſitatis:

„Sed eſto, fiant hæc ad honorem Dei, illud „autem interrogo monachus monachos, quod in

„gentilibus gentilis arguebat: *Dicite*, ait ille, „*Pontifices! in Sancto quid facit aurum?* Ego autem „dico *Pauperes;* non enim attendo verſum, ſed „ſenſum, *dicite*, inquam, pauperes, ſi tamen pau„peres, *in Sancto quid facit aurum?* & quidem alia „cauſa eſt Epiſcoporum, alia Monachorum. Sci„mus namque, quod illi ſapientibus, & inſipien„tibus debitores cum ſint, carnalis populi devotio„nem, quia ſpiritualibus non poſſunt, corporali„bus excitant ornamentis. Nos vero, qui jam „de populo exivimus, qui mundi quæque pretioſa, „ac ſpecioſa pro Chriſto reliquimus, qui omnia „pulchre lucentia, canore mulcentia, ſuave olentia, „dulce ſapientia, tactu placentia, cuncta denique „oblectamenta corporea arbitrati ſumus ut ſtercora, „ut Chriſtum lucrifaciamus: quorum quæſo in his „devotionem excitare intendimus? quem inquam „ex his fructum requirimus? ſtultorum admiratio„nem, an ſimplicium oblectationem? an quoniam „*commixti ſumus inter gentes, forte didicimus opera* „*eorum, & ſervimus adhuc ſculptilibus eorum?* Et „ut aperte loquar, an hoc totum facit avaritia, „quæ eſt idolorum ſervitus: & *non requirimus fru*„*ctum, ſed datum?* Si quæris quomodo? miro in„quam modo. Tali quadam arte ſpargitur æs, „ut multiplicetur: expenditur, ut augeatur, & ef„fuſio copiam parit. Ipſo quippe viſu ſumptuo„ſarum, ſed mirandarum vanitatum accenduntur „homines magis ad offerendum, quam ad adoran„dum. Sic opes opibus hauriuntur, pecunia pe„cuniam trahit; quia neſcio quo pacto ubi am„plius divitiarum cernitur, ibi offertur libentius. „Auro tectis reliquiis ſaginantur oculi, & loculi „aperiuntur. Oſtenditur pulcherrima forma San„cti, vel Sanctæ alicujus, & eo creditur ſanctior, „quo coloratior. Currunt homines ad oſculandum, „invitantur ad donandum, & magis mirantur pul-

„chra,

„chra, quam venerantur ſacra. Ponuntur dehinc „in eccleſia gemmatæ non coronæ, ſed rotæ, cir- „cumſeptæ lampadibus, ſed non minus fulgentes „inſertis lapidibus. Cernimus & pro candelabris „arbores quaſdam erectas, multo æris pondere, „miro artificis opere fabricatas, nec magis coru- „ſcantes ſuperpoſitis lucernis, quam ſuis * gem- „mis? Quid putas in his omnibus quæritur? pœ- „nitentium compunctio, an intuentium admiratio? „O vanitas vanitatum! ſed non vanior, quam „inſanior. Fulget eccleſia in parietibus, & in „pauperibus eget: ſuos lapides induit auro, & ſuos „filios nudos deſerit. De ſumptibus egenorum „ſervitur oculis devitum. Inveniunt curioſi, quo „delectentur, & non inveniunt miſeri, quo ſuſten- „tentur. Ut quid ſaltem Sanctorum imagines non „reveremur, quibus utique ipſum, quod pedibus „conculcatur, ſcatet pavimentum. Sæpe ſpuitur „in ora angeli, ſæpe alicujus Sanctorum facies cal- „cibus tunditur tranſeuntium. Et ſi non ſacris „his imaginibus, cur vel non parcitur pulchris co- „loribus? Cur decoras, quod mox fœdandum eſt? „cur depingis, quod neceſſe eſt conculcari? quid „ibi valent venuſtæ formæ, ubi pulvere maculan- „tur aſſiduo? Denique quid hæc ad pauperes, ad „monachos, ad ſpirituales viros? niſi forte & hic „adverſus memoratum Poëtæ verſiculum propheti- „cus ille reſpondeatur: *Domine, dilexi decorem do- „mus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* Aſſen- „tior. Patiamur & hæc fieri in Eccleſia, quia etſi „noxia ſunt vanis, & avaris, non tamen ſimplici- „bus, & devotis: ceterum in Clauſtris coram lu- „gentibus fratribus quid facit illa ridicula monſtruo-

* Gemmas hic dicit non *lapides*, ſed florum ac foliorum initia in arboribus hiſce extantia, & auro, argentove illuſa.

„ſitas, mire quædam deformis formoſitas, ac for-
„moſa deformitas? quid ibi immundæ ſimiæ? quid
„feri leones? quid monſtruoſi centauri? quid ſe-
„mihomines? quid maculoſæ tigrides? quid mi-
„lites pugnantes? quid venatores tubicinantes?
„videas ſub uno capite multa corpora, & rurſus
„in uno corpore capita multa. Cernitur hinc in
„quadrupede cauda ſerpentis, illinc in piſce caput
„quadrupedis, ibi beſtia præfert equum, capram
„trahens retro dimidiam; hic cornutum animal
„equum geſtat poſterius. Tam multa, tamque mira
„diverſarum formarum ubique varietas apparet, ut
„magis legere libeat in marmoribus, quam in co-
„dicibus, totumque diem occupari ſingula iſta mi-
„rando, quam in lege Dei meditando. Pro Deo
„ſi non pudet ineptiarum, cur vel non pigeat ex-
„penſarum? „

Plura dabimus Libro ſequenti, ubi de *Ironia* ſermo erit.

Quod ſi ſpecimen cupis, quomodo quæ ridicula ex ſe ſunt, converſione ſubita detorquere ad ſeria debeamus, inſigne dabit CHRYSOSTOMUS *homilia* 50. *in Matthæum*, de calceis, quos ea tempeſtate ſubligaculis ſericis undique ſolebant exornare. Ego, quod ſat multa jam tranſcripſi, Lectorem ad *Giſbertum* amando, qui *cap.* 21. allegat, laudatque mirum in modum.

Finis LIBRI V. *de Eloquentia Patrum.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Errata in Libris IV. & V.

Pagina :	Linea :		Lege :
9	10	hae	hæc
31	24	ipſis	ipſi
59	2	quis	qui
68	ultim.	Ilghor	Igitur
93	18	multorum	multarum
106	ultim.	expeterat,	expeteret,
129	25	ſui	fui
139	27	hoc ipſa	hac ipſa
144	35	ſuſcitentur :	ſciſcitentur :
175	15	metuerunt	metuerint
176	17	ſerant.	ferant.
186	penult.	Hæ	Hæc
189	26 & 27	colorum	colonum
193	22	dolore,	dolere,
197	20	quædam,	quasdam,
214	17	hac	has
246	22	dimiſſt	dimiſit
288	1	abſtentatione	oſtentatione
304	34	indulgentiſſimis	indulgentiſſimus
319	5	alia	alio
324	8 & 9	*rapaceſia,*	*rapaces,*
351	3	*ut, putas*	*ut putas,*
356	34	eſcutentioribus	eſculentioribus
360	34 & 35	vehementias,	vehementius,
366	10	ſævivit.	ſævit.
367	28	habentur	habeatur
368	6	tenui, orum oppreſſores-quam	tenuiorum oppreſſores quam
370	20	panes	penes
371	1	alii	aliis
383	35 & 36	conſideerm,	conſiderem,
400	25	BASILIUM, SELEUCIEN-SEM.	BASILIUM SELEUCIEN-SEM,
409	7	venantiſſima	vernantiſſima
419	24	loquendam,	loquendum,
423	15	unito	unico
424	12	reverentur	revereatur
425	16	Dee	Deos

Digitized by Google

4-1